




1
6
545












A

=3=

XV 1.6.545

de ODDIS



ODDI DE ODDIS PATAVINI PHYSICI, AC MEDICI CLARISSIMI,

De Pestis, & pestiferorum omnium affectuum Causis, Signis, Præcautione, & Curatione,	Libri IIII.
Apologiæ pro Galeno, tum in Logica, tum in Philosophia, tum etiam in Medicina,	Libri III.
De Cœnæ, & Prandij Portione,	Libri II.

Nunc primùm in lucem editi, aut illustrati opera, & diligentia Marci Oddi Medici eiusdem filij totum incompletum perficientis.

Quibus accessit ipsius Filii De Putredine germanæ, ac nundum explicatæ Aristotelis & Galeni sententiæ aduersus Argenterium Apologia.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS, Apud Paulum & Antonium Meietos Fratres.
M D LXX.

CLARISSIMO
AC SAPIENTISSIMO
VIRO IACOBO SVRIANO
PATRITIO VENETO
EQVITIQVE INSIGNI

Marcus Oddus Oddi filius Medicus.
S. P. D.



VAE vulgaris ueterum græcorum sententia circunferebatur, λάθε βιώσας præcipiens ita uiuendum esse, ut nemo nos uixisse sentiat, meo quidem iuditio vir Clarißime, Sapientißimeque non solum obscurum quid ac indistinctum pronuntiat, uerum & si in uniuersum audiatur, actiones homini proprias tollit, & intellectum ocio torpescere statuit, etenim dum eos, qui impie, iniuste, uoluptuoseque uiuunt, admonet, ne uitam propriam à uitijs, & uoluptatibus auertant, ut se non ita uixisse ab omnibus intelligantur, non nisi optimum consilium censendum est, sin autem quis formosam amplexurus, aut summum bonum in carnis titillatione positurus est, aut hominem enecaturus, prædaturusvè hęc utique extremas desiderant tenebras, hæc noctem, obliuionem, ac denique ut in obscurum ueluti locum, ac barathrum profundum inijciantur: quo fit, ut quanuis ex his nonnulli uirtutibus sint exornati, ob quas etiam clari, & noti hominibus reddi poßint, à uitijs tamen immenso nimirum glorię ardore, petulantia, superbia, auaritia, & libidine cum obtenebrentur, satius his sit ignotos, quàm cum infami gloria notos uixisse, similes namque sunt Philoxeno Erixidis filio, & Gnatoni præclaris ob sonatoribus, qui (ut narrant historię) turpiter se gerebant in obsonia, quo reliquis conuiuis deteritis ipsi soli cibis appositis explerentur: Veruntamen hoc nequaquam subijciuntur decreto, quicumque liberalibus disciplinis, philosophicis studijs, & alijs præclaris artibus incum-

bentes & sibi, & parentibus, & patriæ, ac cuique hominum generi uixisse student, inter quos Epaminundas ille mihi occurrit, qui dum ad quadragesimum usque annum ignotus uixit, tametsi moribus, scientijsque foret ornatus, nihil profuit Thebanis, at posteaquam rebus gerendis præfectus Rempub. fermè extinctam restituit, & græciam seruitute liberauit, maximam sibi gloriam, ueluti lucem clarißimam apud populos comparans notißimus omnibus extitit: quod itidem Themistocli apud Athenienses accidisse ferunt, qui è Græcia potentißimum hostem depellens immortale promeruit Encomion: Mitto consultò apud Romanos Camillum, Marium, Horatium, Scipionem Aphricanum, & alios apud quasque nationes innumeros heroas, qui suis celebratißimis gestis adeo noti extitere, ut hi adhuc apud nos extare uideantur, necnon tot Philosophos, ac Legislatores sapientißimos, inter quos Lycurgus sanctißimas leges condens, Pythagoras studiosos edocens, Socrates cum discipulis copiose disserens, Plato Dionem instruens, & Aristoteles peripatheticam disciplinam ostentans mirum in modum celebrantur, si quidem nostris hisce temporibus in amplißima Venetorum Republica nos te præ cæteris omnibus notum, ac clarissimum spectamus, qui cum nobilißima, illustrißimaque Surianorum familia natus à teneris annis in hac nostra Patauina Academia liberalibus primum disciplinis, mox peripatheticę, academicę, theologicęque scientię summo studio adeo operam nauaris, ut non solum cunctos tunc temporis condiscipulos tuos longè superaris, uerum & præceptores, qui tui facundiam, doctrinam, ac sapientiam admirabantur (quorum omniũ testis hæc tota urbs est) in splendididißimam Patriam postea reuersus, tantis honoribus, ac dignitatibus es decoratus, ut non tantum patriæ gentes, dum consilio, ac opere Reipub. præes, te Senatorem Sapientißimum agnoscant, uerum & exterę quæque gentes præclara tua publica, priuataque facinora suspicientes, dum Orator disertißimus apud principes, Regesque potentißimos affuisti, Grauißimum te uirum prædicent, & ad Sydera usque extollant. Cæterum quòd hi genericum constituentes decretum peculiares homini actiones è medio tollant, & propriam animę facultatem ocio torpescere permittant, non est, ut multis nitamur rationibus patefacere, cum enim uiuentibus quibusque triplex animę uis data sit, plantis quidem prima, cuius officium id est, ut creandis, nutriendis, augendisque corporibus præstò sit, brutis uerò animantibus altera, cuius sentire proprium munus est, ac homini tertia, qua intelligit, ac sapit (illi namque soli insita quædam facultas inest, atque cupiditas, qua ratione duce ad artes, scientiasvè

ca-

III

capescendas allicitur, ipsumque cæteri ament, timeant, reuereantur, & eidem libentißime pareant, necnon ab ipso instrui, edocerique uel maxime concupiscant) nonne cuique apertum esse potest, quòd si homo obscurus, neminique notus uiuet, demortuas necessariò actiones habebit? Et sopitam propriam humanę animę facultatem? à qua quidem si expolietur, sola uerò plantarum ui abutatur, crapula nimirum, ac uenere, aut sensuum laqueis inuolutus, periculum subest, ne in plantas (ut præclare scripsit Plotinus ille Platonicus) aut quid aliud animal brutum uertatur, quemadmodum de Vlyßis socijs diuinitus cecinit Homerus. Innata igitur homini cupiditas est & cognoscendi, & innotescendi, cum & ueteres Philosophi hominem φῶτα nimirum à Luce nuncupent, & animi substantia, lumen esse putent cum alijs adducti coniecturis, tum hac potißimum, quòd nihil omnium æque effugit, & odit, atque ignorantiam, & quicquid luce uacat, ni sensuum illecebris distrahatur. Atqui cum ex Diuini Platonis sententia libro de Legibus res omnes, quæ fiunt, quæ futuræ, quæque factæ sunt uel natura, uel fortuna, siue fato, ut idem alibi interpretabatur, uel arte fiant, maximę quidem, ac pulcherrimæ natura, fortunaque, arte uerò minores, ac minus ornatę (siquidem ars ipsa accepta à magnorum, primorumque generatione fingit, fabricatque minora omnia quæ artificiosa ab omnibus appellantur) quanto res præstantiores erunt, tanto etiam in homine excellentiorem cognitionem ac de seipso notitiam parient, cum enim cęli motus, Solis, Lunęque Ecclypses, elementorum mutationes, metalla quæque, plantę insuper animalia singula, ac genus denique humanum natura constituta sint, eorum quoque cognitio præstantißima, ac probatißima censetur, quique ea complectuntur, summo in honore semper habiti sunt: qui uerò res quasdam posterius genitas coluerunt, non tamen à natura, fortunaque ortum ducentes, sed simulacra quædam naturę, ipsique cognata, qualia sunt, quæ pictura musica, & huiusmodi perficiuntur, ob rerum ignobilitatem, minori quidem in precio, tametsi in his quidam ualde profecisse uideantur. proinde medicinę facultatis cognitio cum non tantum, quæ arte fiunt, res complectatur, uerum & naturales, nam si humanum corpus curandum nobis se offert, cognoscendę planè sunt singulę hominis partes, quamque inter se habitudinem obtineant, tum eam, qua ex primis constitutę sunt, elementis, quæ tota inter sese uario modo cohęrent, ac componuntur, tum eam, qua ex secundis constant, nimirum sensibilibus, quæ τὰ ὁμοιομερῆ ab Aristotele nuncupantur, adhæc & tertiam, qua ex instrumentalibus partibus conficiuntur, insuper horum unumquodque

quodque

quodque, quæ dicta sunt, quem usum præbeant animanti detegendum, quidque operentur, herbarum præterea, plantarumque naturę, celi status, regiones, ac hominum mores: Et istiusmodi naturę opera ars propriè perinde ac cæterę nequaquam nominari promeretur, sed mixta quædam, seu media potius facultas, præstantissima quidem & ipsa, ac cum nobilissimis scientijs comparanda, nam cum medicina iuxta Platonis principia res, quę uim suam cum natura uel optime communicant, serias, ac ueluti connaturales contempletur, ex maioribus quidem potius constituta dicetur, quàm ex minoribus, insuper si cæterę artes (ut recte sexto Moralium Nichomachiorum Aristo. artis priuilegia tradens inquit) externum habent opificem, non autem in eo, quod efficitur, medica uerò facultas in humano corpore sanando naturam uti opificem possideat, cuius quidem medicus externus minister est, necessariò consequitur, medicinam artem propriè uocandam non esse: nùm uerò quod supposuimus, ueritati consonet, & si clarissima Diuini Hippocratis oracula hoc ipsum aperte satis attestantur, id tamen & quotidiana roborat experientia, cum nonnullos quidem à sola natura adiutos, alios uerò medici ope naturam æmulantis sanatos haud difficile uideri licet: ob id hæc ipsa apud Veteres (ut testatur Cornelius Celsus inter latinos præstantissimus medicus) Sapientię pars habita fuit, donec Hippocrates eam à Sapientię studio seiunxit: qui uerò medicinam coluerunt, quanto in honore habiti sint, id nobis in Apolline, eiusque filio ostendisse sufficiat, qui cum præclari medicinę cultores extiterint, inter Deorum numerum sunt collocati, pariter & in ipsò Asclepiade apud Illyricos, quẽ hi numinis instar receptum Herculi in honoribus æquarunt. Cum igitur Oddus de Oddis pater meus (quod insitum homini inest) ad cognoscendum, innotescendumque ab ineunte ætate totum se applicuisset, partis imprimis liberalibus disciplinis, philosophica scientia, ac sacra medicina, iunioribus quidem annis logices Organum, & Philosophiam, mox & Medicinam publice interpretari cœpit, Venetias uerò postea profectus, ut in ea inclyta ciuitate medicinam faceret sub Serenissimo, ac non satis laudato Principe Andrea Gritio, cui etiam continue præerat, ecce maximo cum illorum nobilium, ciuiumque mœrore ac iactura (absit uerbo iactantia) denuò Patauium ab Illustrissimo Senatu uestro ad Theoricam (ut uocant) medicinę ordinariam profitendam compellitur, in quo quidem postremo munere obeundo per annos fermè uigintiquinque continuos totis uiribus publice utilitati adeo insudauit, ut ad uitę suę usque curriculum interpretando, edocendo, & disserendo alijs semper prodesse non dubitarit, & nisi importuna morte præuentus fuisset,

11

set, quæ publice docuerat, posteritati quoque ut monumenta quædam demandare decreuerat: dum id cogitat, propè initij cursum, è medio tollitur, quę humana calamitas est: Ego uerò qui Patris uestigia (quoad fieri potuit) semper insequi conatus sum, uelut obruto repente nauis Gubernatore, experientißimi nautæ munus subire coactus sum, ac in portum, quæ ipse imperfecta admodum deseruit, traducere: Animus certè mihi maximus præstò est, at si animo uires deficiunt, parcendum equidem censeo, functus enim sum eo, quod in nobis innatum est iuuandi saltem desiderio mihiq́ue ipsi, ac studiosis omnibus, quorum animi in maxima Patris operum expectatione erecti erant ex parte satisfecisse intelligam, siquod superioribus annis dum primum Apologiæ pro Galeno librum in lucem prodire permisi, eram pollicitus, hoc quidem tempore à me præstitutum fuisse omnes certò sciant: Inter cæteros uerò libros, quos Pater conscripsit, cum de pestiferis affectibus libri duo fermè expleti extarent, ut tota perfecta eorum tractatio haberetur, maximo meo labore, studio, atque uigilijs de præseruatione, atque curatione duos alios Patris doctrinam sequutus connectendos esse putaui, nec non & tertij Apologię libri complementum, quem ipse mutilum reliquerat: His etiam placuit adnectere libros duos eiusdem de cenę & prādij portione castigatos, & ī capita distinctos, ac Apologiā seu Epistolam quandam nostram pro Aristo. Galenique de putredine tutanda sententia aduersus Argenteriom Medicum celeberrimum. Ac quoniam estiam pridem in more, vulgarique consuetudine positum, ut quemadmodum Agricolę Dijs suis primos quosque terrę fructus templis, & delubris appensos dicare soliti sint, ita qui librum quempiam excudendum tradunt, insignem, ac præclarum quempiam uirum deligant, cui uti patrono opus ipsum in beneuolentię simul & obseruantię testimonium dicent, id ipsum & mihi in hac præsenti excußione obseruandū dijudicaui Tu uerò solus profectò Vir Clarißime, Grauisimeq́ue Senator præ alijs munificiētißimus nobis, aptißimusq́; uisus es, cui & opus hoc dicemus, & ipsius patrocinium debeatur, nam tanta morum elegantia, uitęque candore, ac eximia animi sinceritate, ac benificentia præditus es, ut non solum amicis, uerum & ignotis quibusque prodesse contendas: at quis Patre carior tibi, & amicior extitit? quandoquidem is teipsum, ac Clarißimum Michaelem Surianum consanguineum tuum Senatorem amplißimum, ac in præsentia apud summum Pontificem Pium V. nostrum legatum disertißimum, atque grauißimum (quem honoris gratia nomino) tanta beneuolentia, & obseruantia prosequebatur, ut nil sibi gratius foret, quàm unique uestrum totis uiribus inseruire, uos autem

tam

tam gratum in ipsum animum semper ostendere consueuistis, ut quaque occasione eum semper cohonestare, sibique honorifice prodesse contenderitis: Mitto autem consultò tui facundiam atque doctrinam, quibus uti fortißimis armis munitus potes opus ipsum à detrahentium calumnijs uindicare, satius namque est de his tacere, quàm de Carthagine (ut inquit Salustius) pauca dicere. Accipe itaque vir optime, ac Venetę Reipublicę splendor, & gloria hylari fronte, eoque, quo soles, animo quodcumque hoc sit munus, & pro tua in omnes humanitate, ac olim in Patrem, nunc uerò in Filium beneuolentia donantis animum respice: quod quidem si tibi gratißimum fuisse cognouero, ad maiora utique accensus promouebor. Vale, & familiam nostram suriani nominis uestri celeberrimi studioßimam dilige. Patauij Cal. Septembris. 1570.

CAPITA QVAE IN QVATVOR LIBRIS DE PESTE, ET PESTIFERIS AFFECTIBVS CONTINENTVR.

PRIMI LIBRI.

SECVNDI LIBRI.

TERTII LIBRI.

Quę

QVARTI LIBRI.

Capita Apologię pro Galeno libri primi.

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.

Capita de cœna,& porandij prtione libri primi.

Index

LIBRI SECVNDI.

FINIS.

Errata hæc, Benignus corrigat, Lector, antequam opus perlegat nostrum, si quæ verò sint leuia, iudicio suo percipiens castiget.

In Epistola fol. 3. b. lin. 3. dele illud, Et.

Fol. 12. a. Euacuatus lege euacuatas. f. 15. b. celebrari. l. celebrati. f. 20. b. faturam. l. futuram. f. 25. a. intentior. l. interior. f. 31. a. ueluti utri. l. ueluti uri. f. 37. a. corpore in. l. corporũ in. f. 39. b. per aliũ. l. per aluũ. f. 45. a. meatus obnuet. l. meatus obstruet. f. 46. b. nardi uniusq;. l. nardi utriusq;. f. 47. a. eam patet. l. eam paret. f. 48. b. excelienti pane. l. excellenti patre. f. 49. a. uitium. l. uirium f. 50. b. oppositus l. appositus. f. 34. b. euacuamus. l. euacuemus, & ibidem sumpsis. l. sumptis. f. 56. b. portibus. l. partibus. f. 60. b. res exposuit) l. res exposcit) f. 64. a. appositum. l. oppositum. f. eodem. b. metæ uerò, l. meræ uerò. f. 66. a. uentriculus, membra. l. uentriculus. ac membra. f. 67. a. sui subricitate l. sui lubricitate. f. 67 b. nares. l. nates. f. 68. a. non nostri s. l. nonnihil nostris. f. 69. a. sit ualde. l. si ualde, & ibidem crises magnæ. l. crisis magna. f. 72. a. non proinde. l. non perinde. f. 74. b. in toto. b. l. in toto. c. f. 77. b. syllogismi ratione. l. syllogismi rationem. f. 78. b euippe. l. quippe. f. 82. b. necesse. l. necesse. f. 83. a. tesponsionẽ. l. responsionẽ. f. 86. b. alia neq;. l. animal neque, & pro alia possit, l. animal possit, & pro alia solummodo. l. animal solummodo, & pro alia sopitũ. l. animal sopitum, & pro simile. l. similiter, & pro colligabantur. l. colligabãt. f. 91. a. profectiuum. l. perfecticum. fol. 97. a. uenam. l. uanam. fol. 97. b. moribus. l. motibus. f. 99. a. meremur. l. tueremur. f. 101. b. seminis. l. semini. & ibidem leniori. l. lentori. f. 102. a pulsis, lege, pultis, & ibi dem siminalis. l. feminalis. f. 102. b. & liquidus, lege, & liquidus? f. 106. b. fiet tanquã. l. fiet, aut tanq̃. f. 109. b. quia ditionem. l. q ęditionem, & paulo post ideo. l. Video. f. 111. a. conficit, & Gal. ut eos. l. conficit, ut eos. f. 112. a. apperit l. appetit, & paulo post Galenus. l. Galeno. f. 113 a. operatur. l. operantur. f. 114. b. Rasis in Haliab. l. Rasis, Haliab. f. 117. a. delerunt. l. dederunt. f. 123. a. per difflatione. l. per difflationem. f. 129. a. hæsitare. l. æsitare. f. 230. a. superioribes. l. superioribus. f. 133. a. intellecta. l. intellectam. f. 136. a. ob humores. l. ob humoris. f. eodem. b. & cuius. l. & cutis, & infra aducta putredine lege adaucta putredine, & infra inquierens, cur maxime aliæ lege, inquirens cur maxime alæ. f. 142. a. corruptio aut non. l. corruptio? aut nũ, & rursus paulo post nominetur quid de eius differentiis sentit. l. nominetur? quid de eius differentijs sentit? f. 143. a. humida ex mixti. l. humida est mixti. f. 143. b. aliisq;. l. aliosq;. f. 145. b. in montis manentibus. l. intactis manentibus.

ODDI DE ODDIS PATAVINI PHYSICI AC MEDICI CLARISSIMI

LIBER PRIMVS

De pestis, & Pestiferorum affectuum causis.

Intentio libri, & intentionis causa;

Procemium seu caput primum.



CVM anno 1555. ciuitas Patauina pestilenti morbo ab externa regione (uti publicus erat rumor) delato, decidēte Vere, siue ineunte Aestate molestari cœpisset, tametsi qui salutis Prouisores appellãtur, quantum humana diligentia, & solertia præstare poterat, die, noctuq; cõtenderēt, ut hac lue ciuitas nostra leuaretur, illa tamē in dies magis, ac magis ingrauescere uidebatur, quo factũ est, ut non modo externa iuuentus bonarũ literarum studiosa, sed etiam ciues ipsi fugam arriperent: quare huius miseræ ciuitatis pietate dignissimi Magistratus prouocati omni cura, & diligentia studuerunt, ut omnibus Medicis conuocatis, qui in urbe facultatem medicam aut exercebant, aut publicè profitebantur consultatio haberetur, qua inuestigaretur, quæ nam sit huius luis causa, & quibus notis deprehendi ualeat, qui nam pestilenti morbo laborant, aut laborarunt, quive non, quaque ratione liceat humana corpora, uel ne ab imminenti peste corripiantur, prohibere, uel iam correpta liberare: Verum aduentãte die, qua habenda erat consultatio, cum à prædictis salutis Prouisoribus & mihi, & Paulo Crasso medico hac nostra ætate celeberrimo fuisset impositum, ut domi nos contineremus, propterea quod suspicabãtur Excellētem Iurisconsultum Petrum de comitibus conciuem nostrum, quem ægrotantem unà uiseramus, pestilenti morbo periisse (quod tamen secus se habere compertum fuit) ea de re non potuimus ad statutum locũ nos conferre: quod cũ & aliis præclaris medicis uel simili,

vel alia de causa contigisset, ob id clarissimi illi Magistratus voti cõ potes non extiterunt. Proinde cùm omnes, qui me visitabant, tum illi præcipuè, quibus erat curę publica vtilitas, tum Scholares me audire assueti postulare cępissent, vt & patriæ meæ saluti consulens, & in eorum gratiam, quæ in illa consultatione dicturus eram, perscriberem, efflagitando non destiterunt, quoad illis me satisfacturum polliceri coegerunt: Vnde vt quod promiseramus commodius præstare possimus, imprimis nos explicare oportet, quisnam morbus Epidemius, quisve pestilens sit, & nũcupetur, dein quæ, & quot sint morbi pestilentis causę, quibus expositis altero uolumine de signis, deinde & altero tertio de præseruatione, atque postremo de curatione agemus.

Quis sit Epidemius, Endimius, & pestilens morbus, & quomodo pestis à pestilenti febre distinguatur. *Cap. 2.*

2. de natu. hu. cõtex. 3. & in prohœmio primi Epid.

QVòd itaque ad primum attinet, non ignorare oportet, Hippocratem & Gal. morbos diuidere in communes, qui multos ob communem causam inuadere solent, & in dispersos, qui separatim quemlibet affligunt: communes autem in duplici differentia existunt, qui enim cuipiã regioni, uel ciuitati pręcipui sunt non adeo tamen, ut etiam aliis in locis perinde atque alii morbi generari nõ possint, sed quia in ea regione, vel ciuitate ob loci, vel aeris, vel aquæ, uel ciborum naturam, uel quampiam huiusmodi causam omnibus eandem regionem, vel ciuitatem habitantibus communem, frequentiores efficiantur, qualis est in Bergomensi territorio broncocęla, Endemii hoc est patrii appellantur, qui uerò uno in loco, & regione aliqua (ut Galenus asserit) abundant, atque per multas regiones grassari possunt, nec sunt (ut dictum est) uni regioni uernaculi, Epidemii, id est uulgares aliquo anni tempore, in regioneve aliqua grassantes dicuntur: horum autem quicunq; perniciosissimi existunt, pestilentes nominantur: neque enim (vt ex Galeno colligitur) quilibet morbus Epidemius pestilens est, ut nonnulli falsò crediderunt, siquidem non pauci sunt morbi Epidemii per populum grassantes, qui salubres existunt, quando illis correpti magna ex parte seruentur, quales sępe catharros, & alui profluuia extitisse conspeximus; verum præter id, qui uno in loco multos simul inuadit, quo morbus Epidemius, & uulgaris dicitur, etiam multos perimat, pestilens erit: Quare Hippo. in 3. Epid. cũ omnes morbos

1. de ratio. uict. in acutis cõm. 9. & 3. Epid. sect. 3. c. 20.

Sect. 3.

bos

bos enumerasset, qui eo anni statu ab eo descripto euenerant, ut ostenderet eos non solum Epidemios, uerum etiam pestilentes fuisse, contextu 21. (ut Gal. exponit) subiecit: Ex qualibet morborum, quos recensuimus, specie complures ægrotabant, & moriebantur: Quos etiam morbos eo 3. Epid. descriptos pestilentes fuisse Galenus testatur in prooemio primi Epid. ita scribens: Atque etiam pestilentes nonnullas tempestates descripsit, vt eas de quibus in 3. libro tractatur, eo quòd & genere uulgaris est morbus pestis: Ex his colligendum est, eosdem, de quibus superius diximus, perperàm opinari morbum citra febrem minime pestilentem dici posse, cũ enim morbi illi, de quibus in 3. Epid. tractatur (ut Galenus inquit) pestilentes sint, quorum nonnullos fuisse sine febre scripsit Hippo. ut etiam Galenus interpres in contextuum expositione confirmat, consequitur, necessariò quòd pestis uel citra febrem mortales homines potest corripere, ut aperte Galenus habet. Non tamen negauerim pestilentes morbos magna ex parte non sine febre ægrotantes afficere: quam quidem aut hecticam esse, aut ex magna putredine generari placuit Galeno in 3. de presag. ex pulsibus, ubi scripsit hunc in modum: Etenim sunt, ut docuimus pestilentes non paucæ inde usque ab initio hecticę, distantque ab omnibus aliis febribus, quę ex magna putredine oriuntur: De hecticis etiam pestilentibus meminisse Galenum apertum est quas cum hi, de quibus superius meminimus, inueniri negauerint, ut facile uniuersis, qui aut illos audierũt, aut ab eis scripta legerunt perspicuum esse potest, in hoc etiam nõ modice aberrarunt: Non desunt etiam qui affirment febrem pestilentem ephemeram esse posse, quod non sine ratione ab eis dictum putauerim, quãdoquidem, quemadmodum præter eam pestilentem, quæ ex ualida humorum putredine fit, hecticam pestilentem fieri Galenus concessit, cum cordis substantia magis, quàm humores in eo existentes parata fuerit ab aere pestilenti inspiratione attracto infici, pariter etiam si cordis spiritus aptiores fuerint pestilentem affectionem ab inspirato aere suscipere, quid est, quod prohibeat, ut febris inde exorta ephemera pestilens nuncupari ualeat? Scripsit enim Auicenna temperaturam spirituum in corde existentium ab aere pestilenti posse corrumpi. Ex declaratis manifestè constat, quis morbus endemius, quis epidemius, & quis pestilens appellandus sit, & insuper pestem citra febrem esse posse, quod pestem à febre pestilenti discriminat: non desunt.n. qui in dubium reuocant, nunquid pestis à febre diffe-

3. Epi. sect. 3. com. 25. 55. 57. 59.

Cap. 4. prope finẽ capitis.

10. meth. med. prope finem.

prĩa quarti tractat. 4. cap. 1.

rat pestilenti, quas etiam alia ratione differre inferius ostẽdemus.

Duas esse præcipuas, ac primas morbi pestilentis efficientes causas, Cap. 3.

OPerępretium autem est, vt consequenter de pestilentis mor bi causis agamus, quas potissimum duas esse ex Galeno col
cap.4. ligitur in 1. de differ. feb. tametsi eo in loco de Febris pestilẽ tis causis solum sermonem habere videatur, quarum vna est vitiatus aer, atque corruptus, altera praui humores in corpore congesti, & ad putrescendum apti paruo nimirum momento ab aere nos am biente suscepto: verum cum aerem corrumpi, atque putrescere dicimus, non illum purum, & simplicem hanc mutationem suscipere intelligimus, quando nullum simplex elementum ualet putrescere, sed quatenus mixtum quoddam est, satis enim patet putredinem esse mixti pasſionẽ, quomodo sumpta elementa omnia (vno ignę
Contex.5. excepto) posse putrescere scripsit Aristo.4 metheororum, ignis.n. quanquam purus non sit, attamen ob validam eius caliditatem, & siccitatem minime putredinem solet admittere: Et propterea in li-
Sect. 25. problêma. 19. bris Problematum cum aerem dixit non putrescere, de illa aeris parte intellexisse uidetur, quæ est igni proxima, & magnam eiusdẽ ignis copiam detinet, cuius ratione non putrescit, at aer ille, in quo degimus, & sine cuius inspiratione uiuere nequimus, multitudine vaporum tum ex terra, & locis terræ cauernosis, tum ex aquis male olentibus, tum ex diuersis mixtis corruptis exhalantium solet pu trescere: Quare multas esse particulares causas, quibus contingit
1. de diff. feb. c.4. Et princ. primi. Epid. 1.4. tract. 4. cap.1. aerem putrescere, & Galenus, & Aui. ac reliqui fermè omnes prodiderunt, qui de pestilentia commentaria monumẽtis mandarunt. Verũ cum huiusmodi causas appello particulares, non intelligas esse adeo particulares, ut communes esse non posſint multis eodem tempore vulgaribus, & pestilentibus morbis correptis: quare ad ab solutam aeris corruptionem facta comparatione illas particulares audias velim, quarum particularum causarum potiſsimæ sunt, cadauerum multitudo, nec humatorum, nec crematorum, vt in bello fieri solitum est, cui proportione respondere potest multorum sepulchrorum reseratio: idem ẽt efficietur, si cauernæ patefiant, in quibus uapores praui longo tempore occlusi fuerint detenti, euaporationes ẽt ex paludibus, lacubus, stagnis, & barathris, & (ut vno uerbo dicam) quibuslibet locis res tetri odoris continentibus aerẽ

persæpe inficiunt: vnde Galenus explicans locum Hippo. in 2. de nat. huma. vbi scribit Hippo. Morbi uero fiunt partim à uiuendi ratione, partim à spiritu, cuius attractione viuimus, inquit, Potest tamen efficere interdum morbum vniuersalem haustus aquæ infectę, quod quidem memoriæ proditum est in castris accidisse, itidē ob loci naturam, vbi cuncti castramentati cōmorabantur, interim cum ex barathris Choronii, quos vocant, venti spirant frequentes: Hi igitur, quia aerem contaminant, morbos generant, ac in superiore ratione comprehendētur: Superius.n. dixerat non victum quidē sed aerem esse vulgarium morborum causam, in earum catalogo & olera, & arbores, & frutices malum edentes halitum cōtinentur, siquidem Galenus in 3. Epid. in illius ægroti explicatione, de quo Hippo. dixit: Qui in Dealcis decumbebat horto, reprehendens Sabini expositionem scripsit hunc in modum: Tertio iam cum multa suppeditarent ad hortorum calumniandum aerem, totam hanc repudiauit partem, ad olera verò deflexit: atqui & Cloacarum poterat meminisse, vt quæ latrinas ferè in hortos repurgant, omnemque eius generis fœtorem, olerum item, & arborum halitum, fruticumque, vt brassicæ, carræ, & buxi, nam manifestò vicinus aer ab horum inficitur consuetudine: prauam etiam temporum anni constitutionem calidam, & humidam aerem mirifice corrumpere colligitur ex Galeno, ubi eorum redarguens opinionem, qui uer calidū esse & humidum contendebant scripsit: Ego verò tantum abest, ut aut Ver, aut si quid tēperatum est calidum atque humidum dicam vt quod planè contrarium est, id affirmem omnium aeris ambientis temperamentorum pessimum id esse, quod humidum est & calidum, quod sanè temperamentum in quatuor anni temporibus inuenire nequeas, in morbido, & pestilenti aeris statu interdum incidit, ueluti quodam loco Hippo. commemorat his uerbis: Pluebat per ęstum imber largus assidue, id namque est humidi, & calidi status proprium, ut in æstu assidue pluat: Et paucis interpositis addit Galenus: An igitur sine morbis erat æstas illa, in qua pluisse dicit in caloribus assidue largum imbrem? Atqui carbunculos in ea fuisse narrat, putrescentibus scilicet in corpore excrementis, ac saniē quandam, quæ calida, humidaque immodice fuerat, gignentibus, intelliges id ex ipsa dictione, si totam tibi adscripsero, ea sic habet: Erant in Cranone carbunculi ęstiui, pluerat per æstum largo imbri, idque assidue, acciderant autem magis austro, ac suberat quidem sub cute sanies, quæ conclusa incaluit, ac pruritum excitauit, mox pustulæ,

1. Epidem. a princip. cōtex. 2. & 3.

Sect. 1. cont. 14.

1. de tēp. cap. 4.

pustulæ,ueluti ambustis sunt obortæ, vtrique sub cute sunt visæ, ve rum hic minus, utpote vno tantum è quatuor temporibus mutato, malum fuit:quòd si duo,tria ve sint mutata, aut etiam totus annus calidus,humidusque fuerit,necesse est magna pestilentia succedat, cuiusmodi in tertio Epidemion,idest grassantium publicè morbo- rum narrat:apponam autem primum, quę de temporum intempe- stiuo statu scripsit, deinde de hominum, quæ subsequuta est cor- ruptela: Aduertas autem animum in omnibus velim, æstimesque primum cuiusmodi res sit calida, humidaque temperies, quamque ueri,quod temperata res est, dissimilis, deinde quàm necessariò in
3. Epid. ea omnia putrescant. Postmodum Galenus appositis Hippocratis
prædicto. uerbis,quibus ostendit totum anni statum humidum fuisse, atque calidum,subiecit: Licet autem cui libuerit in 3. Epide. membra- tim ea legere,ac in vnum caput omnia redacta uidere, nempè pu- tredinem maximam,cuius etiā ipsius Hippocrates non rarò nomi- natim meminit,aliàs sic scribens,Erat autem & fluxio ipsa collecta haud similis puri,sed alia quædam putredo, ac fluxio multa,varia- que,aliàs sic,& in pudendis carbunculi ęstiui,tum alia, quę putredi nes appellantur,& quòd ex hac putredine multis quidem brachiū, & cubitus totus deciderit,multis fœmur, vel sura est nudata,totus- que pes,quin etiam magni ossium,carnium,neruorum,articulorū- que perlapsus inciderunt,denique nullum ex affectibus,quos scrip- sit,inuenias,qui meritò soboles putredinis non sit,quippe cum nec à sicco putrefieri quicquam sit aptum,nec à frigido, intelligas id, si carnes,& reliqua,quæcunque asseruari ab hominibus solent, obser ues hæc sale,hęc muria,hæc aceto,hæc alio quopiam ex his, quæ sic cant,commode præparari,deprehendas & borea, qui siccus natu- ra, & frigidus uentus est,omnia quàm diutissime imputria durare, contrà putrescere facillimè austrino flatu,erat enim is uentus cali- dus,& humidus: Possem equidem in prædictorum confirmationē addere,quę à Galeno scribuntur tum in libris metho. med. tum in
Sect. 3. 3.Epid.in explicatione illius status pestilētis ab Hippocrate describ ti,de quo etiam superius mentio facta est,& inferius efficietur, sed puto quæ hactenus scripta sunt satis,superque explicare calidam & humidam anni temperaturā putredinis,& corruptionis aeris cau-
3.Epid. se. sam esse, siquidem putredo (vt Galenus inquit) ex materia quidē
3.cōmē.1. gigni humida,ex causa verò efficiente calore inquam extraneo: Et
& 22. propterea dixit corpora calida,& humida,(quod ad temperaturam
6.de tuen. sanit. attinet)esse quidem longeua,sed morbis obnoxia, qui ex putredi-

ne

ne generantur: Verum non ignorare oportet, quòd alicuius regionis aer ab explicatis causis bifariam infici potest, vno quidem non primo, & immediate, altero uerò modo secundo, & propter continuitatem, ut ait Galenus Atheniensibus accidisse ob mala inquinamenta, quæ per continuum ex Aethiopia fluxerunt, atque in causa extiterunt, vt quæ corpora erant læsioni parata, lue tandem corriperentur, quod utique contingit, cum ventorum flatu corruptus aer ab inquinata regione ad alteram finitimam propellitur, de qua etiam peste meminit Gal. in libro de Theriaca ad Pisonem. 1.de diffe. feb. cap.4. prope finē

Nùm humores praui sint altera ex duabus præcipuis causis pestilentis morbi, & quomodo, Cap. 4.

QVod verò attinet ad alteram morbi pestilentis causam, nō leuis est dubitatio, nunquid humores noxii mala uictus ratione geniti pestilentiæ causa esse posśint, quandoquidem nonnulli arbitrantur, quòd cum pestis morbus sit Epidemius, & vulgaris, à solo aere procreari valeat: Epidemius enim morbus, quia communis est, & vulgaris, causam etiam communem habet, & vulgarem, vt Hippocrati placuit, qui cū superius dixisset, quòd morbi fiunt partim à uiuendi ratione, partim à spiritu, cuius attractione uiuimus: Deinde ostendens, qua ratione ij morbi discernātur, ita scripsit: Vtrosque hoc modo discernens, vbi multi uno morbo homines corripiuntur eadem tempestate, in id conferenda causa est, quod sit communisśimum, quoque maxime utimur uniuersi, hoc est, quod spiritu attrahimus, tunc enim uictum cuiusque nostrum nequaquam in causa esse manifestò cōstat, cum morbus omnes iuxta attingit tam iuuenes, quàm senes, tam fœminas, quàm uiros, perinde uinum, ac aquam bibentes, tam quòd offam, quàm qui panem commanducant, tam qui multum, quàm qui parum laborant, ergo non fuerit uictus ratio in causa, cum homines quoquo uictu utentes in eundem incidunt morbum, at ubi diuersis eodem tempore morbis homines afficiuntur, suus cuique uictus sine controuersia causa est: Huic sententiæ uidetur Galenus subscripsisse explicās Hippocratis uerba iam recitata, vbi fateri uidetur Hippocratis fuisse decretum, ut vulgares morbi ab aere efficerētur, non à uictus ratione, non solum de Hippocratis sententia cibum & potum, sed etiam (ut Galeno placuit) balneas, exercitationes, otium, uigilias, mœrorem, iram, frigus & æstus complectēte: Ego uerò

2.de.natu. hu.cōte.3.

1. Epi. sec. septimasec me in principio.

uerò sententiā hanc non approbo, quam etiam Galenus in eo 2. li-
Com. 3. bro de nat. hum. inter spurios Hippocratis libros enumerato .5.
» haud approbauit, vbi sic habet: Quod commune multarum ægri-
» tudinum est, communem hoc causam habere, rectè dixit, ut reliqua
» huius capitis omnia, at non rectè tamen communium morborum
» ortum in unum aerem confert, siquidem qui in æno grassante fa-
» me uescerētur leguminibus, cruribus debilitabantur, qui uerò er-
» ua essent, hos genuum dolor corripiebat, neque hoc nos ignora-
» mus, cum in fame quidam frumentum semiputre coacti essent
» manducare, in communem communi de causa incidisse morbum,
» aliquando etiam cum usus infecta aqua esset totus exercitus, simili
ter afflictos omnes milites fuisse: Quibus uerbis unicuique luce clarius esse potest, uoluisse Galenum ex uictu non solum morbos dispersos, & particulares generari, uerum etiam & communes, ut pote ex communi, & vulgari causa: quod etiam facile colligi potest ex eodem Galeno, vbi declarans assiduam annonæ caritatem magnam uim habere ad morbos procreandos, qui ex prauis humoribus generantur, narrat, quòd tempestate quadam cum agricolæ per hyemem omnes fructus cereales ab intra ciuitates degentibus eis relictos cōsumpsissent ducti necessitate toto Vere teneros fructices, arborum germina extremos ramulos, bulbos, plantarum radices mali succi, agrestia olera, & omnes ferè herbas uirentes decoctas, quibus nemo unquam prius uesci consueuerat, ad satietatem ingesserunt, propter quod decidente Vere, & magna ex parte ineunte æstate omnibus ferè per cutim uaria ulcera scaturiebant, quæ partim herisipelata, partim phlegmonē, partim herpetem, partim impetiginem, uel scabiem, quasi & lepram referebant, quibusdam etiam, qui ut plurimum perierunt, instar carbunculi, aut phagenæ cum febre eueniebant, alii sine cutis ulceribus febribus laborabant cum alui deiectionibus graue olentibus, ac mordacibus, & demum cum intestinorum torminibus, ac tinesmis, nonnullis etiam urinæ acres, & graue olentes efficiebantur vesicam ulcerātes, aliis quoque febres iudicabantur uel olido sudore, uel abscessibus putredinem contrahentibus, qui uerò nullo horum, quæ dicta sunt, laborarunt, omnes aut alicuius uisceris inflammatione, aut ualida, prauaque febre decubuerunt, neque audebāt Medici eo uti remedio, quod fit per uenæ sectionem, quandoquidem prius uires deficiebāt ob sanguinis prauitatem, qui quidem in his, quibus secta fuit uena, uel magis igneus, uel nigricans magis, uel serosior, uel acrior appa-
rebat

Libello de cibis bōi & male succi a princip.

rebat quàm is, qui ex salubribus corporibus aliquando mitti solet, qui etiam quandoque fluens ita uenam sectam mordicabat, ut non nisi ægrè ad cicatricem perduceretur: insuper etiam hi potissimũ quibus moriendum erat, unà cum febribus, uel delirio, uel uigiliis, vel sopore, seu cataphora detinebantur. Quòd si quispiam fortasse dixerit Galenum statim subiecisse, nihil miri eos contrariis morbis, & symptomatis fuisse affectos, propterea quod nõ solum natura, uel ætate inter se dissidebant, uerum etiam uictus ratione, cũ bonorum ciborum inopia illa esse cogerētur, quorum magis vnicuique erat copia, quæ utique diuersis constabant facultatibus: quædam enim ex his, quæ ab eis comedebantur, acidum succum, quædam acrem, quædam amarum, & quædam salsum generabant: alia austerum, tenacem alia, adstringentem alia, necnon & refrigerantem alia, & alia humectantem: nonnulla etiam ueneni naturã detinebant, scripsit enim Auēzoar nonnullos quadam in ciuitate fame compulsos ciborum inopia oborta, fractis antiquorum cadauerum ossibus, eorum medullas ingessisse, qui statim ferè animam expirarunt: Quapropter non uidemus uictus rationem causam cõmunem extitisse, qua morbi prædicti in eis fuerint vulgati, quandoquidem cum diuersi homines in diuersos eodem tempore morbos incidunt proprii uictus causa, hos morbos Hippo. & Gal. non quidem communes & vulgares, sed dispersos nominant: Huic respondebimus, morbos pestilentes sine controuersia Epidemios esse cómmunes: atque vulgares, ut superius de Hippocratis, & Galeni sententia ostensum fuit, morbos autem pestilentes vulgares simul esse & diuersos constat ex Hippocrate, ubi declarans in ea pestilentia diuersos diuersis morbis pestilentibus fuisse correptos, cum dixisset: cùm esset totus annus austrinus, humidus & lenis, per hiemem quidem salubriter egerunt, præter tabidos, de quibus modò scribemus: Deinde enumerans, quæ in ea pestilentia euenerant ita scribit. Ante Ver unà cum frigoribus cõsequutis sacer ignis frequens hos cum occasione effecit, illos nõ, qui malus cum esset multos interemit, multi è faucibus laborabant, uox erat uitiata, febres ardentes unà cum phrenitide, ora aphtis uitiata, pudenda tuberculis, lippitudines, carbunculi, alui turbatæ, cibum fastidiebant, quidam sitibundi erant, quidam non, urina turbata, multa, mala, sopõre diu tenebantur: rursusque insomnes erant, multi prorsus non iudicabantur morbi, quidam ægre, aqua inter cutem, tabidi multi: Quibus enumeraris, cum dixisset. Habes morbos, qui vulgabãtur,

Loco prędicto.

Tertio sui theyzirtracta. 3. ca. 4.

Secũdo de nat. hu. & prio Epid. a princip.

3. Epid. secti. tertia. Conte. 8.

à 9. ad 19.

deinde subiecit: Ex qualibet morborũ, quos recẽsuimus, specie, cõ
" plures ægrotabant, & moriebantur, acciderunt autem cuique ho-
" rum in hunc modum: Quæ uerba Galenus exponens scripsit: Cùm
" dicit & moriebantur, pestilentes fuisse morbos, qui vulgarentur,
" demonstrat, qui quando diuersi fuerunt, de singulis separatim in-
fra se acturũ promittit: Proinde non ignorare oportet morbos vul
gares eadem tempestate grassantes unam communem habere cau
sam, ad quam omnes referuntur, quo tamen non tollitur, ut hi mor
bi non possint esse diuersi, quales illi extiterunt, de quibus dictum
est Hipp. meminisse, qui ut unam habuerunt communem causam,
aeris nempè corruptionem ex calida, & humida anni constitutione
genitam, qua tum humores, tum partes corporis quamplurimis
computruerunt, ita ut etiam diuersitate tum humorum, tum par-
tium putrescentium ab illa communi causa diuersi pestilẽtes mor
bi prodierunt: Quã sententiam Galenus clarissimè explicauit scri
bens hunc in modum: Hippocrates tibi aperte indicauit, quod nos
3. Epid. se-ct. 1. 3. commen. 24. sæpe iam diximus, corporis humores propter humiditatem, & ae-
ris tranquillitatem computruisse, atque idcirco purem non genera
" uit, computrescebant uerò ob prauos humidos humores solidæ par
" tes, at uariam esse fluxionem propter putrescentium diuersitatem
" ratio erat, nam à communi putredinis causa, singula putrescentia
" peculiarem obtinẽt differentię speciem: idem etiam Galenus fieri
Com. 9. eiusdem. dixit tum naturæ, tum uictus diuersitate, quo unusquisque sanus
usus est, ita scribens: Siquidem morborum proficiscuntur differen
" tiæ ab aeris circumflui temperamento propter naturam cuiusque,
Com. 12. " & uictum, quem sanus seruat: Et ibidem habet idem contingere
posse ob partium imbecillium diuersitatem, inquiens: Memineris
" etiam hanc communem rationem ab eodem statu genitum omni-
" bus putrem humorem non easdem insidere partes, quod nec per
" naturam omnium in eadem conditione corpus esset eo statu, sed
" esset alia aliis pars infirmior: Eodem pariter modo ex annonæ cari
tate, atque frumento semiputri, necnon & haustu aquæ infectę cõ
tingere posse uidetur, ut eorum vnumquodque morborum vulga-
rium causa communis existat, qui morbi nihilominus causis iam
dictis diuersi esse poterunt: fuit enim annonæ caritas, de qua antea
diximus, eorum morborum, qui vulgabãtur, communis causa, sed
particulares uictus rationes, & alia enumerata diuersorum morbo
rum particulares causæ extiterunt, ut superius de Galeni sententia
dictum fuit, licet enim praui cibi diuersarum prediti facultatũ (ut
Galenus

Galenus inquit) diuersorum morborum causæ fuerint particulares, omnes tamen in unam communem causam conuenerunt: constat enim eos praua illa edulia ingessisse, bonorum ciborum inopia, quæ causa communis extitit eos cogens malis, & insuetis cibis uesci, quos non assumpsissent, si bonis non caruissent: adde quòd vnusquisque dictorum morborũ quos diuersos fuisse ex diuersa uictus ratione Galenus dixerat, non unum tantùm, sed multos uexauerat, qui eadem mala uictus ratione usi fuerunt: quo fit, ut hi morbi una de causa eodem tempore multis eueniẽtes, vulgares appellari mereantur, non autem dispersi, propterea quod illi propriè dispersi nũcupari merentur, qui eadem tempestate diuersos affligunt in unã communem causam minime coeũtes: Quare omnino fateri oportet uitiosos humores praua uictus ratione genitos uel bonorum ciborum inopia, uel haustu aquæ infectæ, uel alia huius generis causa morbi vulgaris, & pestilẽtis communem causam esse posse citra illam aeris corruptionem, quæ sola pestem gignere posit: Non tamen negauerim malos humores, cum pestem generant, ab aere, quo inspiratione utimur, momentum aliquod suscipere posse, ut Galeno placuisse constat, tametsi eo casu aer ipse sine magna humorum præparatione, qua facile putredinem suscipiãt, pestem procreare non ualeat, quo fit, ut in casu proposito ab humorum corruptela pestilentię communis causa petenda sit, non autem ab aere, ut efficitur, cum adeo corruptus est, ut inspiratione attractus possit vel humores, uel particulas etiam salubris corporis corrũpere. Primo de diff. feb. c. 4

Quænam corpora magis parata sint ad pestilentes morbos, num corpora meatus latos, an densos habentia: Cap. 5.

VErum minime negare debemus, eos & facilius, & celerius pestilentia corripi, quorum humores ad putredinem suscipiendam maiorem habent aptitudinem, licet æquè omnes corruptum aerem inspirent: Quare Galenus propositis febris pestilentis causis scripsit: Oportet enim hoc in toto sermone memoria repetere, quòd nulla causarum sine patientis aptitudine agere potest: alioquin omnes, qui sub æstiuo Sole commorantur, febricitarent, aut qui nimio motu exercentur, aut uini potu grauantur, aut ira excandescentes, aut tristitia afflicti febricitarent, alioquin etiam (vt arbitror) circa canis ortum ægrotarent, ac in pestilentiis morirentur, ac ut diximus magnam in generatione ægritudinum Loco prædicto. „ „ „ „ „ „ „

Tertio Ep. sect. 3. cō. 12.

partem habet eius, qui passurus est, habilitas corporis. Quam etiã ob causam dixit, meminisse oportere communem esse rationem non in omnibus humorem ab eodem statu putrem redditum easdem partes occupasse, cum etiam non omnium corpus eo statu eandem conditionem per naturam possideret, sed alia aliis pars esset infirmior, ut paulò superius etiam diximus: quam sententiam Aui. à Galeno mutuatus est: Veruntamen Aui. unius meminisse videtur, quod minime inter Galeni placita collocari meretur: scripsit enim corpora cutis meatus latos habẽtia, siue (ut ipse loquitur) dilatatorũ pororum, facilius morbis pestilentibus corripi, quàm quæ angustos, & densos meatus habent: cuius oppositum Galenus apertissimè profitetur. Et propterea inquit, quòd cum præuidisset aliquando tales temporum constitutiones, quales eæ fuerant, quas in lib. Epid. Hippo. de pestilentibus aeris statibus loquens suis temporibus contigisse testatus est, statim ab initio, quæ corpora humidiora uidebantur, sicca reddere, quæ uerò sicciora in pristinum habitum seruare. Et insuper quæ ex crementis redundabant, conuenientibus euacuationibus sanare, & demum obstructiones meatuum reserare, atque abstergere studebat: quo factum est, ut non parua cõtrouersia inter Medicos oborta fuerit, quorum nonnulli quidem huius, nonnulli uerò illius opinionis patrocinium susceperunt: qui verò corpora laxiora pestilẽtibus morbis esse magis obnoxia contendunt, Auicennam Galeno conciliare nituntur, dicentes duplicem esse meatuum angustiam, alterã quidem naturalem, cui eorundem meatuum naturalis latitudo est opposita, alteram verò ex accidenti à multis, & malis humoribus obortam, ipsos meatus obstruentibus, cui ex aduerso posita est ea meatuum latitudo, quæ obstructionibus reseratis efficitur: Quæ igitur corpora sua natura meatus habent angustiores, ab aere pestilenti minus læduntur quàm quæ illos habent natura laxiores: quod quidem Aui. uoluisse affirmant, quando priora quidem corpora frigida & sicca, posteriora uerò calida, & humida constant temperatura: Et ob id Rasis dixit frigida corpora, & sicca tutius quàm reliqua in aere pestilenti degere posse: cuius rationem assignantes aiũt, corpora latos meatus habentia, quia calidiora sunt, maiore aeris copia indigere, quẽ etiam ob meatuum latitudinem copiosiorem attrahunt: quare cũ putridus sit, & corruptus & facilius, & citius corpora inficit, cuius oppositum illis corporibus euenire satis constat, quę natura angustos meatus habentia, & frigidiora, & sicciora existentia non cogũ tur

Pria quarti tracta. 4. cap. 1.

17. cõtinentis cap. 6. uers⁹ finẽ.

tur magnam aeris copiam attrahere, quæ uero corpora meatibus constant ex accidenti angustioribus, ab aere pestilenti facilius ob malorum humorum multitudinem superantur, qui parati sunt, ut facile, & leui occasione putrescāt, & corrumpantur, & de huiusmo di corporibus Gal, loquutum fuisse dicunt: Et ob id Aui. ab eo non dissentire. Sed hi non uidentur rectam in loco citato Galeni sentē tiam deprehendisse, quam ut apertum efficiamus, oportet ut quædam prius explicemus ex eiusdem Galeni placitis excerpta. Animaduertendum est igitur scripsisse Galenum, quòd cum tres sint respirationis causæ, facultas nimirum uoluntaria, instrumenta facultati subseruentia, & tertia utilitas, propter quam prioribus egemus causis, quo fit, ut utilitas inter respirationis causas principem locum obtineat, utpote naturalis caloris commoderationem conseruans, & animalem spiritum in cerebro nutriens, quæ utique tum aeris inspirati qualitate & substantia, tum eius expiratione, quod ueluti fumosum est, perficiuntur, ut docet Galenus, quæ quidem inspiratio, & respiratio tametsi de Hippocratis sententia, teste eodem Galeno, communis sit omnibus corporis partibus, attamen cerebro quidem per nares, & cordi per pulmonem, reliquis uerò membris per arterias contingit, inde consequitur, ut opus sit tantum aeris per nares, & pulmonē, atque arterias attrahi, quod satis sit pro innati caloris commoderatione seruanda, & animalis spiritus nutritione: Verum si meatuum cutis angustia, seu naturalis seu ex accidenti prohibuerit, ut arteriæ tantum aeris attrahant, quantum necessitas exigit, cogetur cor reliquis mēbris suppetias ferre, atque illis tantum aeris iam attracti concedere, quod defectui suppleat, quod facile fieri posse constat, quando membranæ adnatæ ori magnæ arteriæ in cordis contractione intus extra reserantur: quare necesse erit maiorem aeris copiam per pulmonem inspirari, quàm cordis necessitati cōueniat: inditio hi sunt, qui demersis reliquis corporis partibus solo capite aquam supereminēt, tunc.n. per pulmonem attrahere maiorem aeris copiam, quàm antea coguntur: Hinc fit, quòd quanto plus aeris per arterias inspirabitur, tanto minus à pulmone cor suscipiet, à quo etiam minus suscipiet, si arteriæ latiores meatus habentes plus aeris, cùm dilatantur, attraxerint, quàm pro innati caloris totius corporis commoderatione seruanda satis fuerit, quando cor ea portione aeris frui potest, qua reliquum corporis abundat, neque .n. membranæ, quarū superius meminimus, quæ in cordis distensione extra intus claudūtur,

2. de differ. feb. cap. 4.

Li. de cau. respir.

Lib. prædicto, & de pulsuū usu.

ib. de usu respir. tur, omnino prohibent, ut nihil penitus ab arteria magna cor arripere queat, sicuti Galeno placuit, quamuis non diffitendum sit, q minus suscipiat, q̃ si minus clauderetur: Ex his modo sic explicatis unicuique satis constare pōt, q habentes meatus cutaneos, seu ex natura, seu ex accidenti densiores, & arctiores, & ob id prohibentes, ut arteriæ distentæ tantum aeris attrahant, quantum caloris naturalis custodia expostulat, cogentur plus aeris per pulmonem attrahere, quàm si meatus antedicti essent latiores: quod his minime conducit, qui in aere degunt pestilenti, satis enim constat maioris esse discriminis, ut aer putridus, & corruptus in corde & maiori copia, & diutius quàm in cæteris corporis partibus contineatur, inferius.n. declarabitur, hanc luem suę generationis initium in corde habentem sæuiora, atque difficiliora symptomata procreare, quàm si in aliqua alia corporis parte initium sumeret: Accedit ad hoc, quòd cum unum ex præcipuis, quæ in pestilenti constitutione seruanda esse docet Galenus, sit, ut corpus à superfluitatibus mundum seruetur, corpora autem laxiora, teste eodem Galeno in lib. de opti. corp. hab. si ad excrementa respicias salubriora sint, densiora uerò minus salubria, consequitur tutius esse, ut in prædicta pestilenti constitutione corpora laxiora, quàm dēsiora existāt, neque obscurum est Galenum in libro citato de opti. corpor. habi. de laxioribus, & densioribus corporibus, non quidem ex accidenti, sed ex eorum natura fuisse loquutum.

Primo de differ. feb. cap. 4.

Solutio rationum, quibus corpora rariora magis esse ad putredinem parata comprobabatur. Cap. 6.

QVod uerò dicunt, qui oppositam opinionem tutari conantur, laxiora quidem corpora calida esse, & humida, quæ putredini magis obnoxia sunt, dēsiora uerò frigida, & sicca, q̃ ob contrarias qualitates putredini obsistunt, nihil efficit, eò quia non omni ex parte, quod aiunt, uerum est, Galenus enim hunc in modum scribens [In omnibus uerò, de quibus supra diximus, & postea dicemus commune est temperaturæ inditium, si membrum facile frigefit, uel frigiditatis, uel raritatis: si uerò non facile, uel caliditatis, uel densitatis] innuit raritatem non semper cum caliditate, & densitatem non semper cum frigiditate coire: insuper cum dicimus laxiora corpora tutius quàm densiora in aere pestilenti degere, id intelligimus supposita in cæteris paritate: quacunque enim

Secundo artis med. ca 59. iuxta Leoni. diuis.

enim data temperatura, ea magis in aere pestilenti periculo uacat quæ meatibus cutaneis latioribus constat: uerum temperaturis inter se collatis, fateor calidam & humidam huic lui esse qualitatum similitudine magis obnoxiam, ut frigida, & sicca qualitatum oppositione ab ea minus lędi est aptissima: quæ uerò inter has mediæ sunt, ad offensionem etiam medio se habent modo, quarum ut quędam cum calida & humida, quædam cum frigida, & sicca temperatura maiorem habent affinitatem, ita etiam ad patiendum uel aptiores, uel ineptiores sunt: idem etiam de ætatibus intelligatur, quę temperaturis inter se dissident, ut satis patere arbitror: at qui corpora, quæ frigida & sicca constant temperatura, cùm naturales facultates ualde imbecilles habeant, multas superfluitates congerūt quas regimine caloris naturalis destitutas, atque nec per insensibilem difflationem, nec alia ratione euacuatus facilius ab aere corrupto tum aliàs, tum maxime per pulmonem attracto affici necesse est: Qua ratione Galenus inquit Hippo. scripsisse in ea pestilenti cōstitutione sexagenarios siue senes magis, q̃ iuuenes sacro igni secundum caput fuisse tentatos, quod etiam de aliis temperaturis cum hac affinitatem habentibus proportione dicatur: Nec mea quidem sententia putandum est Auicennam hac in re uoluisse Galeno aduersari, quem cum ei contradicit, non solet silentio præterire: Quare alterum duorum suspicandum est, uel literam Auicennæ corruptè legi, uel ipsum Auicennam dum hinc inde ex diuersis authoribus, & Galeno præcipuè suum librum Canonis colligeret, Galeni codicem habuisse deprauatum, quem fortasse locum perinde atque alios per multos, nisi fuisset morte præuentus emendasset, necnon & ea, de quibus in capitibus egit, melius, & accōmodatius digessisset: Neque enim credendum est, Auicennam uirum summi ingenii, & doctrinæ, qui libros, tractatus, & capita sui Canonis ordine non contemnendo dispoſuit, quę ad capita pertinent sine uera & conuenienti methodo, & ordine scripsisse ea lege, ut passim ab omnibus legerentur perinde ut impressa habentur. Taceant itaque qui nihil aliud studere uidētur, nisi ut Auicennam sine distinctione calumniis insectentur, ne cum bonos lacescere nō desierint, se infantissimi Thessali sectatores præ se ferant. Est itaque dicendum densiora corpora, & humores habentia ad putredinem suscipiendam paratos citius, & facilius peste infici: sunt autem humores ad putrescendum apti, qui in corporibus non probè affectis, nec bene spirabilibus tum in cibo & potu, tum in exercitatione, tum in uene-

Tertio Epi de. secti. 3. com. 22.

uenere, tum in somno, & uigilia, tumque in aliis id genus, quæ à nobis uitari non possunt, delinquentibus superabundant, in quibus omnibus si quis salubri constans corpore bene spirabili rectam rationem seruauerit, in pestilenti etiam aere degens, difficillimè à uitiosa aeris qualitate superabitur, qui aliquo etiam utens alexipharmaco sine noxa seruari poterit: proinde non est, quòd quis admiratione capiatur, si nonnulli cum peste affectis longo tempore uersati, nihil inde mali contrahant.

Conclusio dictorum de causis efficientibus morborum pestilentium. Cap. 7.

ERunt igitur duæ communes morborum vulgarium, & pestilẽtium causæ, aeris inquam corruptio, & humorum uitium, paruo momento ab aere suscepto, qui tametsi putridus, atque corruptus non sit, ita ut pestilens dici nequeat, sua tamen praua qualitate in causa est, ut humores ad putrescendum parati actu putrescãt, & morbos pestilentes generent, ut si Veris tempore cõtingeret aerem esse iusto frigidiorem, & ob id cutaneos meatus angustiores redderet, atque ea de causa consuetam inhiberet & uaporum exhalationem, & aeris conuenientis attractionem, hac ratione humores iam parati facillime putrescent. Eodem pariter modo aer iusto calidior, & humidior per arterias, & pulmonem attractus eosdem humores actu putridos redderet, tum qualitatibus ad generandam putredinem maxime aptis, tum assuetæ exhalationis paucitate, Galenus enim scripsit: Et. n. semper aliquis è corpore nostro uapor emanat, sed in siccis statibus plurimus, in humidis paucissimus. Itidem duarum prædictarum causarum utramque à pluribus fieri posse declaratum est, quãquàm magna ex parte morbi fiant pestilentes ex aeris circunstantis inspirationeà putrescibili exhalatione uitiati, ut Galenus affirmat: cum uerò quispiam aliqua de causa, quæ pluribus eodem morbo eadem tempestate laborantibus communis non sit, uitiosos humores congesserit, quibus pestilenti febre corripiatur, illa utique tametsi febris pestilens appelletur, non tamen pestis nuncupabitur, quãdo, ut Galenus ait, vnum de vulgaribus morbis pestis est: Et hæc altera est differentia, qua febrem pestilentem à peste distare nos superius ostensuros promiseramus: Qua de re quæ contagia citra aeris corruptionem, & talem humorum prauitatem, quæ ad pestis generationem

[Margin notes: 1. Epid. secti. 2. cõ. 8 — 1. de diff. feb. cap. 4. — 3. Epid. sec. 3. com. 20.]

requiritur, consuetudine accidunt, impropriè ab ineruditis pestis nomine donata fuerunt, quàmuis morbi pestilentes nuncupari mereantur. uerum quoniam unus aliquis pestilenti morbo uel ex communi, uel ex aliqua particulari causa oborto laborans aliquando ad purum aerem se offerens putridis exhalationibus tùm per pulmonem, tum per cutis meatus expiratis non modo purum aerem inficit, uerum etiam & uestes, & culcitras præsertim plumeas, & lintea, atque id genus alia, quibus utimur, quæ infecta, cũ in aliorum usum sumuntur, sunt in causa, ut eis utẽtes eodem morbo corripiantur, putridis inquam uaporibus in his suppellectilibus, & aere contentis per cutim, & pulmonem inspiratis, perinde atque in illis efficitur, qui in pestilenti aere degentes lue tandem afficiuntur: quæ contagio cum adeo multis quandoque communis ea ratione fiat, ut integram ciuitatem occupare uideatur, ob id à plerisque, & præsertim vulgaribus, pestis nomine nũcupari solet. Tertia etiam assignari potest differentia, Enimuero Galenus scripsit febris pestilentis calorem ab aliis febribus per putredinis excellentiam differre, ubi (ut ex loci illius lectione constat) manifestè apparet Galenum de febribus illis pestilentibus fuisse loquutum, quæ pestilentiæ tempestate procreari solent, quo fit, ut dicendum sit pestem magna ex parte maiorem, quàm febrem pestilentem putredinem admittere: dixi autem magna ex parte, propterea quòd nemo inficiari debet, febrem pestilentem corpus maxime pręparatum occupantem aliqua ex causa particulari fieri posse adeo ualida, ut nec cum minori putredine, nec minus sæuis accidentibus procreetur, quàm ea sint, quæ in peste euenire assolent.

6. Epid. secti. prima com. 29.

Quæ contagio sit, & cur nonnulli morbi sunt contagiosi, alij uerò non. Cap. 8.

VErum quoniam de morborum pestilentium putredine sæpe meminimus, quam multis contagione fieri posse diximus, propterea non erit ab re, si causam breuibus explicemus, cur ex his qui morbis ex putredine laborant, quidam contagione, quidam verò minime afficiantur, hoc autem commodius assequemur, si prius quid nam sit contagio, inuestigemus: Est igitur contagio infectio (ut nomen ipsum indicat) quæ ex contactu contrahi-

tur,cum autem idem ſeipſum tangere nequeat,ut contagio efficiatur,neceſſe eſt,ut duo ſaltim ſint, quorum alterum quidem inquinet,alterum uerò inquinationem ſuſcipiat:quare contagio erit inquinatio,quę cùm ex contactu contrahatur,ab uno in aliud tranſit, inſuper cum duo ſe contangant,non ſtatim neceſſe eſt, ut inquinatio,ſeu contagio efficiatur, etenim ſeinuicem contangentia ſi tantummodo aut calidiora,aut frigidiora,aut humidiora, aut ſicciora,aut ſecundum compoſitionem calidiora,& humidiora, uel calidiora,& ſicciora,ſiue frigidiora,& humidiora, ſiue frigidiora, & ſicciora reddantur,non propriè contagionem ſuſcepiſſe dicentur, ſed ſolam alterationem,ſiquidem contagio in mixta ſubſtátia uerſatur,quæ cum primo, quatenus totius ſubit rationem, corrumpitur,ut cum quid igne deuritur, haud cõtagio paritur, ſed cum eius particulæ inquinantur, qua inquinatione in ſecundo talis affectio gignitur,qualis ea eſt,quæ in primo reperitur,non tamen neceſſariò totum corrumpitur, tametſi quádoque totius etiam corruptio conſequatur:quæ uerò particulæ inficiuntur,minimæ ſunt, & ſenſum effugientes,quibus mixtio,atque compoſitio efficitur,nam ſi non ita forent,dubio procul neque in aerem,neque in linteamina, ſeu id tale genus commiſcerentur (cum per aerem,& ſimilia corpora inficiuntur) neque partes,quas inficere debent, facillime penetrarent:ob id Galenus particulas has peſtilentiæ ſemina nuncupat,propterea quòd ab his ueluti initiis, ac propaginibus corpora ad putreſcendum parata per contactum inficiuntur. Euaporant itaque minimæ quædam particulæ,è corporibus infectis,quæ in aliud contagionem inferũt, propterea quod duas has obtinent conditiones,nempè quòd craſſiuſculæ glutinoſævè ſunt, ac ualde putridæ, ſeu ſordidæ,ſi enim glutinoſæ, craſſævè non forent, priuſquàm in aliud contangens tranſeant,diſſoluerentur,at ſi putredo, aut ſordities non adeſſet inſignis,nullus ſanè in tangente putredinis, ſorditieivè fomes, ſed ſola alteratio,ut prædictum eſt,derelinquetur, etenim in febre tertiana aut cauſone licet corpora putredine affecta ſint,& ab his particulę quædam euaporent, quia tamen neque uiſcidæ,neque valde putridæ ſunt, ſed calidæ potius, ac ſiccæ tenueſque,per aerem delatæ, aut quid aliud medium aliud contangens non inficiunt,quoniam confeſtim euaneſcunt,priuſq̃ putredinis fomitem introducant,in lepra uero & ſcabie cum in cutis ſuperficie, ac in phtiſi per ſpuitionem uapores craſſi,ac ſordidi exhalẽt,

Primo de diff. febr. cap. 4.

con-

contangenti adhęrent quàm facillime, ac in illud impresſionem de ferunt, itidem in peste, ac febribus pestilentibus, cum è corporibus peste infectis particulæ nonnullæ craſſæ, & ualde putridæ diffluũt, aut immediate per contactum, aut medio aere, seu linteis, & huiuſ modi corpora inficiunt. Hęc igitur est causa breuibus enarrata, cur hi quidem morbi per contactum corpora inficiant, hi uerò non, at quòd in his quidem magis imprimantur, in his verò minus, supe rius à nobis expositum est, cum & ab Aristo. libris de physico audi tu declaratum sit, quòd ad ea, quæ symbola sunt, facilior est transi tus. Cæterum quòd contagiones aliæ quidem in superficie tantum sint, aliæ uerò in profundum ad solidas usque partes pertingant, aliæ rursus lętales, aliæ uerò absque ullo uitæ periculo cernantur, causæ non nisi ex uariis sorditiei, putredinisuè modis, ac partibus nobilibus, ignobilibusuè contagione infectis petendæ sunt: cum enim particulæ sordidæ craſsiores, ac minus acres cuti inhærent, ipsam duntaxat inficiunt, at si subtiliores, magis acres & spiritali- bus magis respondentes profundius immerguntur, ac solidas etiã occupant partes: quòd si cor ualde opprimant, citiſsime (ni prestò simus) hominem enecant, sicut econuerso non ualde mortales cõ- tagiones sunt, cum crus, aut brachium, aut cutis, aut quid tale mẽ- brum inficitur, quemadmodum in ea pestilenti constitutione 3. Epid. citato ab Hippo. descripta clarisſime uideri licet.

Num tertia causa pestilentiæ, quam Astronomi aſsignant, con- cedi poſsit, & quæ fuit Galeni, Aui. & Auerrois sententia.
Cap. 9.

NOn est autem prætermittendum, quòd cum præter duas pe- stilentiæ causas, de quibus hactenus sermo habitus est, unã aliam Astronomi causam aſsignent, quam ab aspectibus, & corporum superiorum coniunctionibus petunt, non parua est con tentio, an huiusmodi causa sit concedenda: non defuerũt enim nec desunt tum Philosophi, tum Medici, qui eam floccipẽdunt, putan- tes hæc sublunaria solo motu, & lumine à corporibus cœlestibus alterari, & permutari, negantes omnino illas particulares, quas A- stronomi uocant, influentias Auerroim sequuti, qui totis uiribus è philosophorum scholis eas explodere conatus est, quas Galenum manifestiſsime conceſsiſſe illis Medicis, qui de eius sentẽtia secus

Prima can tice: & se- cundo cę- li. Cap. 6.

 sentiunt

sentiunt, satis erit manifestum, si in 3. de diebus decretoriis illum
" ita scribentem audierit: Porrò illud denuò repetendum est, quod
" nos quoque obseruantes uerissimum semper esse comperimus ab
" Aegyptiis Astronomis inuentum, Lunam non modo ęgris, sed etiã
" sanis dies, quales tandem futuri sint, posse prænuntiare, si enim ad
" planetas temperatos steterit, quos iam & salutares latini ἀγαθοποιοὺς
" græci nominãt, faustos, ac bonos producere, si ad intẽperatos, gra
" ues, molestosque. Fingamus homine quodam nascente salutares
" planetas in Ariete, malignos in Tauro esse, is homo nimirum, cum
" Luna ĩ Ariete, Cancro, Libra, & Capricorno fuerit, pulchre deget,
" cum uerò Taurum ipsum, uel Tetragonũm aliquod, uel Diametrũ
" signum occupat, male tunc, & moleste uitam transiget: atque iam
" morborum initia huic, cum Luna in Tauro, Leone, Scorpio, & A-
" quario fuerit, pessima, sine periculo autem, & salutaria sunt, cum
" Arietem, Cãcrum, Libram, & Capricornum, Luna permeat: adhęc
" alterationes magnas, quas in Tetragonis, & Diametris per septi-
" manas fieri diximus, in lætalibus quidem morbis lætales & ipsas, in
" salubribus bonas inuenire necesse est. Quamobrem Hippocrates
" etiam damnat maxime immutationes, quæ in diebus decretoriis
" ad peiora declinant, quippe quòd lætalis morbi symptoma sit, quẽ-
" admodum (ut arbitror) benigni, seu ad sanitatem tendentis contra
" rium. Quòd si quis & huius ipsius causam, cur quadratæ, & diame-
" træ stationes sint potentissimæ, quærat, is longissimè à proposita
" disputatione digreditur, nam in presentiarum non primas causas
" omnium, quæ ad Astronomiam pertinent, sed quæ proposito no-
" stro cõducant, inquirere cogitamus: Et paucis interpositis subdit.
" Atque hoc præter quàm quòd Astronomis inconfesso est, integrũ
" est & ibi obseruare, sin autem huiusmodi deprecaris, nec his, qui
" obseruarunt, fidem adhibes, indubiè sophistarum ubique nũc ob-
strepentium aliquis es, qui ratione manifestò apparentia nos ap-
probare postulant, cum è contrariò ex euidenter apparentibus ab
ditorum ratiocinatio indaganda esset: Nescio qua ratione Gale-
nus potuisset clarius explicare, utram magis ex dictis opinionem
approbauerit: Quibus Galeni uerbis si hi sententiam minime mu-
tauerint, in eorum sophistarum numero, de quibus Galenus memi
nit, erunt sine controuersia collocandi. Quòd si quispiam (ut pleri
que faciunt) magis Auicennę quàm Galeno fidem adhibeat, is eũ
legat, ubi illum inueniet dicentem, Cęlestes formas, & figuras cau
sas

Prĩa quar ti tract. 4. cap. 1.

sas esse pestis remotas facientes esse necessarium illud (sic enim ip se loquitur, uel potius illius libri interpres) cuius aduentus ignora tur. Auerrois etiam scripsit non esse imposibile, ut duorum homi num, unius & eiusdem (ut ipse loquitur) temperatæ complexionis, æqualiter uno utentium regimine, unus quidem meliorem finem consequatur, quem naturali sua temperatura consequi poterat, al ter uerò congestis malis humoribus citius decumbat: cuius euentus causam particulares influentias concedentes, earundem particulariũ influentiarum diuersitatem in eorum ortu statuerent: Volunt enim Astronomi, cœlestes influentias ortui uniuscuiusque indiuidui præesse, quæ inter se disidentes tot sunt, quot existunt in diuidua: At Auerrois influentias illas non admittens, ut illius euen tus causam asignaret, ad obscuriora, & nobis ignotiora confugere coactus fuit, scribens ob malas præparationes fixas illud contin gere, quæ in indiuiduis præter accidentia è forma emanãtia tot exi stunt, quot sunt indiuiduorum naturæ, quare ut hæ, ita & illæ sunt ferè infinitæ, & ob id per signa haud à nobis cognosci possunt, à qui bus inquam præparationibus indiuiduorum uarietates oriuntur, & consequẽter tot indiuiduales proprietates, quot sunt indiuidua, quæ indiuidualis proprietas aliquando proprietati temperaturam sequenti ita aduersatur, ut licet indiuiduum, cuius illa est indiuidualis proprietas, proprietatis temperaturæ ratione longæuum esse deberet, ob indiuidualem tamen illam proprietatem citò morie tur; quæ materiæ præparationes fixæ, de quibus Auerrois meminit (vt ex eo colligitur) propterea fiunt, quòd cũ (ut ipse inquit) homo ultimum sit compositum, non ex quacunque materia gigni potest, sed necesse est, ut in hominis materia multæ præcesserint formæ, & complexiones, à quibus unumquodque indiuiduum suam indiuiduam suscipit proprietatem, quæ non adeo, ut illa temperaturæ aut formæ nobis est manifesta, quòd enim quicunque calida constãt, & sicca temperie proprietate polleant, qui facile irascantur, unicuique satis est manifestum, pariter etiam quòd cuicunque for ma inest magnetis, proprietas quoque insit, qua ferrum attrahat, satis perspicuum est, quæ uerò, & qualis sit cuiusque indiuidui proprietas, nos latere ipsemet Auerrois fassus est: quo fit, ut hæ indiuiduæ proprietates, quas Auerrois commentus est, magis sint explodendæ, quam Astronomorum influentiæ, ex quibus, qui longa & diligenti obseruatione usi sunt, tandem inuenerunt multos, & non

obscuros

collig. 9. cap. 1.

ob ſcuros euentus fuiſſe conſequutos. Poſſem equidem ex uariis euentis à me, & aliis diuerſis temporibus ſæpe obſeruatis, ſi non demonſtratione, ſaltim ratione, non modicam fidem afferente, prædictam tum Galeni, tum Auicennæ ſententiam comprobare, necnō & à cauillis eos defendere, quæ olim Ioannes ille Picus Mirandulanus Philoſophus ſua tempeſtate nemini ſecundus in tertio libro aduerſus Aſtrologos illis obiecit. Sed quoniam tum ab inſtituto nimis digrederemur, tum quia publicis noſtris lectionibus in aphoriſmi 24. ſecūdæ particulæ explicatione, quod ad dies attinet decretorios, illud perfecimus, iurè meritò ea miſſa faciemus.

Quomodo cœleſtia ſydera peſtem gignant, ac morbos peſtilentes. Cap. 10.

HIs itaque obſtinatis, qui nec obſeruantibus fidem uolunt adhibere, nec experiri patiuntur, omiſsis, fateamur nos peſtem ex ſuperioribus cauſis cœleſtibus oriri poſſe, perinde ut Aſtronomi autumant dicentes, quòd cum Saturnus, Iupiter, & Mars, uel ſaltim eorum duo in Piſce, uel Ariete, uel Scorpione ſimul coierint, quas coniunctiones Aſtronomi celebrari maximam, maiorem, mediam, & magnam appellant, aderuntq́ue ſtellarum fixarum, quæ animalium uenenatorum ſpeciem referunt, aſpectus, peſtilentes morbi procreari ſolent: pariter etiam Ecclypſes in ſignis prædictis contingentes, in quibus inſalubrium planetarum dominium extiterit, peſtilentiæ cauſa eſſe poſſunt, quam etiam Saturnus in Piſce, uel principio Tauri unà cum ſtellis uenenatorum animalium figuram ſeruantibus exiſtens gignere ualet; cuius quidem Saturni uis cum in Syria maxime uigeat, in cauſa eſt, ut perfecta ſeptem annorum periodo ſtatim eam regionem peſtis occupet; inſuper cum Sol Arietis, uel ſigni alicuius Tetragoni principium ingredi cęperit cum inſalubrium ſtellarum dominio, atque confirmatione deſumpta ex hora pręcedentium coniugationum, ſeu præuentionum Solis cum Luna non exigua futurę peſtis cauſa exiſtet: Hæ quidem ſunt potiores peſtis cauſæ, quæ à probatis Aſtronomis ex corporibus cœleſtibus ſumi aſſolent.

Tertia

Tertia pestilentiæ secundum Astronomos admissa causa, quomodo superius dicta, quòd duæ tantum sint pestis causæ, sibi inuicem constent. Cap. 11.

NEque ex nuper explicatis quispiam occasionem accipiens nobis obiiciat, plures inquàm duabus pestilentiæ causas fuisse à nobis enumeratas, quod quidem illi aduersatur, quod prius de Galeni sententia dixeramus, eas inquàm duas esse, nempè aeris corruptionem, & uitiosos humores congestos paruo momẽto ab aere suscepto, quandoquidem dictum etiam à nobis superius est, duas illas esse communes, & proximas pestilentiæ causas, quæ à pluribus particularibus, & remotioribus causis excitari possunt: quo fit, ut remotiores causæ minime pestem gignant, nisi prius aut aerem corrumpant, aut humores uitiosos reddant: qua ratione asserimus cœlestia sydera pestilentiam generare, siquidem cum astra insalubria; & alia, ex quibus hæc lues originem ducit, signa aereæ triplicitatis, qualia sunt Gemini, Libra, & Aquarius, occupant, totum ferè aerem corrumperent, quando causa uniuersalis existeret, nisi his alia salubriora sydera, & alii salubres stellarum aspectus opponerentur, quibus mitiora efficerentur: quod cum magna ex parte eueniat, eò fit, ut perquàm rarò totus aer corrumpatur. Quòd si aliquando contingeret, maxima omnium uiuentium pernities inde consequeretur: cum uerò astra insalubria ea signa aspicient, quæ humanam effigiem præ se ferunt, qualia sunt Gemini, Virgo, & Aquarius, citra aeris corruptionem humores hominum, & pręcipuè sanguinem adeo mala qualitate inficient, ut leui quacunque occasione illa putredine corripiantur, quæ citra pestem haud fieri solet: Et ita constat cęlestia luem hanc non producere, nisi prius alteram duarum causarum superius explicatarum procreauerint: Quòd Auicenna aperte sensisse uidetur, scribens hunc in modum: Immo oportet, ut scias, quòd causa prima longinqua ad illud sunt figuræ cęlestes, & propinquæ dispositiones terrestres, & quando faciunt necessariò uirtutes agentes cœlestes, & uirtutes patientes terrestres humectationem uehementem aeri, eleuãtur uapores, & fumi ad ipsum, & sparguntur in ipso, & putrefaciunt eum cum caliditate debili, & quando fit aer secundum hunc modum uenit ad cor, quare corrumpit complexionem spiritus, qui est in ipso, & putrefit, quod circũdat ipsum de humiditate, & accidit caliditas egressa

Primo de diffe. febr. cap. 4.

Prĩa quarti tract. 4. cap. 1.

sa à natura,& spargitur in corpore causa fluxibilitatis suæ,& fit febris pestilentialis: Ex Auicennæ uerbis nunc recitatis,& his,quæ loco citato prius dixerat, manifestè apparet, sensisse Auicennam non pestilentes modo, uerum etiam quaslibet aeris alterationes ad quamcunque tendentes qualitatem à cœlestibus formis,ut à prima causa originem ducere:quod non sine ratione,uel experientia ab eo,siue à quo illam sententiam desumpsit, scriptum fuisse arbitror,qua in re quæ in medium afferre possem,omittam,ne ab instituto nimium digrediamur. Omitto etiam illius pestilentiæ causam quæ à summo omnium Opifice ad punienda mundana scelera demittitur, cũ Medici munus non sit,quatenus Medicus est, sed Sacerdotis huius pestilentię causam depromere:Neq; audiendi sunt, qui contendunt Hippocratem scribentem: Pariter & si quid diuinũ „ in morbis habetur,illius quoque ediscere prouidentiam: uoluisse, „ oportere medicum prænoscere an morbus ob Deorum iram hominibus accidat,quando Galenus eo in loco illam expositionem confutãs dixit,quòd scriptor deridiculus foret,commendans rei cognitionem,quam nullo pacto docuerit:Quare inquit Hippocratẽ per diuinum intellexisse ambientis nos aeris conditionem,de qua in 3. particula aphorismorum sermonem habuisse constat: hæc de efficientibus pestilentis morbi causis dicta satis sint.

Primo prognost. con tex. 4.

De causis materialibus morbi pestilentis.
Cap. II.

CONsequens autem est, ut de materialibus agamus, etenim cum uarii pestilentes morbi(sicut antea de Galeni sententia dictum est)esse possint tum naturarum,tum uictuum diuersitate,quibus homines sani usi sunt,ipsos quoque uarias causas materiales habere necesse est,nempè sanguinem,pituitam, atque utranque bilem iuxta multiplices eorum præter naturam species atque commixtiones:qui quidem in corporibus congesti,& à communi causa pestilentem putredinem suscipientes,differentes postmodum producunt morborum pestilentium species, tum quidem sui ratione,tum etiam propterea,quòd ad diuersas partes deferuntur,quæ in corporibus uariis infirmiores esse contingunt, quales morbos fuisse constat ab Hippo.in 3. Epid. descriptos,ubi Hippo. pestilentem anni statum describens ait:Quòd annus fuit Austrinus

3. Epid. secti. 3. a primo cõtex. ad 7.

pluuius à uentis in totum silens: deinde ostendens qualis fuerit cuiusque partis anni constitutio subdit: Quòd cum paulò superioribus anni temporibus squallores pręcessissent, sub arcturum flante austro multum pluit, sub arcturi scilicet exortum, quo (ut Galenus asserit) aliquanto spatio autumnale æquinoctium præcedit, additque Hippo. Quòd autumnus multis nubibus non splendidis (ut Gal. inquit) umbrosus, nubilosus largè pluit: De hieme uerò ait, Hiems autem austrina, humida, & lenis, multo post Solis reuersionem circiter Aequinoctium, aspera erat extrema hiems: At de uere ita scripsit, Et iam sub Aequinoctium Boreas spirauit, & ninxit non ita diu: Ver rursus austrinum sine uentis, pluit multum, & continẽter ad canem usque. De æstate uerò sic: Aestus serena erat, & calida, magni erant æstus, Ethesię paruæ non perpetuò spirarunt: quod fuit in causa, ut æstus maiores extiterint: Insuper de subsequentis autumni parte priore scripsit: sub Arcturũ rursus spirante Borea multum pluit. Ex his integrum anni statum à dominantibus Hippo. colligens dixit, quòd totus annus fuit austrinus, humidus, & lenis, cum (ut Galenus asserit) parui omnino aquilones fuissent. Quo toto anni statu descripto subiecit Hippo. quòd per hiemem salubriter egerunt, quod utique (ut Gal. ait) propter superioris anni oppositum temperamentum euenit exceptis tabidis, qui scilicet (ut Gal. habet) huic uitio patebát. Deinde Hippo. morbos enumerans, qui ea tempestate uulgabantur, imprimis de sacro igne meminit, qui à biliosa fluxione ortum ducens duplici ratione (ut Galenus explicat) generari potest, etenim bilis defluens aut ea est, quę de more in nobis procreari solet, quæ apta est sacrum ignem efficere, si recte tractetur, non perniciosum, aut uitiosa est, ut quæ ab exuperante humida uentorum tranquillitate generatur, quę erodit, ac putrefacit, cacoethemq; affectũ reddit, qualis is extitit, cuius loco citato Hippocrates mẽtionem fecit: Et propterea inferius scripsit: Erat autem illa fluxio nõ adsimilis puri, uerum quędam alia putredo: Et Gal. in illius contextus expositione asseruit: Hippocrates tibi indicauit, quod nos sæpe iam diximus, corporis humores propter humiditatem, & aeris tranquillitatem computruisse, atque iccirco purem non generauit: pus enim (ut ait Gal.) semimalam habet transmutationem, quę uerò transmutatio simpliciter mala est, cum putrefactione sit olida, ut quę simpliciter est optima partes nutrit animalis, quippe ut hęc à so-

Cont. 8.

Com. 9.

Secunda apho. p 47

lo calore naturali, ita ſimpliciter mala à ſolo calore extra naturam efficitur, pus uerò à duplici calore & naturali, & extra naturam gignitur. Huiuſmodi itaque ſacrũ ignem illos potisſimum uexaſſe inquit Gal. qui & ſua natura eſſent bilioſiores, & uictus ratione maiorem humoris bilioſi copiam congesſiſſent, cuius humoris generationi fuit adiumento ſquallida temporum præcedentium temperatura: ut non detineretur, & non difflaretur, in cauſa extitit frigida, & humida temporum ſubſequentium conſtitutio, enimuerò alibi ſcripſit Galenus, quòd in ſiccis ſtatibus plurimus uapor in humidis paucisſimus emanat: qua de cauſa dixit Hippo. quòd ante Ver unà cũ frigoribus conſequutis ſacer ignis frequens quoſdam aliquam ob leuem cauſam externam affecit, quoſdam uerò non, ſed ſponte, qui morbus primus uulgari cęperat: Nec omnes, qui hoc morbo fuerunt correpti, eadem parte afficiebantur, quibuſdam enim humor aliquam ex ſummis partibus occupans caput uidelicet, uel brachium, uel pudenda, uel femur, uel crus, uel pedem, uel anteriora latera, uel poſteriora, uel quamcunque aliam partem, quæ erat fluentẽ humorẽ magis apta recipere, illam adeo affligebat, ut abſceſſu ad ſuppurationem deducto, illius ſubſtantia peſtilentis putredinis ui corrumperetur, quo efficiebatur, ut multis brachium, uel ſolidus cubitus decideret, nonnullis totum femur, uel tibiæ denudarentur, pesque totus, alijs uerò totum caput de pile efficeretur, & mentum, oſſaque nuda redderẽtur: maxime autem omnium (dicit Hippo.) pudenda offendebantur, quòd ſuapte natura leuisſimè putreſcant, quę inquam omnia aliàs cum febre, aliàs citra febrem (ut Hippo. inquit) eueniebant, & ex his, quibus partes marceſcebant, plurimi ſuperſtites euaſerunt, emisſis nimirum prauis humoribus unà cum earum partium ſubſtantia, quæ illorum uitio corrumpebatur: Pariter etiam dicit Hippo. Ex his non pauci liberati fuerunt, quibus aut aluus commode turbabatur, aut urinæ bonæ excernebantur, quando corrupti humores ſimul cum urinis & uentris profluuio excreti, tametſi dum excernerentur, non leui moleſtia ęgrotantes afficerent, eorum tamen euacuatione uniuerſo corpori maximum adiumentum attulerunt: Hi utique ſacri ignes initio ueris oriri cęperunt, quorum generatio per æſtatem, & uſque ad autumnum perdurauit: Alios etiam uarios morbos (affirmat Hippo.) mortales vere moleſtare cępiſſe, quales fuerunt febres ardentes, & phrenitides, febres quidem arden-

Cont. 9.

Prio Epid. ſect. 1. cõ. 8.

Contex. 9.

Conte. 26.

Cõte. 29.

dentes biliosis excrementis (ut Galenus. asserit) in iecur, & uentrem inuadentibus, phrenitides uerò eisdem excrementis caput petentibus, quarum febrium symptomata, & inditia inferius explicabimus: præterea quoniam tempestas iam explicata (ut Galenus scribit) uitiosos in corpore humores acceruabat, & illis caput replebat, quod omnibus morbis erat commune, ea propter prauis humoribus praua aeris ambientis constitutione genitis capite oppleto his pręsertim, quibus sua sponte prompte replebatur, multi affectus euenerunt, siquidem humoribus ad oculos uergentibus, quoniam diuersis constabant partibus, nempè tenuioribus, & crassioribus, ut ferè semper in tranquillis, calidis, & humidis tempestatibus, teste Galeno, fieri solet: propterea tenues quidem partes exire tentantes (ut Hippo. affirmauit) lippitudines, humidas, lōgas, diuturnas, laboriosasque generarunt, crassiores uero in palpebrarum genis foris, & intus germina ficos appellata, quę multorum perderent aciem, quod autem crassi humoris in imis oculorum partibus continebatur, dolores excitabat: humoribus autem ad inferiores partes defluentibus, eos primo fauces, ora, lingua, & dentes excipiebant: quare iure meritò fauces tuberculis laborabant, ora aphtis uitiabantur, & linguæ inflammationes, abscessusque secūdum dētes efficiebantur, ac uox afficiebatur faucibus abunde, & gutture destillationibus irrigatis: Deinde fluxiones ulterius pro gredientes, in pulmonibus quidem decumbentes, tabem gignebāt, his potissimum qui frigido, & humido constabant temperamento, & scapulis in alarum morem prominentibus, de quibus Hippo. & Gal. meminerunt, quam utique tabem & tussis, quę quandoque sicca est, & uox uitiata per se comitari solent: In uentriculo uerò tensiones, nauseas, uomitus (ut ait Aui.) bilis ut plurimum flauę, nonunquā ēt & atrę inquietudines, angores, ac animi defectus ob cordis consensum, & ciborum fastidium inducebant, atque potionis inappetentia à pestilenti humore in uentriculum confluente illa corrupta facultate, qua cibum & potum appetimus, ut etiam imbecilli reddita retentrice facultate lienterię efficiebantur: ex his uerò, in quibus appetendi facultas seruabatur, quidam sitibundi efficiebantur, excellente nimirum putrido calore, quidam uerò non eo calore nondum excellente: in aluis autem illas turbabant, ac pręcordiorū tensiones, tormina dolorifica, tenesmosque procreabant, pręsertim pueris nondū pubertatē attingētibus partim ętatis

3. epid. sec. 3. com. 70.

3. epid. sec. 3. com. 49.

3. Epi. sec. 3. 70.

Prīa quarti tract. 4. cap. 2.

humiditate,partim ciborũ corruptione,quorũ maiorẽ copiã,q̃ eis conueniat,ſolent ingerere, necnon & inteſtinorum difficultates, ac uẽtris profluuia,bilioſa,pinguia,tenuia,aquoſa,& id genus alia pro humorum differentia, qui diuerſis in hominibus tum naturæ, tum ætatum,tum uictuum diuerſitate diuerſi aceruabantur,neque tamen uacuationes ob eorum,quæ ſuppreſſa erant,multitudine dolores tollebant: At renes occupantes,ac mordicantes, doloresq́ue afficientes,urinas turbabant,quæ inæquales, & multæ non ex potu ingeſto excernebantur;uitioſæ albę ſine coctione,plurimiſq́ue colliquationem,diuturnitatem,& nulla,uel mala iudicia portendentes: Iecur uerò detinentes, ac eius facultatem labefactantes,in eo quodcunque morbi genus,in temperatura ſcilicet, compoſitione, & unitate,atque aquam inter cutim excitabant:pariter etiam & lienem petentes,eadem mala generabant, quæ omnia ab humoribus uitioſis,putridis,& mordicantibus, partiumq́; facultates perturbãtibus efficiebantur,qui humores quando diuerſis conſtabant partibus,tenuioribus ſcilicet,& craſsioribus, perſæpe in cutim erumpẽtes,tenuibus quidem partibus ſerpẽtia ulcera magna, craſsioribus uerò magnas papulas producebant: æſtate uerò, quia ob uitioſos humores in corpore commorantes putredo inualuit,multi carbunculi generabantur, qui natura ſua periculoſi perpetuò exiſtentes, quòd calidis,craſsis, ac uitioſis conſtent humoribus, addita peſtilẽti putredine perniciosiſsimi reddebantur: inſuper qui craſſorum ac frigidorum humorum in capite exiſtentium,uel ad caput uapores mittentium,maiori copia abundabant, graui ſopore tenebantur: qui uerò tenuium putridorum maiorem copiam continebant, pro illorum multitudine craſſorum & frigidorum comparatione, aut tenuibus,& paruis ſomnis,aut uigilanti ſopore occupabantur: Ex his uerò, qui aliquo dolore cruciabantur, uigiliis cum laboribus detinebantur: inſuper Hippo.ſcripſit,quòd in eo peſtilenti ſta-
3.Epi. ſec. 3.64. tu multa pręterea febrium alia genera uulgabantur,tertianarum,
„ quartanarum, nocturnarum, continuarum, longarum, uagarum,
„ faſtidioſarum, inconſtantium: Quam quidem partem explicans
„ Gal.aſſerit:Quia humores noxij erant diuerſi,ideo cum alii morbi,
„ tum plura iam inciderunt febrium genera,meminit autem inter-
„ mittentium, quę numero tres ſunt, quotidianarum,tertianarum,
„ quartanarum: tertianarum quidem & quartanarum nominatim
„ primum,quotidianarum uerò dicendo nocturnarum: ex proxime

declara-

declaratis qui arbitrantur febres pestilentes ex solo sanguine putrescente procreari, atque non nisi continentes acutas, & breues esse posse, uti discant uelim nunquid Hippo. & Galenus suę opinioni adstipulentur, cum enim Hippo. dixerit fluxiones, quibus sacer ignis pestilens hanc, uel illam partem occupans corrumpebat, aliquando cum febre, aliquando sine febre extitisse, quem sacrum ignem Galenus scripsit ex flaua bile praua, erodente, & putrescente fieri, cui dubiũ esse potest fuisse Hipp. & Gal. decretũ febrẽ pestilẽtẽ non ex solo sanguine, sed etiam ex flaua bile putrescẽte profisisci? insuper cum Hippo. & Galenus uerbis superius recitatis affirmauerint in eo pestilenti statu multa febrium genera uulgata fuisse tertianarum, quartanarum, & quotidianarum pro humorum noxiorum diuersitate, easque febres (ut in expositione Galenus inquit) intermittentes, & plerisque (ut Hippo. ait) longas fuisse, atque uel difficulter, uel non omnino iudicatas fuisse, uel productas ita, ut nonnulli ad octuagesimum diem fuerint iudicati, manifestissime constat eos uoluisse febres pestilentes etiam ex aliis humoribus fieri posse, neque perpetuò continentes, acutas, & breues existere. Quòd utique de Hippocratis, & Galeni sententia morbi pestilentes cum febribus intermittentibus esse possint facile declaratur, Hippocrates namque recitans quomodo sacer ignis pestilens diuersas corporis partes tractauerat, ait, quòd his aliquando adiuncta erat febris, aliquando non, Galenus uerò in expositione dixit: Peiora enim erant, in quibus in profundum secessit humor ignem sacrum efficiens, cum in uiscera se, & in principes partes conferens, præter alia symptomata, febres etiam acutas generabat: Quibusdam tamen, quibus in summo erat eiuscemodi putredo, partes etiam citra febres marcescebant, quorum quidam hac de re præcipuè incolumes euaserunt, uitiosis humoribus simul cum ipsis partibus, quas hi putrefecerant, emissis: cum enim pestilens morbus & cum febre continua, & citra omne febris genus possit ægrotantes inuadere, minus autem febris continua ab intermittente distet, quàm ab infebricitatione, necessariò consequitur, quòd etiam morbus pestilens cum febre intermittente poterit mortales afficere, cum præsertim humor pestilens se in uiscera conferens principes partes non occupauerit, quæ potius ualidæ existentes potuerunt humorem noxium ad ignobiliores, & imbecilliores partes trudere: simili nanque

Cont. 25
Com. 5.
3. Epi. sec. 3. 64.
Cont. 65.
Cont. 25. Prędicti libri & sec.

Primo de tempor. cap. 8.

que ratione Galenus utitur, eos redarguens, qui concedentes compoſitas inueniri temperaturas, ſimplices omnino reſpuebant. atque hæc de cauſis materialibus ſat dicta ſufficiant, ut tandem huic primo libro finem imponamus, in altero nãque de ſignis poſt modum agemus.

Libri primi finis.

ODDI DE ODDIS
DE PESTIS ET PESTIFERORVM AFFECTVVM SIGNIS
LIBER II.

Quot sint signorum genera, & de quibus prius agendum: Cap. 1.



Actenvs satis superque declarauimus, quæ, & quot sint pestilentię causæ, tum efficientes, tum etiam materiales, quæ uerè, & propriè pestis appellatur, aggrediemur autem præsenti libro de ipsius signis. Cum autē hęc triplicia sint: prognostica seu prænunciatiua, quæ futuram pestem prænunciant, indicatiua, quæ pręsentem ostendunt, ac rememoratiua, quæ præterita memorię subiiciunt: prius quidem de prognosticis agemus, dein de indicatiuis, mox de rememoratiuis, quandoquidem consumati, & circunspecti Medici munus est, prius homines ab imminenti lue præseruare, qui uerò illam euitare non ualuerunt, aut nescierunt deinde adhibitis conuenientibus auxiliis quantum uires humanę pręstare possunt, operam dare, ut ab illa eosdem liberent: demum curare, ut ea corpora, quæ huiusmodi morbo demortua fuerint, atque illorum supellectilia ita tractentur, ut quę nondum infecta fuerint, minime commaculentur: Ab his igitur, quæ futuram pestem prænunciant, signis exordium sumamus.

De prognosticis pestilentię signis: Cap. 2.

Cvm itaque prius dictum sit pestem fieri aut aeris corruptione, aut ex humorum prauitate, paruo momento ab aere suscepto, erunt signa futuræ pestis prænunciatiua, aut aeris corruptionem, aut humorum malitiam declarantia: Ex annonę quidē caritate (ut superius de Galeni sentētia explicauimus) humores generari uitiosos necesse est: quo fit ut annonæ caritas futurā pestem

pestem prænunciet, quæ ex deprauatis humoribus originem ducet: pariter aquæ infectæ, uel fructuum cerealium semiputridorum usus, aut obsidione, aut alia de causa pestem ex malis succis futuram significabit: Quæ uerò pestem prænuncient, quæ ex aeris corruptione futura sit, multa & diuersa esse possunt, ut multæ etiã, & diuersæ causæ queunt existere, quibus aeris corruptio fieri contingit, quæ causæ cum existunt, & sensibus subiiciuntur, aut huiusmodi causas significãtia sunt pestilẽtię signa, quę aeris corruptionẽ consequetur: potest autem aer corruptus reddi uel à putridis exhalationibus eleuatis, aut ab his, quæ terra continet, aut ab aquis infectis, aut uentis ab inquinata regione delatis, uel ex pestilenti anni statu: enimuerò si putridi uapores ab his, quæ terra continet, in aerem attollantur, id quidem duplici ratione fieri poterit, propterea quod aut ab his, quæ in terrę superficie resident eleuantur, qualia sunt eorum cadauera, qui in prælio ceciderunt, & id genus alia, de quorum nonnullis in superioribus mentio facta est, quæ omnia ab unoquoque facile deprehendi possunt, aut ab his expirant, quę in terrę uisceribus latent: quod Aui. ait significari eo quòd mures, & alia animalia in terrę latibulis degentia assuetas habitationes deserentia, ad terrę superficiem aufugiunt, atque ueluti ebria uno loco stare nequeunt: Aetius autem de pestilentia agens ex Ruffo inquit, quòd si pestilentia ob terrarum exhalationes efficietur, quadrupedum erit prima calamitas, cuius nos rationem assignantes dicimus, quòd cum terrę nascentia prima corruptos uapores suscipiant, rationi consentaneum est, ut etiam animalia herbas depascentia, malum prima persentiant: quòd si quandoque motu terrę, uel aliqua alia de causa magnus fiat terrę hiatus, ex quo putridę exhalationes aerem petentes illum inficiant priusquam plantis putridi uapores manifeste communicentur, erit utique motus terrę, nec non & eius hiatus signum futuram pestem prænuntians: Si uerò halitus, quo aer pestilens redditur ex aquis infectis, aut locis ad eas aquas spectantibus expirauerint, Pisces in his aquis degentes putrida illa qualitate affecti priores decedere cõspicientur: Sin aũt contingat aerem corrũpi uaporum putridorum mixtura, qui à uentis flantibus ex lue affecta regione ad salubrem fuerint delati, id ex inquinata regione, & uẽtorum flatu prænuntiabitur, & ut Aetius inquit, priores aues uiolabit contagio, quæ imminens malum aufugientes, ut scribit Aui. proprios nidos,

Pría quar. ti tract. 4 cap. 3.

Li. 5. c. 95.

Loco prędicto.

nidos, & oua deserent: Quòd si ex calido, & humido anni statu aer putredinem contraxerit, ex eiusdem anni tẽporibus propriam constitutionem non seruantibus, sed magna ex parte ad calidam, & humidã exuberanter uergentibus dignoscetur: Quod etiam patefiet ex insueta illorũ animaliũ multitudine, quæ ex putredine generãtur, qualia sũt (ut habet Aui.) ranarum, & reptilium genera: insuper & mures, & muscę, & erucæ, & culices, & papiliones, & scarabei, & locustę, & reliquæ id genus animalium species, quæ sunt putredinis soboles: itidem aer putrescere incipiens aues priores lędet: quod perinde fit, atque cum ex peregrina regione putridus uapor delatus salubrem aerem contaminat; Aui. etiam autumat ignea simulachra, ut stellarum cadentium, flammarum ardentium, cometarum, & similium, quę à siccis exhalationibus producuntur, futuram pestem ostendere.

Num igneę imagines futuræ pestis indicia sint. **Cap. 3.**

QVod nonnulli an uerum sit in dubium reuocantes, inquiunt non esse satis consonũ, ut hmõi imagines ex aridis uaporibus genitæ pestem prænuntient, quæ immoderãtam aeris humiditatem est consequutura: cui dubitationi nonnulli occurrentes aiunt, aerem humidum appellari, cui uapores siue humidi, siue sicci fuerint commixti, qui aer quauis ratione humidus, & potest putrescere, & pestem generare. Sed hi audiãt Aui. ad uerbum ita scribẽtem: Cum. n. in hoc loco dicimus aerem humidum, & aerem siccum, non intelligimus eius formam, neque eius qualitatem naturalem, neque de hac in hoc loco cogitamus, aut multũ sollicitamur, & cum aerem dicimus humidum, non uolumus intelligere nisi aerem, cui admixti fuerint uapores multi aquosi, aut aerem, cuius spissitudo cõuersa fuit ad similitudinem uaporis aquosi, & aerem dicimus siccum, aerem uidelicet, ex quo resolutum fuit quod de humoribus aquosis ei erat admixtum, aut se conuertit ad similitudinem substantiæ ignis propter raritatem, aut cum quo admixti fuerunt terrestres fumi, qui terræ in sua siccitate similantur: Quibus Auicennæ uerbis adeo manifeste cõstat, illam responsionem erroneam esse, ut nulla alia indigeat confutatione. Puto itaque hoc in loco idem Auic. contigisse, quod aliis etiam in locis illi euenisse superius diximus, cum enim Hippo. in 3. Epid. descripsisset anni statum, quem communis pestis ex aeris corruptione con-

Secũda primi doct. 2. cap. 3.

Se. 3. a principio.

sequuta est, Auicēna ex eo loco omnia colligēs, quæ scripsit ea ita indistincte, obscure, & illimitate literis prodidit, ut multis qui locum Hippo. non legerant, aberrandi dederit occasionem: quod utique non accidisset, si Auic. suum Canonis librum emendare ualuisset. Vt igitur ueram Auic. sententiam teneamus, uideamus, quæ Hippocrates scripsit: ea autem ita se habent: Annus austrinus pluuius in totum silens: Verum quia ut (Gal. eum locum explicans inquit) Hippocrates in principio secundi Epid. cuiusdam tempestatis huic similis meminerat scribens: Erant in Cranone carbūculi ęstiui, pluerat per æstum largo imbri, idque assidue, acciderant autem magis austro. Quæ tempestas ab illa superiori eò differt, ꝙ in illa quidem dixit, aerem toto anno propriam non seruasse constitutionem, in hac uerò, æstate solum: insuper in illa addidit: A uētis in totum silens; in hac uerò minime, in qua tamen tempestate illius secundi libri morbi repente euenerunt, quod in illa tertii libri prius dicta minime factum fuisse dixit Hippo. inquiens: Cum esset totus annus austrinus, humidus, & lenis per hiemem quidem salubriter egerunt, præter tabidos: Cuius oppositum potius futurum quis potuisset facile arbitrari, cum illa tertii Epid. aeris intēperantia diuturnior fuerit: propter a ut huius diuersitatis causā assignaret Hippo. post illa tertii. Epid. sect. uerba superius recitata, statim in secundo contextu subiecit: Cum paulo superioribus anni temporibus squallores præcessissent sub arcturum flante austro multum pluit. Ob id Gal. dixit, quod licet ea tempestas esset repentina, haud tamen homines magnopere offendit propter superioris anni squallidi temperamentum: Auicenna itaque cum intenderet futuræ illius pestilentiæ signa declarare, quam ex Hippocrate explicauimus, asserit igneas illas imagines futuram pestem ostendere: quod utique non absolute intelligendum est: sunt enim illius tā tummodo futuræ pestis signa, de qua ex Hippocrate diximus, quandoquidem ex præcedente squallida temporum cōstitutione squallidi uapores geniti potuerunt igneas illas imagines procreare, quę etiam solæ futuram eam pestem non declarant, nisi calida & humida aeris constitutio squallidam consequatur, quippe quæ si non consequeretῡ, neque etiam ex sola squallida constitutione præcedente posset pestilentia generari: Et propterea cū Auicenna de igneis simulachris meminisset, statim subiecit, illud etiā significari qn̄ Auster, & subsolanus per multos dies multiplicātur: Quæ duo non separatim, sed coniunctim (ut dictum est) pestem illam futu-

Marginal notes:
Pria quarti tract. 4. cap. 3.
3. lib. Epi. sectio. 3. a principio.
8. cont. 3. lib. & sect. Epid.
1. cōt. & 2.
Com. 8.
principio tertii capitis.

ram indicant: Quod tamen Aui. non adeo aperte, ut Hippo. innuit, cum uerbis superius allegatis ita scripsit: Cum paulò superioribus anni temporibus squallores præcessissent, sub arcturum flante austro multum pluit. Verum Auicenna præcedentis squalidæ constitutionis loco de igneis imaginibus meminit, quæ illius siccę constitutionis soboles existunt, deinde calidę & humidæ constitutionis mentionem ita subiecit, ut non pauci crediderint eum de diuersis futurę pestilentiæ signis meminisse: Nisi quispiā fortè dicat, igneas illas imagines, aliquas siderum coniūctiones significare, quas calida & humida aeris constitutio, uel praui humores consequentes pestem generabūt: Et ob id fortè dixit Auicenna, quod pestilētiam indicant indicatione causæ, quatenus scilicet aspectus cęlestes ostēdunt, à quibus ut à remotis causis (sicut superius diximus) pestis originem ducit: quod inquàm si nos approbauerimus, ea quidem simulachra inter illa signa reponemus, quæ ab Astronomis petenda sunt, etenim cum earum cōiunctionum, uel aspectuum, de quibus superius meminimus aliquis aderit, imprimis futuras imagines, deinde calidam, & humidam aeris constitutionem, ac eius corruptionem, & tandem futuram pestem prænuntiabunt, quo fit ut etiam imagines futuram pestem indicent.

De Cometis aduersus Aristo. Cap. 4.

VErū quoniā superius Cometas inter ignea simulachra collocauimus, quę ex siccis exhalationibus originē ducunt, propterea puto nō esse silētio prætereūdū, nō modicā esse ambiguitatē, an uerū sit cometas ex crassioribus generari exhalationibus, atq; tādiu perdurare, quādiu alimētū, quo nutriuntur, præstò est, ut uoluisse uidetur Aristoteles in primo metheo. quo fit, ut magna ex parte circa septentrionem, ubi aer pigrior est, appareant, siquidē huic Aristotelis opinioni illud apertissime aduersatur, quippe ꝙ siue ex aere, siue ex igne hos cometas aut in aere, aut in igne dixeris procreari, & detineri, minime fieri posse uidet͂, ut ex rebus, & in rebus adeo fugacibus, & mutabilibus quidpiam fieri, & contineri possit, quod non per breue quidem temporis spatium, sed & per hebdomadas, & mēses citra sensilem aliquam mutationem eādem semper speciē prę se ferat, quod cometis aliquando accidisse & uidimus, & literis proditū est, quales illos extitisse literarū monumentis mandatum est, qui Neronis, & Claudiani temporibus,

per sex menses, nullã mutationem suscipientes, apparuerunt. Quid enim per Deum immortalem excogitari, fingive potest, quod in causã sit, ut Cometę, & eorum alimentum nec qualitate, nec quantitate, nec etiam loco toto eo tempore mutetur? cum non modo reliqua omnia quæ in aere, & ex aere sua natura mutabili continentur, & fiunt breuissimo tempore durent, uerum etiam ipse aer nunquã uideatur in eodem statu diu permanere, sed nubibus sępissime, & pluuia perturbetur, uẽtisque adeo agitetur, ut non cometa modo ex uapore quantumcunque crasso genitus, & eius alimentum, sed etiam res solidor, & stabilior locum saltem mutare cogerẽt: Quod si quis respõdens, diceret non esse id admiratione dignum, quando illud idem illi uiæ accidit, quam lacteam appellant is non ignoret ponentes uiã lacteam, eandem semper speciem seruantem, ex uaporibus procreari ob assignatam causam magis eadem angi difficultate, quando quidem cometæ non perpetuò, hæc uero perpetuò eadem persistere uidetur: Quare non ab re Seneca 7.' libro suarum naturalium quæstionum scripsit Cometas fortasse stellas esse erraticas suos circulos habentes, quibus itinere mouentur à signifero secedente: Quod aũt Aris. obiecit, cometas nempè inter stellas erraticas nõ enumerari, ꝓpterea ꝙ nulla erratica à circulo animalium deficit, nihil efficit, quis enim (inquit Seneca) unũ
„ stellis limitẽ ponit? quis in angustum diuina compellit? Dein sub
„ dit: Vide ne hoc magis deceat magnitudinem mundi, ut in multa
„ itinera diuisus sit, nec hanc una deterat semitam, cęteris partibus
„ torpeat, credis autẽ in hoc maximo & pulcherrimo corpore in-
„ ter enumerabiles stellas, quæ noctem decore uario distingunt,
„ quæ aera minime uacuum, & inertem esse patiuntur, quinque so
„ las esse, quibus exercere se liceat, cæteras stare, fixum & immobilẽ
„ populum? si quis hoc loco (subdit Seneca) me interrogauerit,
„ quare ergo non quemadmodum quinque stellarum, in harum ob-
„ seruatus est cursus? huic ego respondebo, multa sunt, quæ esse con
„ cedimus, qualia sunt ignoramus, habere nos animum, cuius impe
„ rio & impellimur, & reuocamur, omnes fatebuntur, quid tamen sit
„ animus ille rector, dominusque nostri non magis tibi quisquã ex-
„ pediet quàm ubi sit: alius illum dicet esse spiritũ, alius concentũ
„ quendam, alius uim diuinam, & Dei partem, alius tenuissimum ae-
„ rem, alius incorporalem potentiam, non deerit qui sanguinem di-
„ cat, qui calorem: adeo animo non potest liquere de cæteris rebus,
„ ut adhuc ipse se quærat: Quid ergò miramur cometas tam rarum

mundi spectaculum, nondum teneri legibus certis, nec initia illorũ finesque notescere, quorũ ex ingentibus interuallis recursus est? pariter etiam non illud Aristotelis conuincit loco citato, uidelicet plures uno cometas eodem tempore sæpe apparuisse, propterea ꝙ non unum tãtum, sed plures, & diuersos fatemur cometas esse posse, qui diuersis circulis diuersos habent motus: Quòd uerò aliàs conspiciantur, aliàs sensum effugiant, cęlum non omni ex parte æque peruium in causa esse potest. Hęc quæ de cometis hactenus explicauimus, non quidem necessariò, sed esse posse dicimus, quando nulla demonstratione hoc uel illud de eis concludi ualeat: sed quicquid sit, ut Aristoteles illos tempestatem, & uentorum atque imbrium intemperantiam (ut ei Seneca attribuit, ut uerò ex primo metheo. libro colligitur, siccitatem, & aeris squalorem significare autumat) ita etiam Astronomi experientia docti eosdem futuram pestem prænuntiare asseuerant.

Quomodo syderum coniunctiones pestem præostendere possunt: Cap. 5.

NOn tamen opinari oportet, quòd cùm syderum coniunctiones, de qbus antea sermo habitus est, absolutæ fuerint, quàm primum vel aer corrumpetur, vel mali humores orientur, quos statim pestilentia consequetur: non enim me præterit anno 1524. multas astrorum coniunctiones conuenisse, pestem futurã ostendentes, qua tamen solummodo anno 1527. & 1528. homines correpti sunt: accidit autem, ut pestiferæ syderum coniunctiones modo serius, modo citius suum venenum iaculentur, propterea quòd salubres astrorum coniunctiones illis oppositæ, siue præcedentes, siue subsequentes, siue eodem, quo insalubres tempore euenientes, modo validius, modo debilius aduersus eas reluctãtur, quòd si nihil omnino eis remitteretur, paruo nimirum interposito spatio, maxima cum moralium iactura vim suam ostenderent: tale quid accidisse constat in duabus tempestatibus, altera in secundo, altera in tertio Epidemiorum libro ab Hippo. descriptis, de quibus in superioribus diximus, siquidẽ in Cranone ex praua æstatis constitutione calida & humida nullo interposito spatio carbunculi æstiui fuerunt geniti, quando nihil eorum generationi fuit impedimento; Austrino uerò statui in 3. Epid. descripto præcedens squallida constitutio adeo est obnixa, ut per hiemem salubriter

lubriter homines egerint, tabidis exceptis, ut Hippo. inquit, & Gal. cum eo, quemadmodum etiam superius declarauimus, quo fit, ut Aui. scripserit, quòd cum autumno squalido, & hiemi humidæ uer gelidum successerit citra pluuiarum multitudinem, deinde aer austrinus efficiatur, & varius ita, vt aliàs conturbatus, aliàs clarus, & nocte quidem frigidior, die verò multò calidior reddatur ob magnam uaporum copiam, qui nocte aerem quidem refrigerant, meridie uerò Sole feruefacti eundem aerem calfaciunt, ostendetur æstate pestem esse futuram, quæ in quã nec uere, nec hieme ob contrariarum aeris constitutionum reluctantiã, sed æstate solũ quiuit inualescere. Et hæc fuit Auicennæ intentio, quam tamen (ut aliàs diximus) satis obscure, illimitate, & diminute nobis reliquit: Ex præfata autem declaratione satis patet quòd unusquisque eadem metodo facile inuestigabit an futura pestis hieme potius, aut uere, aut æstate, seu autumno ingrauescere incipiet: Et hæc de signis prognosticis hactenus dicta sufficiant.

Pria quarti tract. 4. cap. 3.

De signis communibus præsentem pestem indicantibus. *Cap. 6.*

CONsequens autem est, ut de signis, quæ pestem præsentẽ indicant, agamus, ea autem partim communia sunt, partim propria, seu particularia, communia quidem sunt, quæ morbos pestilẽtes esse ostendunt, cum enim morbi passim grassantes, & sine discrimine (ut secundo de natur. hum. Hipp. asserit, siue illius libri author) occupantes tam iuuenes, quàm senes, tam fœminas, quàm viros, tam uinum, quàm aquam bibentes, tam offam, quàm panem edentes, tam multum, quàm parum laborantes, magna ex parte patientes interficiunt, qui solo contactu alios inficiũt, eos esse pestilẽtes manifestissime indicant, etenim cũ Hippo. dixisset: Ex qualibet morborum, quos recensuimus, specie complures ęgrotabant, & moriebantur: Gal. ea uerba explicans scripsit: cum dicit, & plures moriebantur, pestilentes fuisse morbos, qui vulgarentur, demonstrat: Quòd uerò pestis, morbus sit contagiosus, tametsi id antea explicauimus, & quotidiana nos doceat experientia, illud etiam testatur Aui. scribens hunc in modũ: Et est præterea ex ægritudinibus quædam, quæ de uno ad aliud transit, sicut lepra, & scabies, & uariola, & febris pestilentialis, & ulcera putrida, & præcipuè cum domus strictæ fuerint, & similitèr cum uicinus fuerit sub uento. Quòd siquis obiiciat, ut pleriq; faciunt

Cont. 3.

3. Epi. sec. 3. 21.

Secunda primi docto. prima cap. ult.

faciūt, non eſſe hoc morbi peſtilentis ſignum, cū multi etiam alii ſint morbi, qui contagioſi exiſtunt, ut ipſemet Auicenna inquit, illi quidem reſpondebitur, id unum ob aſsignatam cauſam non eſſe ſolius peſtis ſignum, ſed cum aliis ſuperius dictis, uidelicet cum morbi paſsim uagantes magna ex parte ęgrotantes interimunt, quę omnia ſimul copulata aliis, qui peſtilentes non ſunt, minime conueniunt: illud uerò uulgatum, uidelicet panes, obſonia, pariter & ueſtes, & cuiuſcunque generis pannos nocte aeri expoſitos breui ſitum, ſeu mucorem contrahentes non quidem peſtem abſolute, ſed aerem eſſe corruptum ſignificabit.

De ſignis proprijs, quæ præſentem morbum peſtilentem indicant: Cap. 7.

PRopria uerò morbi peſtilentis inditia plura quidem, & uaria ſunt, ut etiam plures, & uarii (ſicut antea dictum eſt) morbi peſtilentes eſſe poſſunt: Veruntamen ſcire oportet, quòd cum hęc ſigna duplicia exiſtant, quędam enim morbi ſpeciem, quædam uerò morbum eſſe peſtilentem oſtendunt, præſentis non eſt inſtituti omnia ſigna propria perſequi, diuerſas morborum ſpecies præ ſe ferentia, ſiue humorum, ſiue partium diuerſitate morborum ſpecies disſideant, qñquidem unuſquiſque hæc habet apud Galenum in libris tum decriſibus, tum de locis affectis, & aliis pleriſque in locis, atq; apud Authores alios & Græcos, & Arabas, ſatis autem fuerit in uno aut altero morbo explicaſſe, qua methodo utraque ſigna inueſtigare oporteat, ut inde, cui libuerit, ad reliqua inueſtiganda pateat aditus: Non diſcedam autem à ſacri ignis exemplo, de quo ſermo ſuperius habitus eſt, cuius nimirum quædam ſigna ſunt, quæ ex colore, tumore, dolore, tactu, & huiuſmodi ſumpta illum de more ſacrum ignem eſſe oſtendunt, quædam uerò ipſum eſſe cacoethes, & peſtilentem, quæ ex duobus potisſimum depromuntur, ex uiribus inquàm partium affectarum, & humore, eiuſque actione in eam partem, quam occupauerit: cum enim pars in ſummo poſita igne ſacro affecta de more malum non tolerat, bilioſuſque humor ſubſtantiam, colorem, atque temperaturam aſſuetam non ſeruans, membrum ipſum etiam ſubſtã-tiam, colorem, & temperaturam, quam cum de more hoc malo uexatur, ſeruare aſſolet, mutare cogit, idipſumque erodit, & putrefacit, adeo ut pilis, & carne aliquando uſque ad oſſa denudetur, hęc

inquam

inquam unà cum ostendentibus communem putredinis causam, de quibus superius egimus, sacrum ignem cacoethem, & pestilentem esse indicant: uerum si biliosus humor ad interna secedens aliquod uiscus, cui cor facile consentiat, affecerit præter alia symptomata (vt Gal. ait) febrem etiam acutam, & causum generabit: quare etiam signa causi apparebunt, quæ (vt placuit Hippocrati) sunt lingua aspera, sicca, & ualde nigra, uentris morsus, deiectiones & liquidæ & pallidæ, sitis uehemens, uigiliæ, & interdum mentis alienatio, quæ (ut inquit Paulus Aegin.) in pestilenti febre grauissima esse solent, & minime occulta: quod nimirum oscitanter audiendum non est, cum tum ex Hippo. tum ex Galeno oppositum colligatur, nã ubi dixit Hippo. Ante uer post frigora, quæ præcesserant, febres fuerunt ardentes, & modũ quales essent eæ febres ardentes subdit scribens: Febrium ardentium, quæ vigebant, hæc erat natura, initio sopore erant oppresi, fastidiosi, inhorrescebantque, febris non acuta, neque magnopere erant sitibundi, uel deliri. In horum uerborum expositione Galenus dixit, quòd nonnulli pro [sopore oppresi] scripserunt [Aestuosi] quando febribus ardentibus hoc est peculiare, ut etiã perpetua sitis: Quare alii etiam absque negatione [febris acuta] legendum esse contenderint, propterea quòd febris ardens sine febre acuta esse non potest, & eadem ratione nec sine siti: Verum inquit Gal. quoniam status ille calidus, & humidus caput multa humiditate repleuerat, propterea febricitantes initio sopore tenebãtur, neque humores tantam acrimoniam contraxerant, ut uigiliæ uehementes, & deliria concitarent, & insuper quia Hippo. inquit, quòd inhorrescebant, ob id addidit, quòd febris non erat adeo acuta, & ardẽs, ut magna ex parte in causo esse solet, quare etiam subiecit, quòd neque magnopere erant sitibundi, quo fit, ut Gal. scripserit febres pestilentes calore uehementes non esse, & Aui. dixit: Hęc febris est quieta exterius; Et ferè in fine capitis: Et quandoque est de his febribus pestilentialibus, in qua non percipit æger, nec tangens propinquus multitudinem caloris.

3. Epi. sec. 3. cont. 25. 4. de rat. uict. in acut. 4.

Lib. 2. cap. 36.

3. Epi. sec. 3. cõt. 33. & 34.

9. de simpli. med. facult. c. 5. Pria quarti tr. ct. 4. cap. 2.

Quomodo signa prędicta propria adinuicem distinguantur; Cap. 8.

VT autem hæc tollatur ambiguitas, scire oportet, signa morbos ostendentia (quoad rem præsentem attinet) duplicia esse

esse, ut Galenus declarat: quædam enim à Græcis pathognomonica, à Latinis passionum significatiua dicuntur, quæ unà cum morbo inuadunt, nec ab eo queunt separari, sed ueluti eius substã tiam constituunt, qualia in pleuritide lateris dolor, qui pungens, & in costis proueniens latè spargitur, quia membrana costas succingens densa, & neruea constans substantia, & extensa existens inflammatur, præterea febris continua, & affectus, & situs ratione eueniens, insuper difficilis spiratio, propterea quòd dolor prohibet spiritus instrumenta tantum dilatari, quantum usus postulat, nec non & tussis, eo quoniam particula inflammata pulmoni proxima illum in consensum ducens proritat, itidem pulsus cum tentione, & duritie, quia partis affectæ substantia neruosa est: Hæc nimirum quinque symptomata pleuritidem ea ratione comitantur, ut pleuritis sit ex his omnibus, & hæc omnia ab eodem affectu prodeuntia sine pleuritide esse non possint, quandoquidem illam necessariò consequuntur, quo fit, ut ex his uno solo ablato pleuritis etiam auferatur: Quædam uerò signa assidentia, seu mox apparentia nuncupantur, quæ in primo morbi insultu non necessariò (ut quinque superius explicata) apparent, sed quandoque simul inuadunt, quandoque superueniunt, nonnunquàm uerò nec omnino ueniunt, cum à morbo inseparabilia non sint, nec ueluti eius substantiam constituant, sed eius differentiam, uel morem, uel magnitudinem ostendant, quarum nõnulla sæpe, alia rarò, quæ ambigue morbum consequuntur, siquidem pleuritide affecti (ne à proposito exemplo discedamus) magna ex parte melius quidem in affectum latus, deterius uerò in oppositum decumbunt, quòd pars membranæ intentior magis phlegmone laborans in oppositum latus decũbentibus pendeat, & ob id maiorem dolorem excitet, in affectum uerò reclinantibus neque pendeat, neque ab ossibus prematur, ut in illis fit, in quibus exterior pars membranæ ualidius inflammatur his enim in affectam partem decumbentibus pars membranæ affecta comprimitur, & dolore magis angitur, quàm cum in oppositã partem recumbunt, neque enim tunc pars inflammata parti non affectæ inhærens pendent, neque ab ossibus premitur: Quòd si utraque & interior, & exterior membranæ pars phlegmone laborauerit nullũ in decubitu discrimen aderit, sed æqualiter in utrunque latus, ęger decumbet, ut autem ex decubitu, ita etiam ex doloris gressu pleraque signa assidentia desumuntur diuersos pleuritidis modos declarantia. dolor enim uel ad clauiculas tantum, uel ad præ-

Pria part. aph. 12. & 2. de diffi. spir. 8. & lib. de cõs. art. med. 15.

cordia prorepens membranæ partem uel superiorem, uel inferiorem inflammatam esse ostendit, quæ ambo cum disiunctione prolata, ut plurimum euenire solent, unumquodque uerò per se ambiguum est, sicuti rarò fit, ut inflammatio mediam membranæ partem occupans uel ad utranque partem superiorem inquã, & inferiorem, uel ad neutram dolorem mittat, quorum primum quidem inflammationis magnitudinem, postremum uerò eiusdem exiguitatem indicat: Ex sputi etiam quantitate licet assidentia signa colligere, cum enim tussis necessariò (vt dictum est) pleuritidẽ cõsequatur, ut plurimum humida, & cum sputo efficitur, rarò sicca, & sine sputo, humida quidem cum pars inflammata rarior extiterit, & humor in ea contentus plurimus, & tenuis, sicca uerò cum pars ægra densa est, & humor crassus, qui paucus existens modice quidem, plurimus uerò plurimum ad tussim proritabit, nec tamen æger quidpiam expuet: insuper cum aliquid expuitur, ex sputi etiã colore indicia sumuntur, quippe quòd magna ex parte uel rubidũ, uel flauum expui solet, quòd fluxio phlegmonem efficiens uel sanguinolenta sit ut plurimum, uel biliosa, rarò uerò uel album & spumosum, uel nigrum apparet, quòd rarò membrana succingens costas ob suam densitatem humoris crassi, qualis est pituita, & bilis atra, fluxionẽ admittit: Eodẽ pariter modo Gal. dixit assiduã sitim

3. Epi. sec. 3. cõ. 34.

quãtumlibet biberint, ac perpetuum, & ardentem, fastidiosumque calorem signa esse febris ardentis pathognomonica, quãdo febris ardens non appellabitur, nisi duo commemorata per totum morbum adiuncta habeat, quæ ab eadem causa prodeuntia, eius ueluti

4. de rat. uict. in acut. 4.

substantiam constituunt: Quæ uerò signa ab Hippo. fuerunt enumerata, assidentia sunt, ut Galeno placuit, quæ inquàm signa, febri ardenti uel ambigue, uel ut plurimmu eueniunt: Enimuerò sæpe causum ab humore bilioso procreari satis est manifestum, fitque is causus, qui exquisitus dicitur: quòd si pulmo huius causi ueluti sedes extiterit, lingua ob immoderatam affectus siccitatem, & ualde sicca, & aspera reddetur, nigraque ob immodicam caliditatem, ut his etiam contingit, quibus sole ardẽti cutis deuritur: utrisque etiã qualitatibus siti uehemẽti æger molestatur, immoderatamque siccitatem uigiliæ consequuntur, ac mentis aberratio efficitur bile caput petente: præter hęc ab Hippo. loco citato enumerata symptomata, alia etiam in hac ardenti febre euenire solent, qualis est oris amaritudo, bile inquam gustus instrumentum inficiente, insuper & difficilis spiratio, quæ crebra est, & magna, & ore ferè cõtinenter

aperto efficitur, de qua spirationis difficultate Hippo. & Gal. egerunt, quæ symptomata ut plurimum febrem ardentem comitantur, cum etiam ut plurimum bilis sua leuitate superiores occupet partes: Si uerò iecur, aut uenter (quod ambiguum est) uel utrumque uiscus causi ueluti sedes fuerit, biliosis inquàm humoribus ad huiusmodi partes confluentibus, uentriculus quidem morsu dolebit, deiectiones uerò pallidæ, seu flauæ emittētur, insuper & liuidæ, quando humores nondum conuenientem concoctionem susceperint, quæ autem symptomata prius fuerunt exposita ualde mitiora euenient: At febris ardentis, quæ in ea pestilenti constitutione tertii Epid. grassabatur, symptomata ex his erant, quæ raró euenire solent, & ut Galenus inquit tempestatis potius, quàm morbi ratione, quæ utique tempestas calida existens, & humida caput ab initio multa humiditate repleuerat: quare non ab re dixit Hippo. Quòd initio sopore erant oppressi, neque magnopere erant sitibūdi, uel deliri: quæ tamen omnia solent febribus ardentibus esse familiarissima: Ex quibus constat non sine ratione Hippocratem prius etiā adiecisse, quòd febris non adeo erat acuta. 1. progno. 27. & 2. de diffi. spir. 8.

Dubia quædam ex dictis, & dissolutiones: Cap. 9.

QVòd si quispiam dixerit Auicennam inter febris pestilentis signa etiam sitis uehementiam, & linguæ ariditatem enumerasse, is sciat Auicennam sitim uehementem nominasse ab eius assiduitate, quæ potu remoueri non possit, ut Gal. inquit: uel si per sitis uehementiam eius magnitudinem audiendam esse uoluit, non tamen assidue illam ualde magnam esse intellexit, quod & de linguæ ariditate dicendum est. Si quis etiam obiiciat scripsisse Hippo. Quidam sitibundi erant, quidam non: quem contextum Gal. exponens dixit, Non omnes aut siti caruisse, aut fuisse sitibundos, propterea quòd humor putridus in omnibus nec pari modo, nec æque putridus colligeretur, in quibus enim prauus humor in uentriculum confluens uim appetentem non corrumpebat, hi sitibundi efficiebantur, minime uerò illi erant sitibundi, in quibus prædicta facultas non seruabatur, quare sitis assidua signū ardentis febris pathognomonicum esse non poterit: Huic obiectioni respondebitur, signa pathognomonica suum morbum semper comitari, seruata, nec perturbata ea facultate, qua æger huiusmodi signa persentit: ꝙ si eueniat facultatem aliquam aliqua ra- 3. Epi. sect. 3. 34. com. 3. Epi. sect. 3. cont. 14.

tione corrumpi, haud æger prædicta ſigna percipiet, ſiquidem lateris dolor inter ſigna pleuritidis pathognomonica (ut ſuperius explicatum eſt) enumeratur, qui tamen à pleuritico phrenitide affecto minime ſentietur, Hippo. enim ſcripſit: Quicunque dolentes parte aliqua corporis omnino dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat: quando facultas perturbata proprium munus obire nequit: quam etiam ob cauſam Hippo. dixit: Omneſq; in quos equidem tunc incidi, cibum, quocunque detinerentur prædictorũ morborum, faſtidiebant. Et licet Hippo. dixerit, ꝙ omnes cibos faſtidiebant, ut etiam in illius contextus expoſitione ſcripſit Galenus omnibus accidiſſe, qui in ſui temporis peſte diuturna laborarunt, non tamen audiendum eſt id neceſſarium eſſe, & ſempiternum, ſed cum uenter afficitur, quod Gal. in illius expoſitionis calce explicauit ſcribens: Atque hæc ipſa accidiſſe illis uidentur, qui tum ægrotauerunt maxime uitio uẽtris, etenim & huius eſt opus ciborum appetentia: Ex hoc Galeni loco Aui. illud uulgatum ſumpſit, quod in antiqua Auicennę uerſione ita legebatur: Et quando cadit appetitus, reſtauretur ad comeſtionem, nam plurimi eorum, qui uiriliter agunt ſuper illud, & comedunt uiolẽter, abſoluuntur, & uiuunt, & neceſſe reſtaurare eos ſuper cibum. Quòd nonnulli perperàm intelligentes, inquiunt eos eſſe cogendos, ut non minus cibi ingerant, quàm cum ſanitate fruuntur, comedere ſunt aſſueti: Sed Aui. idem ſenſit, quod Gal. ita ſcribens: Fortiſsimi ergò qui uim ſibi ipſi afferentes cibum oblatum aſſumpſerunt, omnes ferè ſuperſtites fuerunt, plurimi uerò mori, quàm comedere quicquam prius duxerunt: ſiquidem hos cogere oportet, ut cibos ægris conuenientes aſſumant, quando minime comedere appetunt, ne uires ui morbi imbecilles defectu nutrimenti tandem deficiant: hoc obiter non ſine ratione diximus, tametſi ad partem pertineat curatricem. Quòd uerò ad calorem ardentem attinet, quod alterum eſt febris ardentis ſignum pathognomonicum non ignorandum eſt, calorem duplici ratione ardentem dici poſſe, uno quidem modo eo quòd exterius tangenti calor ardens appareat, quod febri ardenti peculiare eſt, & ut plurimum ei eueniens: altero uerò modo cum tametſi exterius tangens ardentem caliditatem non percipiat, æger tamen interna uri perſentiat, quod in cauſo rarius efficitur, & hac ratione magna ex parte in febre ardente, quæ peſtilens eſt, calor ardens exiſtit, ut ſcripſit Gal. in longiſsima ſuæ tempeſtatis peſtilentia contigiſſe: quod etiam

2. Part. apho 6.

3. Epid. ſec. 5. contex. 38.

Pria quarti tract. 4. cap. 4.

6. Epid. ſec. 1. com. 29.

Thucydidis testimonio comprobauit ita scribentis: Et exterius "
tangenti corpus neque ualde calidum erat, neque uiride, sed sub "
rubrum, liuidum pustulis exiguis, & ulceribus exflorescens, in "
teriora autem ita urebantur, ut neque ualide subtilium uesti- "
mentorum, neque linteorum uelamenta, neque aliud quid- "
quam præter nuditatem ferre possent. Ex hoc Galeni, & Thu- " Pria quarti
cydidis loco sumpsit Aui. quæ scripsit, ubi post uerba superius reci tract. 4. ca-
tata, quæ erant [Hæc febris est quieta exterius] statim subiecit pit. 2.
[conturbans interius, secundum plurimum perdens, ex qua per
cipitur caliditas, & inflammatio fortis.] Cum itaque Gal. asserit 9. De simp.
febres pestilentes calore uehementes non esse, illud quoad exti- med. facul.
mas partes intelligendum est, cum uerò Aui. ait: Et quandoque est cap. 5.
de his febribus pestilentibus, in qua non percipit æger, nec tan- "
gens propinquus multitudinem caloris, & non alteratur pulsus: "
Id quidem (ut posterius explicabimus) de hæctica pestilenti audi "
re oportet, nunc autem de illius ardentis febris, quæ pestilens est,
indiciis sermo habetur, quæ ut rarò eam febrem comitantur, quæ
ardens est, ita pessimum eius morem ostendunt: Et ob id Paulus
Aegineta dixit febri, pestilenti euenientia grauissima esse. 2. Lib. cap. 36.

De anhelitus magnitudine, fætore, & frequentia in peste, & febribus pestilentibus: Cap. 10.

QVare Auicenna paulò superius de anhelitus magnitudine, fætore, & frequentia meminit: De magnitudine quidem, & frequentia nullibi inuenitur neque Hippocratem, neque Galenum mentionem fecisse, sed rationi consentaneum esse uidetur, ut cum spirationis necessitate secundum naturam se habente uirtute non imbecilli existente à solo septo transuerso pectus moueatur, aucta uerò necessitate etiam à musculis intercostalibus, adhuc magis aucta, musculi quoque pectoris superiores ei suppecias ferant, in huiscemodi pestilenti febre spirationis motus sit necessitati proportione respondens, & propterea magnus & frequens, factusque non à diaphragmate modo, & musculis intercostalibus, uerum etiam à superioribus pectoris musculis, uti placuit Aui. pariter etiam pulsus spirationi proportione respondebit, (decima tertii tract. 1. cap. 11.) qui ualida existente uirtute magnus efficietur, uelox, & frequens, facultate uerò imbecilli reddita, ut in pestilenti febre magna ex parte euenire solet, paruus quidem fiet, sed aut uelocior, aut fre

quentior

quentior pro imbecillitatis ratione: Non ignorare autem oportet, quòd cum præter animalis spiritus in cerebro nutritionem spirandi necessitas duplex existat (ut ex Galeno facile colligitur) una quidem caloris refrigeratio, altera uerò illius, quod ueluti fumosum est, eductio, quarum prima, ut pectoris dilatatione, ita secunda eiusdem constrictione, ut perficiatur, indiget, cumque in huiuscemodi pestilenti febre ob humorum corruptionem maior sit uaporum fumosorum, & putridorum copia, quàm calor præter naturam auctus, propterea uaporum putridorum expurgandorum necessitas caloris præter naturam refrigerandi necessitatem excedet, quare pectoris, & arteriarum contractio eorundem etiam dilatationē excedet: at de anhelitus fætore Galenus et meminit ad uerbum in hunc modum scribens: Sexcentos tales in pestilentia diuturna conspeximus, ubi medicos cerneres nihilo plebe præstantiores, immo uerò imperitiores multo nonnullos experiente plebeo, uulgus enim ferè si nihil aliud, at expirationem ægrotorum uideas obseruare, quæ si fætent, peiorem casum expectant: at illi quidem usu tale signum in pestilentibus febribus inuenerunt, tu uerò non usu modo, sed & ratione æstima: Si quidem cum in huiusmodi pestilenti febre humores ualide putrescant, ut etiā tetrū odorem ędant necesse est, inditio sunt calida & humida corpora, quæ dum etiam sanitate fruuntur, excrementorum putredine male olent: Et licet in quacunque affecti corporis parte, ex qua putrida exhalatio educitur, fætidus odor sentiri ualeat, magis tamē perspicue expiratione percipitur, tum ob uaporum multitudinem, qui expiratione uacuantur, tum quia putredo frequentius cor, seu partes cordi proximas in pestilentia solet occupare: Sed est animaduersione dignum, quòd tametsi fætor, qui ex ore persentitur, etiam affectu oris partium euenire possit, ab eo tamen seiungitur, qui expiratione contingit, propterea quòd is, qui affectis oris partibus efficitur, etiam cum non fit expiratio, percipitur, qui uerò à putridis humoribus in corde, uel in membris spirationi famulātibus ducit originem, non sine expiratione sentiri ualet, uti Auicennę placuit: Insuper etiā huiusmodi fętor quāquam in omnibus putridis febribus reperiri queat, attamen in pestilentibus tanto ualidior existit, quanto peste correpti maiori putredine afficiuntur: Quare in his tum sudores, tum urinæ, tum quæ per aluum excernuntur, & denique omnia corporis excrementa grauius fætent.

Lib. de uti li. respir. & lib. de us. puul.

3. De præsag. ex puls. cap. 4.

Decima tertii trac. 1. cap. 19.

De

De sanguinis stillicidio, & alijs pernitiosis symptomatibus pestilentem morbum præ se ferentibus: Cap. 11.

ADdidit etiam Hippo. in pestilentibus, & ardentibus illis febribus nares pauca stillasse, quod (inquit Galenus) semper prauum est indicium, & alibi asserit, quòd malignas febres ardentes comitari solet, ut lenes sanguinis profluuia, Etenim scripsit Gal. Nouimus enim quòd sanguinis è naribus stillatione malum semper quippiam esse ait, propterea quòd natura quidem concupiat, quod superfluum est excernere, sed ob propriam imbecillitatem nequeat, uel sanguinis crassitiem, uel partium dẽsitatem, uel quædam ex his, uel propter omnium cõcursum: pariter etiam adiecit Hippo. plerisque diebus paribus accessiones euenisse, quod inter rara (ut Gal. in expositione asserit) enumeratur, quandoquidẽ magna ex parte suas habent ardentes febres, & morbi acuti diebus imparibus suas habent accessiones, siquidem febris acuta, quæ per accessiones efficitur, cum ex alicuius humoris putredine originem ducat, non quidem ex pituita, uel nigra bile, quæ diutinos morbos committere solent, sed ex flaua aut parte sanguinis putrescente generabitur: Verum cum bilis flaua, & pars sanguinis tenuior putrescens alternis diebus suas habeant accessiones, pituita uerò quotidie, & nigra bilis quaternis diebus, necessariò consequitur accessiones diebus imparibus esse acutis febribus perquàm familiares, quare diebus paribus accessiones his rarò accident, & non nisi materiæ prauitate, quod eas febres cacoethes, uel mali moris esse ostẽdet, ut in Philisco 1. ægrotante 1. Epid. Et in Pythione tertio ægrotante, atque uirgine Larissæ 12. ægrotante 3. Epid. ab Hippo. descriptis euenisse manifestissime constat: At in uirgine Larissæ præter id, quòd in diebus paribus dolores ingrauescerunt, dixit Hippo. sexto die fuisse fluxu sanguinis per nares, & sudore per totum corpus iudicatam, & non reuertisse, cum tamen dies sextus (vt in expositione inquit Galenus) nunquàm fideliter iudicet, quod etiam alibi sæpe Galenus affirmauit: Verum enimuero cum Hippo. statim subiecerit: Dum febricitaret, & iam iudicatę menses, tum primum prouenerunt: Videtur causam assignasse (ut in expositione ait Galenus) ob quam non redierit, cũ tamẽ morbi natura repetere oportuisset: Euacuatio enim post iudicium satis fuit, vt firmum seruaretur iudicium: Præterea sub accessiones in antedicta febre obliuionem contigisse scripsit Hippo. quod symptomata (dicit Galenus in

[Marginal notes: 1. prorrith. com. 1. 3. Epi. sect. 3. com. 35. 4. de ratio. uict. in acutis cõ. 64. — Sect. 3. Sect. 3. — 4. aphor. p. 29. & 3. prgno. 1. & 3. de diebus decret. c. 8.]

in expositione, de exitialibus est, quippe cum dixisset Hippo. Igno

Cont. 37. 1. Epi. sect. 2. cont. 30.

rantia cum rigore mala, mala quoque & obliuio: Galenus in expositione scripsit: Nam cum rigore ignorantia, & obliuio, uictum calorem natiuum ab ea, quæ symptomatica est, refrigeratione indicant, quòd enim non cognoscant familiares, neque factorum recordentur, ex cerebri refrigeratione enasci id cõstat, patetque utrũque per se malum symptoma esse, & si ambo fiant, geminari perni

Lib. q animi mores cor. temp. sequantur, & de diff. sympt. c. 3. & 2. de eorundẽ cau. cap. 7.

ciem: Et pluries ait Galenus scripsisse Thucydidem nonnullis è pestilentia seruatis memoriam adeo fuisse lęsam, ut neque seipsos, neque suos necessarios agnoscerent, inquitque Calenus: Sanè uidimus nonnullos & literarum, & artium omnino oblitos, adeo ut ne nominum quidem suorum meminissent: Addidit Hippo. eodem cõtextu & langorem, & uocis defectum, lãgorem (inquit Galenus) uidetur Hippo. ueluti dissolutionem, & remissionem omnium corporis partium appellare, quod inter signa perniciosa enumerari eo apparet, quòd eius, quæ corpus mouet, & regit facultatis (vt ex eo

3. Epi. sect. 3. com. 67. & 1. pgn. 18. cap. com. 32.

dem Galeno colligitur) extinctionem quandam significat, quo fit, ut à resolutis parum distare uideãtur: Vocis quoque defectum prauum esse indicium ex Gal. expositione colligitur, ubi habet uocis uitium febribus ardentibus, & phrenitidi, ut incipientibus tabidis per se non competere, sed status ratione, qui calidus & humidus, & sine uentis fuerat, quare caput repletum ad inferna humida demittens, uocis defectum intulit: extremos quoque pedes, & manus, & pręsertim circa accessiones frigidiores extitisse subintulit Hippo. quibus calor pedetẽtim nõ probè redibat, quod symptoma in acu

2. pgn. 4. & 4. de rat. uict. 16. & 4. aphor. 1. & 26.

tis omnino prauũ est (ut tũ ex Hippo. tũ ex Gal. colligitur) ubi cũ dixisset Hippo. In forti dolore uentis partium exrremarum frigiditas malum: Galenus in expositione scripsit: Fit quidem & (sicut supra dictum est) ob magnitudinem inflãmationis in uisceribus partium extremarum frigiditas, fit autem & propter animæ defectũ,
„ uel quia calor natiuus extinguatur, uel quia propter multitudinẽ
„ stranguletur, & tum præcipuè cum frigida fuerit; fit autem & pro
„ pter dolorem uehementem medias corporis partes occupantem,
„ ob quem natura in seipsam contrahitur, & ad eam consequitur san
„ guis non solum extremas corporis partes derelinquens, uelut pedes & manus, & caput, sed & cutem uniuersam, &c. Quòd autem in huiusmodi pestilenti febre non solum plures ex dictis causis, sed

2. aphor. p. 1. & 2. prognо. 4.

etiam omnes adesse potuerint, adeò manifestum est, ut nulla indigeat declaratione. Quòd si quispiam dixerit Galenum habere, ꝙ

non

non mirum uideri debet si in morborum accessionibus extremæ corporis partes refrigerantur, quandoquidem carne uacantes longe à uisceribus distant. Hippo. autem dixisse extremos pedes, & manus circa accessiones frigidiores fieri, quare non fatendum est id symptoma adeo prauum existere, is utique Hippo. optime legat eo in loco dicentem, extremos pedes, & manus his frigidiores euadere, nō absolute circa accessiones, sed addidisse [multò maxime]. Ex quo innuit circa etiam alia morbi tempora illas partes frigidiores fieri, quòd uerba quoque subsequentia apertè declarant, etenim subiecit Hippocrates [quibus calor pedetētī, nec probè redibat] quasi dixerit, quòd tametsi eę partes frigidiores efficerentur, non tamen (ut in febribus malignitate carentibus fit) frigiditas penitus abolebatur: Insuper adiecit Hippocrates quòd qui ea pestilenti febre corripiebantur, aut sopore perpetuo non somnolento, aut uigiliis cum laboribus detinebantur: Declarat enim Galenus, quòd sopor seu coma est in somnum delatio, quæ bifariam effici solet, aut enim humores frigidi atque humidi soli cerebrum occupant, & soporem somnolentum generant, ut in lethargicis fit, aut unà cum crudis & frigidis succis etiam calidi, & bilem referentes in eo continentur, & ob frigidos humores hi uigilantium munia obire nequeuntes, palpebras claudunt dormire sperantes, ob calidos autem, & biliosos somnum impedientes dormire nequeunt, quo fit ut clausis palpebris, uel conniuentibus plurimum uigilent, quem affectum Hippocrates soporem peruigilem, seu non somnolentum appellare cō sueuit: Qui igitur prædicta febre laborabant, quoniam multis & crudis humoribus abundabant, quod ex excrementis ostendebatur, quę statim subiecit Hippocrates fuisse multa & cruda, illis quidem humoribus in capite putrescentibus, iure meritò sopore perpetuo non somniculoso detinebantur, qui forte fortuna dolore affecti manifeste uigilabant, ut neque speciem tenuis somni præ se ferrent. Dicit enim Galenus, quòd hi aliquibus clamantibus, uel pungentibus, uel dolore aliquo excitati oculos aperiunt, & loquuntur, ac magis se uigiles esse ostendunt, & propterea Hippocrates addidit [aut uigiliis cum doloribus detinebantur:] Addidit præterea Hippocrates plerisque aluum fuisse turbatam, & excrementa cruda, & multa, & tenuia excreuisse, necnon urinas multas, & tenues extitisse, quæ inquam non multę fuerant (ut dixit. Hippocrates) ex potu ingesto, quando illum excedebant, neque etiam propterea quòd urinarum multitu-

Lib. de comate & 1. Prorreth. com. 1.

Locis predictis.

Cont. 61.

dine humores noxii (ut sępe assolet) à natura decretorie expurgarentur, sed quoniam aliàs eorum copia, alias eorum mordacitate, illos uasa diutius detinere non poterant, quare ut prauorum humorum symptomata tum excrementa, tum urinæ multæ excernebantur, & propterea Hippocrates non modo dixit excrementa, & urinas fuisse multas, uerum addidit [& tenues] ut ostenderet nec excrementa, nec urinas fuisse concoctas; Quod manifestius declarauit Hippocrates subdēs [Nihilque decretorii quicquam, uel boni] Deinde Hippocrates ut explicaret nulla alia ratione, qui perniciosa illa febre occupabant, fuisse recte iudicatos, subiecit: Nec uero decretorii aliud in ita habentibus ullum ad-
" uertebatur, neque sanguis rite profluxit, neque alius consuetus
" fiebat abscessus decretorius. Cum itaque nec per absessum ali-
" quem, neque per extra corpus euacuationem iudicarentur, ea propter addidit, quis fuerit eorum exitus, scribens: Moriebatur quisque .s. incerto ordine, plerunque tamen circa iudicia, quidam

Cont. 57. longius producebantur, qui largius sudassent: Et subiecit Hipp.
" unoque uerbo, qui lōgis morbis uel acutis tenebātur, uentris ui
" tio omnes præcipue exanimati sunt, cunctos namque uenter su-
" stulit: Quod etiam in longissima suæ tempestatis pestilentia contigisse, ait Galenus in illius contextus expositione, ubi etiam inquit, quòd quæ euacuabantur, erat syntexis seu colliquatio, ut

Cōte. 66. 8. de cōp. med. secū dum locos c. de iecoris affectibus. Hippocrates quoque asserit, quod (ait Galenus) in perpetuum febris pestilentis symptoma esse uidetur, & alibi inquit, quòd cum intemperies calida iecur molestat, primum humores, deinde iecoris etiam ipsius caro colliquatur, uacuaturque per aluum bilis crassa, graueolēs & insigniter colorata, sicuti in pestilentibus febribus euenit. Et ex hoc unusquisque facile intelligere pōt,

Cont. 56. quā maxime in febribus pestilentibus purgātia medicamenta uerenda sint, quod etiam apertissime ostendit Hippocrates, scribens in hunc modum: Et hæc, quæ offerebantur ægre admittebant, nam purgationes multos offendebant, quorum qui sic habebant, subito multi peribant, multis malum producebatur. Præterea quòd in eiusmodi febre corpus exiguis pustulis efflorescat Gale

6. Epi. sect. 1. com. 29. Li. 5. c. 130 nus Thucydidis testimonio cōprobauit: De quibus etiam Aetius meminit, quas uibicibus, aut culicum morsiunculis similes esse autumat, atque aliquando ulcerari & carbunculorum speciem referre, quæ inquam pustulæ, necnon & parotides, atque bubones quacunque in parte corporis orti, sed potissimū sub alis &

inguinibus, quæ membrorum principatum obtinentium emunctoria existunt, quandoque albi, quandoque pallidi, uel flaui, quandoque uirides, aut alio colore nigricantes, uel etiam atri pro humorum diuersitate esse solent, atque ut scripsit Auic. quandoque uelociter apparent propter excellentem humorum prauitatē, à qua expultrix facultas irritata cogitur non expectata humorum coctione illos expellere, quos cū non potest extra corpus euacuare, ad partes trudit imbecilliores, qualis est cutis uniuersa: Quandoque uelociter occultantur propter uirium imbecillitatem, quę illis aut naturalis est, aut ab humorum prauitate acquisita. Quare inter potiora febris pestilentis indicia (ut etiam placuit Auicē.) casus uirtutis enumeratur in principio eueniens, qua ratione pulsus etiam dixit esse paruos, & frequentes, præcipue in nocte, utpote calore ad intima secedente, siquidem Gal. ostendit, quòd uirtute quidem debili existente, usu uerò cogente pulsus parui, & tardi, atq; frequentes efficiuntur, quando facultas animi magnitudine, & celeritate propter imbecillitatē usui satisfacere nequit, pulsus crebriores edere cogitur: Habebit itaque hæc pestilens febris ardens signa febris ardentis pathognomonica, sitim in quam assiduam quātumlibet biberent, & perpetuum, ac ardentem, fastidiosumque calorem ratione superius exposita. Reliqua uerò symptomata à nobis hactenus explicata, quæ signa sunt assidentia, tametsi in aliis etiam febribus non pestilentibus inueniri queant, non tamen quo modo ea prędictæ febri pestilenti euenire declarauimus, qua ratione assidentia rarò contingentia redduntur, & febrem esse pestilentē ostendunt: Et propterea loco citato Auic. signis febris pestilentis enumeratis, quæ aliis ēt febribus absolute contingere possunt, subdit: Et hæc quidem febris incipit cū accidētibus prædictis cū fortitudine sua, & uenit res eius ad syncopim, & frigus extremitatū, & lytargiā, & spasmū, & alcluzez. Qua ratione febrem esse cacoethem, & mali moris, ac pestilentē declarant. Eadē pariter methodo utēs unusquisque cōmode poterit reliquarum febrium pestilentium tum continuarum, tum intermittentium, nec non & reliquorum morborum, qui citra febrem pestilentes sunt, de quibus in lib. Epidem. Hippo. meminit, signa & pathognomonica, & assidentia inuestigare.

Pria quarti tract. 4. cap. 2.

1. de caus. pul. cap. 5.

Interpretatio Cuiusdam loci Aui. male ab alijs interpretibus expositi, ob signa febris hecticæ pestilentis: Cap. 12

VErum nonnulla uerba ab Aui. conscripta silentio non esse prætereunda arbitramur, quæ posteriores medicos mirifice uexarunt: ea autem sunt: Et quandoque est de his febribus pestilentibus, in qua non percipit ęger, nec tangens propinquus multitudinem caloris, & non alteratur pulsus magna alteratione, & cum hoc ipsa est interficiens uelociter, & hęsitant Medici in esse eius. Idem etiam de urina scripsit in hunc modum: Et quandoque est urina in ægritudinibus pestilentialibus bona naturalis in substantia sua, & colore, & sedimine, & ille, cuius est, tendit ad mortem. Hęc inquam Auic. uerba maximam dubitationem intulerunt, qui fieri possit, ut quis pestilenti febre laborans, quæ putrida est, febrilem caliditatem non percipiat? In superioribus enim de Gal. sententia declarauimus, quòd in causo pestilenti, tametsi exterius tangentes ardentem caliditatem non persentiãt, attamen lue affectis (nisi mens ægrotauerit) calor non oculitur: pariter etiã non uidetur ueritati consentire, quòd pestilenti febre correptus tendens ad mortem pulsum habeat à naturali pari interuallo distantem, lotiumque mingat & substantia, & colore & subsidentia laudabile, quale id est, quod in sanis conspicitur, quandoquidem pestilentis humoris prauitas, quæ semper naturę humanæ aduersatur, nunquam desinit cum partes omnes, tum præcipue cor alterare, ut perinde atque bonę ualetudinis tpe propria munia obire nequeant. Hanc dubitationem Petrus Aponensis cognomento Conciliator conciuis noster uir sua tempestate maximę authoritatis & doctrinę in diferentia 94. diluere conatus est, inquiens, quòd natura à pessima febris pestilentis qualitate exterrita aduersus eam non audet pugnam aggredi, quare illam intentatam omittens soli corporis ministerio perinde ac sanitatis tempore incũbit, & ob id in his pulsus & urinę sanis haud existunt absimiles: Sed hoc Conciliatoris placitum (pace tantę authoritatis uiri dictum sit, quando amicus Socrates, amicus Plato, sed magis amica ueritas) adeo constat esse à ueritate alienum, ut nulla alia indigeat confutatione, ut enim Aristoteles asserit, quolibet contraria opinionibus proferente stultum est sollicitum esse: Minus absurdum esse arbitramur, quod alii dicunt, calorẽ inquã febris pestilẽtes debilẽ, & paruũ esse, sed mali moris,

Secunda quarti tract. c. 80.

1. Topic.

& calori naturali inimicissimum, ut ex Galeno colligitur, & propterea tum ab exterius tangente, tum ab ęgrotante præsertim in morbi initio paruum illum calorem naturali non esse ualde dissimilem iudicari, quo fit, ut etiam pulsus in iis differentiis, quæ caloris ratione uariari solent, à pulsu sano parum distare uideatur, qui tamen in his, quæ materię malignitatem consequuntur, non parum mutatur, qua ratione & imbecillior, & minor, & tardior quàm in sanis efficitur: Et licet ęger affirmet se febrilem caliditatem non sentire, maximum tamen angorem, & molestiam percipit, seque iactat, nec loco stare potest: Alii recentiores magnę doctrinę, & autoritatis uiri alia ratione prædictę dubitationi occurrerunt, dicentes naturam actiones suas edere (tametsi cognitione careat) ut necessitas postulat, siquidem membra nutrimento indigentia illud attrahunt, atque tandiu continent, donec, quod nutrire aptum est, conficiatur: residuum uerò, quod coctionem supterfugit conuenientem, cum illud habeant loco oneris, secernere, atque abigere conantur: Pariter etiam cum exhalatio ab humore pestilenti ad cor delata maxime fætida & abominabili putrefactione, atque cordi infensissima imbuta sit, natura non audet cor, & arteriarum tunicas dilatare, ne inimicissimę putredini ad cor pateat aditus, tantum itaque attollit, quantum & uitæ, & cordis euentationi sufficiat, magis studens contractioni, ut inimicissimam repellat putredinem. Quapropter in huiusmodi febribus pulsus quod ad dilatationem attinet (eius enim contractio soli medico exercitatissimo, & summa sensus perspicacitate prędito conspicua esse potest) à sano parum admodum differre uidetur. Verum hæ responsiones innuere uidētur, id quod astruūt febribus omnibus pestilentibus esse commune, cuius oppositum docet experientia, quippe sæpissime non pauci uisi sunt pestilenti febre laborantes, qui in morbi principio se ueluti utri persentiunt, nec nō & eorum pulsus, ac lotium à sanis apertissime differunt, quæ etiam superius de Hippocratis, Thucididis, Galeni, & Auic. sententia scripsimus, illis aduersari satis constat: Posteriorem uero responsionē illud præcipue arguere uidetur, quòd si admiserimus naturam in pestilenti febre, cor, & arterias non dilatare, ut prohibeat à putridis exhalationibus lędi cor, fateri etiam coacti erimus, illum in reliquis febribus putridis ea de causa ꝓ malitiæ magnitudine idem facere oportere: quod minime fieri quotidiana nos docet experientia: hactenus enim semper notauimus pulsus uariari pro facultatis

3. de cris. 4

usus

Li. de cau. pul. usus,& instrumenti uariationibus,ut Gal. explicauit, in quibus nul libi est inuenire scripsisse Galenum uirtutem cordis,& arteriarum (licet necessitas urgeat) dicta de causa nō audere dilatationem efficere usui proportione respondentem; adde quòd ex hoc consequeretur,cor esse aliter intellectu prӕditum,quod eligendi facultatem haberet id,quod melius est,quod de Galeni sententia absurdū est,ubi tale absurdum consequi dicebat,si quis contendentes dixerit,uentriculum cibos arcte complecti, ut eos reliquis partibus red dat accōmodos: preterea harum utraque responsionum etiā quòd dubitationem tolleret, non tamen Auic. mentem est assequuta, qui hӕcticӕ pestilentis signa à Galeno desumpta scribens ea (ut sui moris est) sine distinctione protulit,quod fuit in causa, ut posteriorum Medicorum plurimi non modice aberrauerint,qui si Galenū legissent ubi de hac hӕctica pestilenti meminit,non tot commenta fuissent moliti. Vt igitur huius rei ueritas pateat,explicare oportet,quӕ à Galeno scribuntur: Cum itaque prius dixisset Gal. quòd si cordis corpus & ei uicina,uidelicet in eius finibus cōtenta,& pulmo ac pericardiū, reliquaque ipsi cordi proxima,siue ex his aliqua oppositis constabunt intemperiebus,pulsus quidem inӕquales non efficientur,sed ex affectuum confusione medium quendam statum consequentur,deinde ostendens quales contingant pulsus,ubi cordis corpus tanto,quàm natura postulat,erit calidius,quanto ei uicina frigidiora existent inquit,quòd si corpus cordis per caliditatē, uicina uero per frigiditatem id quod naturӕ conuenit,ualde excesserint,pulsus nulla in magnitudine, & frequentia mutatione facta manifestum habebit celeritatis incrementum,& insignem remissionem,si uero non ualde excesserint, nec in celeritate,nec in remissione manifesta erit mutatio, solus inequalitatis sensus, quem calor in uniuersum corpus à corde delatus excitauerit, à febricitantibus percipietur,quo per balneas remoto se incolumes esse (quāquā febricitent) affirmabunt, quo fit, ut plerique medici plebeis experientibus sӕpe imperitiores appareant, eos sanos iudicantes, eo quòd non solum in pulsu nullam esse factam mutationē uideāt, sed etiam quòd aliquando urinam & colore,& sedimento naturali similem conspiciant, siquidem sexcentos tales in illa diuturna sui temporis pestilentia se spectasse testatur Galenus, quam febrem hӕcticam pestilentem nuncupauit non solum ibidem, sed & alibi, scribens in hunc modum: Verum de colliquantibus febribus disserere in posterū licebit, eque, ut de ijs hӕcticis febribus, quӕ in pestilentiis

3. de potē. nat. est ca. 13.

3. de prӕsag. ex pul. cap. 4.

10. meth. med. prope finem.

stilentiis contingent, cuiusmodi ea est, quæ publice grassatur: Hecticam quidem appellat, quia non succi, nec spiritus, sed cordis solidum corpus putri calore primo incalescit, deinde alia eius ratione, pestilentem uerò, eo quòd à communi causa originem ducat, qua plurimi intereunt: Quas febres pestilentes usque ab initio hecticas ab omnibus aliis differre, quæ ex magna humorum putredine generantur, scripsit etiam Gal. Hanc itaque sententiam Aui. à Gal. mutuatus scripsit, quòd quandoque non semper in aliquibus febribus pestilentibus nec æger, nec proximus tangens caloris multitudinem percipit, neque etiam pulsus alteratur, nec urina magna alteratione, in quibus enim lues cor occupans nondum in epate, & uenis, nec in renibus, & aliis partibus inferioribus naturalibus functionibus famulantibus insidet, lotium (ut etiam Cōcilia tor asserit) naturali simile reddit, tale q̄d ēt in phrenitide phtisive laborātibus aliquando contingere solet, cū uitiosi humores ad partes superiores ferantur, propter quòd partes inferiores redduntur incolumes, & propterea urinæ sua ratione bonæ & minime contemnendę generantur, quæ quanto meliores extiterint, tanto partium superiorum affectus esse deteriores indicabunt, quandoquidem uitiosum humorem ad partes superiores uniuersum tendere significabunt: Addit Auic. quòd licet huiusmodi signa bona appareant, ea tamen febris est uelociter interficiens, quod rationi consentaneum esse uidetur, quando (ut Galenus inquit) licet tres sint partes principatum obtinētes, quibus aliter gubernatur, semper tamen cōsequitur mors immoderatas cordis intemperaturas, cuius peculiari temperatura omnes corporis partes suas functiones absolutas edunt, quo fit, ut ea ablata, actiones quoque ipsarum pereant, & mors sequatur: uitam enim nihil aliud esse ait Galenus, nisi aut uires, aut earum actiones, quippe cordis affectus aut exigui sunt, aut magni: si exigui hominem subitò non necessariò perimunt, aut quatenus instrumentum cor afficiunt, qui subito perimere possunt, siquidem continuitatis diuisio cordi eueniens ad eius uentriculos usque pertingat, protinus cum magno sanguinis profluuio morietur homo: si uero uentriculos non attingat, per unam uel alteram diem uiuere poterit, qui postea inflāmatione genita morietur: si uero erisipelas, uel inflammatio cor occupauerit, in principio quidem priusquam augeatur, id malum perferre poterit, sed antequam ad notabile incrementum perueniat, prius homo decumbet: Quoniam itaque in prædicta pestilenti febre cor

pus

3. de pgn. ex puls. c. 4.

Differ. 94.

5. de lo. af fec. cap. 1.

3. meth. med. c. 13.

pus cordis primum à corrupto, & pestilenti aere inspiratione attracto magna alteratione afficitur, atque corrumpitur, propterea nõ põt homo diu uiuere, sed aut subito, aut cito moritur, ꝙ peste correptis sæpe accidisse compertum est, subiecit etiam Auic. ꝙ medici hęsitant in esse eius, idest dubitant an hi pestilenti morbo sint affecti, cum & pulsus & urina à naturali parum distare uideantur: qua ratione Gal. dixit, quòd nonnulli medici multo imperitiores esse uidebantur experiẽte plebeo, qui experientia doctus tũ ęgri expirationem, tum os obseruat, quòd si expirationem male olere, & os aliquid coloris pestilentis continere cognouerit, illum statim affirmat peste laborare, quæ inquam medico nõ usu solum, sed etiam ratione, quàm uulgo magis aperta esse debent, siquidem partim illorum colorem erysipelatosum, partim depascẽtibus herpetibus assimilem per plures partes diffusum habent, scilicet quàm à primo, nec manu thoraci admota caloris febrilis explorandi causa medicum exercitatum affectus latebit, & licet urina aliquando (ut declaratum est) similis naturali appareat, cum nõ semper id eueniat, propterea illã esse inspiciendam Galenus autumat, ita scribens: Inspicienda porrò præ cęteris urina est, etenim conturbata quorundam eorum uidetur esse, & aquosior, ac nonnullorum multo quàm pro natura tenuior: atque hęc quidem certissima est, nec non quę naturalibus undequaque similis est colore, & crassitudine, hęc etiam ad secundam spem certissima est, quę si sublimamento probo sit prędita, multo etiã est certior, siquidẽ sedimẽtum sit candidũ, leue, & ęquale, pręsertim sublimamentis animus est adhibendus, nã quędam, quę subliuida quodãmodo sunt, fugiunt, & itẽ alia, quæ aranearum latas telas referunt in modum lanæ congestæ, at si quid tale animaduertas, aut nullum planè sublimamentum innatare urinis, in peiorem partem hæc interpretare, si contra uideas, quę retuli modo, nõ potest fieri, ut male affectus homo sit: Ex his (subdit deinde Galenus) discerni poterit, utrum patiens

3. de præs. ex puls. 4.

» aliqua inæqualitate afficiatur, an hectica febris pestilens, & exitialis illum inuaserit: Et insuper ex balneum consequentibus, cibum. n. fastidiunt, & immoderate sitiunt, ac frigidam poscunt: sunt etiam eorum oculi diligenter obseruandi, qui inter lauandum calidi, & flammantes aperte efficiuntur, quorum quidam postea tales perseuerantes, eos planè indicant peste laborare: Tanta de signis pręsentem pestem ostendentibus hactenus exposita satis sint.

Quæ

Quę signa pestilentem morbum rememorantia: Cap. 13.

Reliquum autem est, ut de signis rememoratiuis agamus, quę prętéritum morbū fuisse pestilentem declarant, quod maxime utile esse constat, quando hac ratione, qui nondum pestilenti morbo laborant, accuratius custodiri poterunt, ne lue corripiantur: Est autem communis non idiotarum modo, sed etiam omnium fermè medicorum opinio, quod qui peste decubuerint, uel cutim exiguis pustulis abstersam, quæ uibicibus, aut culicum morsiunculis similes existunt, & quandoque ulceratæ, & ad carbunculorum speciem accedentes habent, uel parotides post aures, aut bubones sub alis, seu inguinibus, siue aliqua alia corporis parte, uel antracem, carbunculumuè, seu aliquem humorem tetri coloris, aque odoris. Quam opinionem non penitus ueram esse arbitror, quandoquidem pustulas & antraces dictos humores non nisi ab humoribus traxisse originem fatendum est, qui sua prauitate naturam irritantes eam coegerunt ad hanc, uel illam partem eos expellere: quod in hectica, & ephemera pestilente minime fieri satis apertum est, cum in his non quidem humoris, sed aut cordis corpus, aut spiritus lue corripiantur: insuper etiam ubi humores pestilenti qualitate afficerētur, qui crassi essent & ad mouendum difficiles, facultas uero adeo imbecillis, ut etiā acriter prouocata minime posset humores eam irritantes ad extimas partes propellere, neque pustulæ, neque tumores prædicti haud generarentur. Non desunt idiotæ, qui dicant peste defunctos ex quadam membrorum resolutione deprehendi, sed nisi hi præter resolutionem quid aliud obseruent, non illis fidem adhibēdā esse censuerim, quippe quod in peste demortuis non potest membrorum resolutio esse adeo magna, quin maior, uel saltim ęqualis in his esse queat, qui multitudine tenuis, & humidæ pituitæ resoluti pereunt. Quare nonnullos nostrates Patauinos idiotas magis approbo, qui longa docti consuetudine affirmant se ex totius corporis, & oris colore, atque odore eos dignoscere, qui peste decubuerunt. Ego verò consulerem, vt qui tempore pestilentiæ curam gerunt dignoscendi corpora, quæ peste perierunt, non solis maculis, pustulis, tumoribusvè antea dictis fidant, sed his non apparentibus unà cum totius corporis & oris tetro colore, atque odore putido, qualem quæ putrida sunt, & corrupta, edere solent, ab assidentibus percunctetur, quæ symptomata dum

ęgrotaret is passus est, cuius corpus examinandum proponitur. Qua ratione facile inueniet, an qui mortuus est, peste laborauerit, si ea omnia tenebit, quæ à nobis superius de signis demonstratiuis fuerunt explicata: Nec est incōueniens, ut quæ prius morbum pestilentem præsentem ostendebant, ægro defuncto ex assidentium relatione pręteritum memorię subiiciant: in publicis enim lectionibus nostris cū principiū secundi libri artis medicinalis Galeni iuxta latinorū diuisionem explicaremus, satis superque declarauimus eadem signa diuersis considerata modis & demonstratiua, & rememoratiua & esse & nuncupari posse.

Excellentißimus Oddus hucusque peruenerat, cùm repentina morte sublatus est, quod uerò subsequitur, Marcus de Oddis eiusdem filius suppleuit, ut totus de peste tractatus, non autem mutilus in lucem prodiret.

De causis, & origine Patauinę pestis: Cap. 14.

HAec sunt quæ de causis, ac signis pestilentiæ in uniuersum erant agenda, num uerò hæc, quę per urbem grassatur, infectio, pestis propriè sit, in primis discutiendum occurrit, si quidem huius gratia hæc scribere potissimum aggressi sumus, etenim quod morbus sit epidemius, siue uulgaris cum per urbē totam, ac populum spaciet, necnon & pestilens, cum qui hac lue laborant, moriantur, omnibus palam est, ueruntamen num proprie pestis nominanda sit, quæ aut ex aeris corruptione prouenit, aut ex humoribus uitiatis paruo momento ab aere suscepto, aut ex aspectibus corporumque superiorum coniunctionibus, quàm quidem postremam causam tandem ad duas priores deduximus, an uerò impropriè, quàm citra aeris corruptionem contagione tantum plures homines perimere diximus, dum particulæ quædam minimæ putridę, ac pestilentes, quæ ex aere, aut corporibus infectis defluxere, in uestibus, culcitris, & aliis huiusmodi seruantur, ac postmodum suppellectilia hęc in hominum usum desumuntur, complures grauissimi hercle uiri in dubium reuocant, alii nanque aeris corruptionem pestis causam esse suspicantur, alii autem prauos in corpore humores congestos, qui parua quadam occasione ab aere desumpta, putredini subiiciuntur, alii uerò aspectus, syderumque uenenatorū coniūctiones, ex quibus aut aer, aut humo

res in corporibus existentes inficiuntur, ac postremò nonnulli alii nullum horũ sentiunt causam, sed contagionẽ tantũ ex externis sup pellectilibus ad nos aduectam. Non est autẽ (ut mea fert opinio) precipua pestilentiæ causa (ut priores cõtendunt) aeris nos ambiẽtis corruptio, cũ enim aer corumpatur, aut sui temperie calida, & humida, quam quidem putredini maxime obnoxiã esse demonstrauimus: aut ex uaporibus tũ ex terra, locisque terræ cauernosis, tum ex aquis male olentibus in aerem delatis: aut uariis aliis supra terræ superficem mixtis corruptis, aut cælestibus influentiis, aeris quidẽ temperies calida & humida potior causa esse nõ potest, nam licet superior constitutio parumper humida fuerit, ac calida flante nimirum austro, ac pluuiis quibusdam defluentibus, nõ tamẽ adeo talis extitit, quin æstate superueniẽte ualde calida & sicca uapores humidi cõsumpti potius quàm putrefacti fuerint, atque potissimũ cum Patauium sub climate satis temperato repositum sit, in quo diuersę ex uariis regionib. uel optime sanę nationes degunt: insuper si aer, qui nõ solũ Patauio, sed & cõuicinis suburbiis, ac oppidis cõis est, his prauis qualitatib. ĩfectus esset, dubiò procul nõ tm̃ ciuitas nostra, sed & suburbia, ac vicenæ ciuitates, ac oppida hac lue afligerentur, idque potissimũ cũ ipsi coloni, ac extra urbem commorantes tum ob bonorum cibariorum penuriam humores quàm aptos ad putredinem suscipiendam detineant, tum etiam uel maxime aeri infecto exponantur, ignes namque plurimi, qui in urbe uigent, non parũ aerem depurant: adhæc illorum animalium multitudo, quæ ex putredine generantur, non apparet adaucta, qualia sunt superius ex Aui. placitis enarrata, ranarum nimirum & reptilium genera, mures, muscę, & alię istiusmodi animalium species, cũ enim ex putredine ortũ habeant, quanto magis aer putrescit, tanto etiã specierũ indiuidua adaugentur: Amplius uolatilia, terrestria vè animantia ꝓprios nidos, ac cauernas minime deseruisse certò scimus, quinimmo in his, ut & aliis cõstitutionibus inhabitasse, sobolẽ propagasse, ac filios editos uel optime educasse, minus etiã uapores putridi, qui aut ex terra, aut aqua infectis in aerem attolluntur, ipsum inficere ualuerunt, quandoquidem motus terrę minime auditi sunt magnos terrę hiatus efficientes, ex quibus putridæ exhalationes prodierint aerẽ, & corpora inficientes: quòd si hoc cõtigisset, prius quidem plantis ac uolatilibus animantibus (ut & Aetius scripsit) manifestissime communicassent, deinde & aliis omnibus, quãdoquidem plantæ, & animalia quæque aerea, terræ, ac aeri con- 5.lib.c.95

tinue aperto exponuntur:uerumtamen animalia hæc (ut dictũ est) recte se habuerũt,& plantę omnes uirentes frondes,ac fructus copiosos ostentant,aquę uerò stagnates,ex quibus suspicio nõ minima uaporum putridorũ emanantiũ exoriri possit,& si circa urbis męnia nonnullę appareant,non tamen proprie tales sunt,quandoquidem ex fluuiorũ excrescẽtiis plerunquefluxu, atque refluxu repurgantur, cuius quidem indiciũ est manifestum,quòd nec earũ superficies oleosa,nec ranarum copia solito abũdantior conspicitur:mitto autẽ cõsultò neque mortuorũ corpora , neque cauernas apertas,neq. alia huiusmodi aerem inficere protulisse, cum his,& superioribus tẽporibus in pace uiuamus , & nullibi auditũ sit quid tale apud nos contigisse:mitto quinetiã influxus cęlestes, quos ob cõiunctiones illas pessimas Astronomi aerem inficere posse animaduertunt,siquidem astra insalubria signa aereę triplicitatis,utpote Geminos,Libram, & Aquarium minime occuparũt,nã licet anno præterito synodus Saturni, ac Martis in Piscibus propè uernale æquinoctium die nimirum quinta Martii generalẽ quandam aeris impresionem in locis,ubi homines plurimis piscibus aluntur, excitarit,non tamen pestiferam , cũ signa hęc insigni luminarium defectione uim suam extendere nõ ualuerint , aliique mitiores aspectus fuerint subsequuti,atque cõiunctiones, pręsenti uerò anno nec maxima,nec maior, nec media cõiunctio apparuit,quinimmo benignę nõnisi synodi,utpote propè æquinoctiũ Solis ac Veneris, ac mox Veneris,& Mercurii,atque cõsimiles aspectus:Et licet circa decimũtertium Martii diem synodus quędam fuerit Saturni , ac Solis in Ariete exaltati, ex qua quidem Sol à Saturno, & ab ambobus bicorporeum piscium sydus quodammodo infici uideretur, ac circa uigesimũ eiusdẽ mensis altera Solis,& Mercurii ob mutuã inimicitiam alterationẽ quandam præseferens , hę tamẽ synodi nõ satis extitere , ut aerẽ inficerent, sed cõtagione humores ob symbolam quandam cũ his naturã accenderent , neque Lunæ eclypsis, quæ quarto Iunii die fuit, aerẽ pestilentẽ reddere ualuit, propterea quòd cum esset in Sagittario indicium tantũ erat,quòd humores cõtagione inficerentur: ex quibus etiã rationibus quã facile eorũ sententia cõuincitur , qui solam Patauinæ luis causã in humores, occasionem ab aere suscipientes, cõuertunt,nam si aer (ut demonstratũ est) infectus non est, quomodo humores ab eo momentũ suscipient; quòd autem neque praua ciborum qualitas,quale est semiputridum frumentũ,neque alia istiusmodi enarrata, uti communis

munis causa in corporibus humores inficere ualuerint, non est, ut multis rationibus initamur, quandoquidem rustici, ac reliquę conuicinę nationes eisdem cerealibus nutriti cibariis, perinde ac Patauium incolentes hac lue infestarentur, cũ causa communis ex Hippocrate homines quosque inuadens sine discrimine interficiat: Et quamuis aspectus cœlestes (ut prædiximus) pestem hanc in humores ex contagione cõtractã quodãmodo adiuuarent, suum tamẽ uirus nõ adeo satis erat pro eorũ infectione: Quocirca falsũ quoque illorum est placitum, qui cęlestes motus huiusce luis potiorem esse causam sustinent, cum neque aerem, neque humores exactè inficere potuerint: neque eorum, qui solo contactu luem hanc emanasse sentiunt, omni ex parte sententiæ acquiesco, nisi & cęlestibus influentiis nonnihil tribuant adiumenti: inferiora namque hęc (ut superius dictum est) à superioribus gubernantur. Impropriè igitur Patauina hęc pestis est, quam ex contagione fieri diximus ob putridos nimirum, ac pestilentes uapores, seu corpuscula in suppellectilibus contenta, que quidem modo aerem circumuicinum, modo corpora immediatè inficiunt: qui enim in eodem lecto cohabitant, ac infectorũ corporũ uestes, culcitras, ac pannos manibus tractant, aut eis coutuntur, immediatè inficiunt, ab his uerò, qui infecti sunt, si uapores putridi, seu particulę minimę pestilentes effluentes in aerem recipiantur, primum quidẽ ipsum corrũpunt, mox & cordis spiritus, humores, ac totius denique substantiam eodem per pulmones, aut meatus cutaneos attracto. Nulli itaque mirum esse potest, si homines lue hac infecti primo quoque die, secundo, tertio, ac quarto pereunt, atque potissimũ uulgares, propterea quòd prauis humoribus imbuti, & ad putrescendũ paratioribus cum seminariis symbolam quandam naturam obtinẽt, neque ut nobiles seipsos ab aere infecto, seu coinquinatis hominibus abstinent: ob id hi quidem laborant peste, at ob uarias eorũ naturas, & proprios humores uariis febrium generibus, atque morbis uarias corporis partes occupantibus, necnon symptomatibus affliguntur, nõnullis enim phrenitis, capitis dolor, atq; uertigo aliis, qbusdã angina, aliis stomachicę anxietates, aliis morbilli qdã rubei, aliis liuidi, aliis tumores sub axillis, seu inguinibus, seu parotides uariis insignitę coloribus, atque aliis alii hmõi partiales affectus apparent quemadmodum & in pestiferis, quæ ab Hippo. & Galeno describuntur cõstitutionibus: Nũ uerò lues hæc ex suppellectilibus originẽ ducens, ab hac, uel illa externa regione inuecta

2.de natu. hum.cõ.3.

inuecta sit, eò nobis curę sit, quò ut nō amplius alia istiusmodi ad nos inuehātur, ꝓuideamus: huic autem rei ut salutis ꝓuisores uel maxime inuigilent, hortamur: frustra nāq; ꝙ inficit, tollēt, si nouū denuò aliud introducatur: atq; hæc de Patauinę pestis causa communi ex signis sat dicta sufficiant, cū prius de causis, quæ ex cuiusq; natura, & uictuum diuersitate iuxta Hippo. Galenique doctrinam fusius dissertum sit.

De Prognostico Patauinæ pestis *Cap.* 15.

CAeterum de pręsagio nonnihil breuibus dicendū censeo, ut tandē huic libro de signis finē imponamus: ex tribus namq; quæ medicā artē illustrant, morbi nimirū cognitio, eiusdem curatio, atq; præsagiū, præ cęteris ex Hippo. mente præsensio ipsa præstantior existit: In ingressu itaq; Solis in Arietē anno 1556. cęli figura pestē subsequutură indicat, Sol. n. ab infortunātiū cōiunctione damnatus conspicietur, Luna uerò cursu uacua, & ad Solis cōiūctionē tendens, Saturnus decimę domus dominus à domo, & ab altitudine cadēs, & à Marte ex coitu uulneratus, Mercurius uerò dominus Horoscopi peregrinus, combustus, obsessus ad Martis, ac Saturni cōiunctionē proficiscens, q̃ domui mortis dominabuntur: Hæc sanè omnia mortalitatis inditia sunt: adde, quòd ex coitu Martis cū Saturno remittitur calor Martis, & ad putredinem idoneus fit, non tamen ut ea aeris sit putredo, sed humorum potius ex contagio, horum nanq; congressuum prauitas à trino Iouis aspectu remittitur: insuper Mercurius ostendit per scelestorum uirorum astutiam pestem uulgandam: accedunt ad hęc utriusque luminaris in eodem mense Ecclypses, quorum quidem alter circa decimum gradum pessimi signi erit, reliquus uerò circa pleiadas, quæ stellę pestilentes, ac epidemiales censentur. ꝓinde mala hęc Deus omnipotens, & mundi ꝑpetuus administrator clementioribus aliorum syderum aspectibus sua benignitate à nobis auertat, nec non prauorum hominum actiones dispergat, qui ut aliorum mobilia furentur, adeo impii sunt, ut seminaria hæc pestis spargere non desistant, quæ quidem causa potissimum ab urbis præsidibus, salutisque prouisoribus imprimis est resecanda, ut tandem quæ infecta sunt omnia, Dei optimi maximi nutu, eorundemque ope ac diligentia liberentur.

Libri secundi finis.

DE PESTIS, ET PESTIFERORVM AFFECTVVM PRAECAVTIONE LIBER TERTIVS.

Quid præseruatio, & quomodo à conseruatione, & curatione distinguatur, & quot in præseruatione communes indicationes. Cap. I.



INSTITVTVS præsentis operis à nobis scopus est, vt primum quidem de causis morbi pestilentis, mox de signis, ac postremò de eiusdem præseruatione, curationeque disseramus, absoluta prioribus duobus libris de causis & signis tractatione, reliquum est præsenti libro pestis, seu pestilentiæ præseruationem primum, demum & quarto curationem aggrediamur. Vt autem corpora ab imminenti peste præseruare nõ ignoremus, imprimis discutiendum uidetur, quid præseruatio, seu præcautio sit, & quomodo à conseruatione, curationeq; distinguatur, siquidem Gal. exemplo ex duobus doliis per totum tamẽ paruis quibusdam foraminibus pertusis desumpto clarissimè ostendebat totam ipsam artem medicam circa resartionem consistere, ita ut tam conseruantes, quàm præseruantes, seu ad melius ducentes, atque curantes, semper prolapsum quidpiam resarciant, uerumtamen in resartione non parum inter sese distinguuntur, propterea quòd conseruantes insensibilem quidem lapsum reficiunt, ut & qui dolio uni ex prædictis præest, continuò aquam sensim superinfundens, at præcauentes, curantesque manifestum admodum, sensibusq; subiectum, ut & qui dolio alteri per temporis spacium non præexistens, superueniens uerò aquam semel totam defluxam superinfundit: ob id Auerroes & Gal. ubique, & omnes fermè Medici, qui sensui manifesta diiudicant, conseruationem per similia fieri

Libro ad traſſ. à Medi. &c.

6. Colli. capi. 11.

fieri dixere, ſicuti & præſeruationem, atque curationem per contraria adhibita remedia, quandoquidem Gal. ait, eandem eſſe rationem inſtantis laſsitudinis cauendæ & eius, quæ iam occupauit, ſummouendæ: Verum præcautio, atque curatio inter ſe differũt, quoniam curatio morbo oppugnat, pręcautio uerò quibuſque cauſis, quæ morbum gignunt, aut gignere queunt: Quodcirca Gal. uolens indicationes curatiuas deſumere, easque à præſeruatiuis ſeiungere dicebat: Ac maxima quidem propria in ſoluendo morbo intelligitur curatio, ſed per abuſionem etiam mixtum genus tum ex uera curatione, tum prouiſione, quã prophylaticen appellant: ac diariarum quidem febrium, & hæcticarum uera & propria curatio, earum uerò, quæ ex putreſcentibus excitãtur humoribus uocata curatio, prophylaticen quoq; ſibi adiunxit, cuius officium eſt cauſam, quę morbum creat adimere: quandoquidem ephemeræ, hæcticęque febres cauſis, quæ eas excitarunt, uacant, at putridę omnes ſecum etiam cauſas retinent, ob quas indigent præſeruatione: Cum igitur peſtis, quæ propriè dicitur, cauſæ duæ præcipuę ſint, altera nimirum aer corruptus, ac putridus, altera uerò praui humores in corpore congeſti paruo ab aere momento ſuſcepto, tertiam nãque, cęleſtes nimirum influentias (uti dictum eſt) ſub his duobus comprehendimus, peſtis uerò impropiè peculiaris altera, nempè contagium infecti corporis, aut corpuſculorum ab eo emanantium, totidem etiam inſurgunt præcauendæ peſtis indicationes, aer nãque corruptus (ſi fieri poteſt) indicat, ut ad priſtinum ſtatum reſtituatur: humores autem, qui aut peſtem generãt, aut generare facile queunt, ſui ablationem, aut ad benignum cõuerſionem requirunt: Etenim qui peſti nequaquam ſubiiciuntur, ſui cuſtodiam potius indicant, ac iure ſub conſeruatrice medicinę parte collocantur: Ex contagione uerò, quæ alterius peſtis impropriè eſt cauſa, indicatio exoritur, ut & ſuppellectilia uentilentur, comburanturve, quæque infecta ſunt corpora ab incorruptis arceantur.

4. De tuen. ſan. à principio.

11. Metth. med. ca. 2.

Quomodo aer corrigendus ſit, qui ex uarijs cauſis corrumpitur. Cap. 2.

SI igitur aer, qui per pulmones, ac corporis meatus neceſſariò attrahitur, ſubingrediturve, corruptus, ac putridus ſit, corruptio uerò hæc ex tribus potiſsimum cauſis pendeat, propriæ nimi-

nimirum aereæ substantię prohibita euentatione, uaporum ex quopiam putridorum corpore in aerem delatione, ac pestiferis signorum cœlestium coniunctionibus unaquæque ex his causis peculiare remedium exposcit, cum enim aer hic noster simplex non sit, sed commixtus, siquidem aer simplex, ac purus putredini minimè obnoxius est, & ob id Aristo. libello de long. & breuit. uitæ concludens dicebat: Iccirco pinguia non putrescunt, in causa autem, quoniam aeris sunt: si contingat, ut quietus, conclususque adeo ut euētari nequeat, necessariò incalescat, ac quod in se (hunc enim in modum aliàs fusius putredinem fieri demonstrauimus) caloris adest in humido per partem post partem corrumpat, ut tandem per pulmones attractus, cordis spiritus, humores, & substantiam denique inficiat, huic quidem euentatione præcauendum erit, quæ aut flabellatione, aut exiccatione fit: proinde aer uentis aquilonariis potissimum frigidis ac siccis flabellatur, exiccatur autem calidis & siccis suffumigiis, lignorum combustionibus, & huiusmodi, primũ quidem auxilium nostrę haud quaquam subiicitur potestati, quandoquidem aquilonii uenti perflantes temporum constitutiones insequuntur, quę forte arte flabellario si tentetur, dubio procul non id afferet adiumenti, quale ex Aquiloniis flatibus afferri solet, nam pręter quòd hi aerem dimouent, ipsum etiam exiccatione puriorem reddunt: ob id cum Hippo. dicat: Quotidianę autem constitutiones aquilonię quidem corpora densant, contendunt, & bene mobilia, coloratiora, & melius audientia faciunt, & aluos exiccant: Gal. in eius commentatione subdebat, quoniam frigidus ac siccus uentus est aquilo, & omnes corporis consumit superfluitates, aeris nanque quod proprium est, adstringit, in unumque substantiam densando cogit, quocunque in eo contento superfluo consumpto, aut depulso: quod quidem uentis diuersę ab hoc naturę minime conuenit, nam licet Auster aerem exagitet, ob sui tamen temperiem calidam & humidam putredinis magis est causa, quemadmodum in superioribus ab Hippo. descriptis constitutionibus uideri licet: unde subdit Hippo. Austrinę dissoluunt corpora, & humectant, auditum obtundunt, capita aggrauant, & uertigines faciunt, oculis, atque corporibus difficilem motum præstant, & aluos humectant: non alia sanè ratione, nisi quia Auster calidus est & humidus, aeremque prauis illis qualitatibus inficit: Quocirca altero aeris euentationi auxilio pręcauebimus, exiccatione nimirum, quę non solum aerem purum reddit, uerum & mobilem,

3. aphor. part. 17.

ac perspirabilem, frigidioribus quidem temporibus ignem accendentes ex lignis Iuniperi, Cupressi, Lauri, Rorismarini, Sauinæ, Acori, Cyperi, & alterius id genus, pariter suffumigiis utentes ex odoratis, nempè Thure, Myrrha, Styrace, ligno Aloes, Mastice, Gariofilis, Cinnamomo, Squinanto, Spica Nardi, Terebyntho, & similibus: calidioribus uerò ex his, quæ frigidiora sunt qualia sunt sãdali cuiusq; generis, rosę flores nenupharis, folia salicis, cãphora, cortices citri, ac malorum granatorum, folia quercus & hmõi, accenso quinetiã igne ex frigidioribus prædictis, ac consimilibus lignis. Quòd si causa infectionis aeris ortum habet ex uaporibus putridis in aerem delatis, qui & ipsi duabus ex causis contingere possunt, aut ob uentos, qui eos ex exteris nationibus defferant, quemadmodum euenit Atheniensibus, ad quos (ut recitat
1.de differ. feb.cap.4. Gal.) ex Aethiopia praui admodum uapores uentis agitati, ad ipsos fluxerunt, aut ex cauernis, aquis stagnantibus, & huiusmodi locis proxime uapores hos tetros scaturientibus, utrique causę prouidendum est, primæ quidem ualde probabat Gal. libello de Theriaca ad Pisonem Hippocratis auxilium, quo Athenienses, ac Grecos circunuicinos peste ex Aethiopia aduecta curauit, aeris nimirum mutatione, alterationeque, iussit nanque ut prius homines sub uentis illis pessimis anmouerentur, aliam uerò, quæ ab his tuta foret, regionem colerent, mox ut per loca illa ignis incenderetur non quidem ex quauis lignorum materia, sed quæ suauissime redolerẽt, necnon ut serta, ac flores redolentes, & unguenta pinguissima, odorataque ipsis superinfunderentur, ut tandem aere ad sui puritatem reddito homines eo in mali subsidium perfluerentur, ignis nanque suauibus his exhalationibus calidis & siccis prauos in aere uapores existentes absumpsit, ipsumque coinquinatum puriorem reddidit. Quocirca Hippo. ob hoc pręstantissimum auxilium Senatus, populique Atheniensis decreto corona aurea mille aureorum pondo iure coronatus fuit, innumerisque aliis donis, atque honoribus condecoratus ut in senatus consultum, Atheniensiumvè dogmate in Hippo. honorem & immunitatem, ac Thessalli filii oratione apud Athenienses habita quisque uidere potest: alteri uerò auxilium pręstabimus, si causam abscindamus, ob quam uapores hi tetri cum aerea substantia miscentur, nam reseratis cauernis, aut sepulcris è quibus ob corpora ualde fœtida ibidem recondita putridę necessariò exhalationes emanãt, si ea recludamus, aut quæ condita sunt, corpora igni comburamus,

buramus,

buramus, locaque mundemus, unusquisque sanę mentis nos causę obstasse pro certò confirmabit, quandoquidem dempta ex toto causa effectus pariter ab ea proueniens necessariò tollitur, pariter si aquæ stagnãtes aerem inficiunt, procurãdum est ut fluxum habeant, atque refluxum, aut (si fieri potest) ex toto exiccentur, si uerò huius causa sit in humatorum corporum, quæ bello occisa sunt, putridæ euaporationes, aut (ut Venetiis conspicitur) sordities, immunditiesque in campis, uiisque publicis contentę, & alia istiusmodi, mundatione, combustioneque tollendę erunt, ac mox aer (ut supradictum est) depurandus. Inuigilandum igitur uel maxime circa hęc omnia ab his, qui sanitati præsunt, obsistendumq; his causis infectionis aeris repertis, quemadmodum & ne herbarum, aut radicum, aut talium quid putridum in plateis, aut uicubus deferatur, cum ex his totus vrbis aereus circuitus plerumque coinquinetur: At si cęlestia sydera, ac pestiferæ signorum coniunctiones aerem perturbant, huic quidem causę Deus prestò esse potest, non solum aliis mitioribus oppositis aspectibus, uerum & sui benignitate, proprioque nutu, narrabat etenim Diuinus Homerus ob uirginis Chrysis sacerdotis filię Apollinem, quem tam pestilentiæ, quàm salutis authorem credidit antiquitas in eos pestem misisse, quæ primum quidem animalia, mox homines inuadens continuè interficiebat, donec ipse reddita patri puella tella, quibus animantia quæque peribant, auertit, nil aliud mystice inferens, quòd cum Deus optimus ob nostra scelera multotiens cęlestibus influentiis, quæ sagittis indicantur, pestem immittat, summa ope niti debemus, ut pręcibus ipsius furorem placemus, ut primum quidem aerem, aereaque omnia, ad quorum proportionem animus est noster, mox & corpora nostra, quibus inseruiamus, purget, ac mundet: ob id Liricus Poeta noster his uersibus Appollinem, ut pestem auerteret, depræcabatur: Condito mitis, placidusque tello, suplices, audi, pueros Appollo.

Quomodo humores in uniuersum corrigendi, & in homine bonis humoribus prædito ijdem conseruandi quo ad sex res non-naturales. Cap. 3.

CAeterum cum humores una sit ex causis, circa quos (ut & Gal. consentit) præcautio præcipuè negotiatur, nitendum est, ut hi conuenientem statum in uniuersum seruent, penès 3. art. med. c. penult.

quidem substantiam ne lenti sint, crassive, aut tenues ualde, quo ad quantitatem autem non plurimi, neque pauci admodum, sed moderati, quo ad qualitatem uerò neque uehementer calidi, aut frigidi, neque acres, neq; putridi, neq; ueneni affines, ubi namq; ad hmôi excessus accedũt, morbos parere solẽt: cum autem humores bifariam augeantur, aut ex causis eisdem, ex quibus gignuntur, aut cum praui humores bonos etiam corrumpunt, exemplum quidem primæ causæ est, nam ex cępis, alliis, pipere, & huiusmodi calidis succus calidus & biliosus gignitur, & ex carne taurorum succus melancholicus crassus, & ex caseo, & piscibus pituitosus, hi utique succi in corporibus adeo adaugentur, vt tandem & ipsi morbos generent; quo ad secundam uerò attinet causam, habemus clarissimum diuini Hippo. oraculum dicentis: Non pura corpora quanto magis nutries, tanto magis lędes, humor enim malus si cum bono sanguine, reliquisque humoribus commisceatur, non solum ipsos alterat, uerum & temporis spatio corrumpens ad sui naturam conuertit, duplici etiam auxilio utrique succurrendum est, alteratione quidem primæ, euacuatione uerò secundæ, licet utriq; utrunque multotiens remedium competat, cum alterum sufficere non ualeat: si enim corpus ex cibis crassis quo ad humores plurimũ sit adauctum, alteratione utique indiget, uerum quoniam quidpiam excrementosi in se continet, id etiam superfluum erit euacuandum. Si igitur in quopiam humores praui adaucti non sint, sed in omnibus mediocritatem quandam seruent, huic potius conseruatio, quàm præseruatio debetur, quæ in sex rebus nonnaturalibus potissimum consistit, non inepte etiam à Galeno ad quatuor tantum genera contractis, nimirum his, quæ assumuntur, cibo ac potione, extra occursantibus, aere, his, quæ uacuantur, uacuatione & retentione, ac his, quæ fiunt, qualia sunt animæ affectus, somnus & uigilia, motus & quies totius corporis, & partium singularum.

2. apho. part. 10.

Li. ad tras.

De aere eligendo, & parando. Cap. 4.

DE aere quidem in vniuersum qualis, & quomodo parandus sit, iam dictum est: ut autem cuique propriis in domiciliis habitanti conueniat, breuibus expediemus, quãdoquidem aer hic septentrionalis, orientalisque esse debet, & fenestræ arte (si ab his partibus non adsunt) conficiendæ, quæ uerò à meridie atque occidente claudendæ, ob eas, quas supra tetigimus, rationes: caueat

quinetiam ab aere ualde calido, qualis est eorum locorum, quæ apud nos stuphæ uocantur, siquidem inspiratione ad spiritalia mẽbra, ac ipsum cor repentè attractus, spiritus, ac humores accendit, & dissipat, idque potissimum æstate: Eligat autem cubile ad prædictas regiones uergens, in quo quidem æstate temperatioribus prędictis suffumigiis utatur, hieme uerò calidioribus, accendatque ad ignem ex lignis odoratis iuxta anni tempora, ac proprias facultates, qui enim diues est, iunipero, lentisco, ligno aloes, & similibus, nec non preciosioribus odoramentis: qui verò pauper, rore marino, lignis & foliis quercus, & salicis, & huiusmodi vti potest: plerũque etiam super carbones accensos infrascriptam mixturã ad auel lanæ quantitatem imponat, quæ recipit cinnamomi, gariofilorum, spicæ singulorum dragmas duas, ac congruam ad mixturam confi ciendam styracis liquidæ portionem: irroratis insuper domiciliis ex aqua rosacea, & optimo aceto, nec non pannis lineis appensis, qui ex prædicta compositione sint madefacti, ac prędictis, & consi milibus foliis, & floribus in terram conspersis, æstiuo quidem tem pore frigidioribus, hiberno uero, calidioribus.

De cibo, & potu eligendo. *Cap. 5.*

QVod uerò ad cibum, & potum attinet, cum hominem excrementis minime abundantem supposuerimus, studendũ est, ut cibaria hæc prauos non generent humores, neque coctu difficilia sint, quæ enim ualde calida sunt, atque acria, nimium euaporant, & biliosos succos gignunt, sicut quæ frigida, & crassæ uiscidæque substantię, atrabiliarios, & pituitosos, at quæ me diocri constant substantia, & boni succi maxime conueniunt, si in moderata exhibeantur quãtitate, neq; enim dieta tenuis huic adhi benda est, quę ex Galeni sententia his adhibetur, qui quapiam ęgritudine cronica laborant, quandoquidem intentio nostra est huic & bonos humores seruare, & vires, non solum ut prius, manutenere, sed & augere, ut causis pestem inducere ualentibus possint obsi stere, in aliis uerò intendebat Gal. tenui uictu crassos humores absque medicinis attenuare, atque incidere, ut in affectibus arthe-ticis, ac spirandi difficultatibus, ex quo & dolores cessent, & spiratio leuior efficiatur, quæ uerò plenior uictus est ratio haud conuenit, cum uirtus nimia cibariorum copia oppressa facillime succumbat, & crudi ex inde succi gignantur. Si igitur mediocris ui-

ctus

ctus, & ut à pane exordium desumamus, is sit siligineus, fermentatus, optimè confectus, in clibano coctus, atq; unius, duorum, triũve ad summum dierum, cum enim alius panis sit siligineus, alius similaceus, & alius αὐτόπυρος græce, apud nos secundarius & alius furfuraceus, seu sordidus, panis quidem siligineus præ omnibus præfertur, quoniam ex purissima tritici farina, siue eius flore (ut nostri dicunt) uel polline confectus est, efficaciusque nutrit, ac tarde è uentriculo deiicitur: similaceus autem huic proximè accedit ex pura constans farina, non tamen ex eius flore, atque ob id non adeo nutrit, ut prior, sed magis è uentre deiicitur, post ipsum est αὐτόπυρος, ac si dicas ex toto tritico farina, scilicet & furfure cõpactus, qui minus adhuc nutrit, sed è uentre citius descendit, postremò sordidus, qui minimè omnium nutrit, & omnium maximè per alium subsidet, quoad cocturam uerò panis uario etiam coquitur modo aut in clibano, textuvè, atque is præstantissimus, cum undequaq; perfectam suscipiat coctionem aut in furno, & is non inconcinnus modus est, aut in craticula & sub cineribus, qui meo quidẽ iudicio detestãdus est, sicut & qui sub cineribus, nã qui ĩ craticula, & sub cineribus panes cõcoquũt, partes dũtaxat extimas exurũt, internas uerò crudas derelinquũt: postremò pani tertiã subiũximus notã, ut fermentatus sit, trium ad plus dierum, quandoquidem panis azimus, seu absque fermento difficilis admodum est coctu, & quo uetustior eò magis siccam quandam qualitatem & difficilem substantiam nutritioni, distributionique redolet: ab hoc tamen calido abstineat, propterea quòd ex Auenzoaris sententia, quam fortè ab Hipp. mutuatus est, calorem igneum in stomaco generat, ac reliqua cibaria corrumpit, idque potissimum cum pestilentiæ tempore causæ externæ uel maxime concinnæ ad putredinem gignendam reperiantur. Fugiat insuper ea, quæ ex farina fiunt, bellaria, atque præcipuè si cum melle aut zuccaro confecta sint, siquidem Gal. libris de alim. facult. vti humores crassos, viscososque gignentia, cum melle uero vtpotè quæ incocta ab hepate facile trahantur, detestabatur, quo fit, vt obstructiones pariant, quæ pestis occasiones esse solent, quemadmodum superius declaratum est: sint autem fercula, quæ crassum, uiscosumque non generent humorem, vt est hordeum optime paratum, quod quidem ptissanam non collatam Hippo. & Gal. nuncupant, ab eisdem quoque pluries probatum: viscositas namque eius leuis, continua, iucũda, lubrica, & mediocriter humens, quandoquidem & siccitatis cuiuspiam

1. theysir. a principio. 2. de rat. uict. in acutis cõt. 35.

1. de rat. uict. i acut. cont. 18.

iuſpiam particeps eſt, ut uoluit Gal. ſeu quis alius non inelegans ſcriptor libello illo de ptiſſana inſcripto, qua imminenti peſtis periculo non parum auxiliatur, non tamẽ ſitim infert, & ſi quid abluiæget, probè abluit, non adſtringit, non ualde turbat, neq; in uentre tumeſcit: quòd ſi in eo ferculo parum quid anethi, aut fęniculi à principio bulliendum immiſceatur, gratisſimum, & ſaluberrimum edulium parabitur: Neque ſilentio inuoluam id ferculi genus, quod à Galeno phacoptiſſana uocatur, dum hordei partẽ unã, & lentium alteram in maiori tamen quantitate cum pulegio, & ſaturegia decoquendas permiſcet, id enim cibarium præter quòd guſtui eſt iucundum, ſi quid ſuperflui in corpore reperitur, exiccat, & deiicit, corpori dat robur, ac coctu quàm facile exiſtit: Quæ uerò ex Oriza, & Farre parantur, licet à grauiſsimis medicis concedantur, uiſcoſum tamen ex Galeni placitis gignere ſanguinem cẽſeo, vt ſi interdum conſeruandus homo ea deguſtare uelit, ſatius ſit, cũ aceto condere, aut alio quopiam, quod eorum ammoueat craſsitiem, atque lentorem: Vitet autem Edulia quęque ex Millio, Panico, & ſimilibus paucum, ac deteſtandum ſanguinem gignentibus, nec non quęcunque ex herbis, ac radicibus, exceptis his, quę guſtui aromatica ſunt, non quidem ſolis, ſed pro condimentis, qualia ſunt Saluia, Serpyllũ, Pulegium, Hyſopus, Thimus, Betonica, Meliſſa, Menta, Feniculus, Roſmarinus, Apium, Petroſelinum à nobis uocatum, & id genus tale: parata namque in iure pullorum medicamentoſa ſunt, ſi tamẽ ad hominis temperiem ſemper reſpiciamus: Beta uerò, Spinachium noſtrum græcis ignotum, & Brasſica & ſimilia licet concedantur ob ſui nitroſitatem, non tamen frequenter, ut & ſuperiora, quandoquidem plurimum quid habent excrementoſi, minimum uerò optimi nutrimenti: pro acetariis uero cappares à ſale depurati conueniunt, ſi cum aceto mulſo, ac paſſulis ſimul ebullitis condiantur, pariter & oliuæ conditæ, atque ſalitæ: itẽ acetoſa, quam oxalidam Gal. uocat, cichoreum, radices petroſelini, & huiuſmodi mediis quidem temporibus, æſtate uerò lactuca, quam Gal. mediam autumat eorum, quę optimum ſuccũ gignũt, & poſt hanc maluam, ac portulacam, niſi ipſarum humiditatem uereamur, quã quidẽ in peſtilenti ſtatu augere non debemus, ſicut & buglosſi, cuius ex Galeno calida & humida natura eſt, non tamen multum: De fructibus quidem non multa habeo dicere, cũ oẽs fermè prauos ſuccos producãt, ac humidos, exceptis caſtaneis, quę (vt refert Gal.) ſi à uetriculo optime coquant, mirũ in modũ nutriũt,

ſed

sed humorem crassiusculum gignunt, quem quidem in supposito uiro minime requirimus: probatissimi autem fistici sunt, qui etsi ex Gal. placitis pauci sunt nutrimenti, utiles tamen pro hepatis robore, & aperiendis obstructionibus: Quoad fructus uerò horarios, fugiendos omnes censeo, quippe qui humidi sunt, & putredini obnoxii: probarem autem, ut pro uentriculi corroboratione post omnia cibaria quippiam ex fructibus, quæ uim adstringendi obtinent, desumeretur, quales sunt pyra, cotonea, & huiusmodi, in modica tamen quantitate, ac post omnia cibaria. De carnibus quidem multa dicenda forent, quoad tamen nostrum spectat propositum, sint ex animalibus iuuenibus, optimum succum ac mediocrem gignentes, neque superfluitatibus scatentes, ut animalium, quę se exercuerint, neque in priuatis domibus fuerint educata, excrementosam namque carnem habent: talia autem sint capones, pulli gallinacei, ac gallinę iuuenes, palumbi in turribus habitantes, uituli, hędique lactantes, aues montanę, turtures, phasiani, pernices, lepores iuuenes, & huiusmodi tum assa, tum elixa, tum etiam in tigulis condita cum aceto rosaceo, brodio, cinnamomo, omphacio, aureis malis, & aliis similibus: pisces autem boni in parua sunt copia exceptis à Galeno petrosis nimirum, & qui in alto degunt mari, quandoquidem qui apud nos asportantur, plerumque limosi sunt, & in locis propè ciuitatem apprehensi: qua de re prauis enutriti cibariis, praue etiam nutriunt, ueruntamē inter hos ex mari quidē auratas, barbones, rhōbos, menas, zirulos, scarpenas, & sardas, seu sardelas, ex nostris uero lampredas, lucios quosdā, barbos, carpiones, themalos, marsiones, & huiusmodi nō uitupero, quòd si gobiones littorales, aut qui in saxosis promontoriis degunt, reperiantur, iuxta Galeni sententiam, præstantissimi forent tum quo ad gustum, tum coctionem simul ac distributionem, & succi bonitatem, pariter & mugiles, & mulli qui in mari puro enascuntur: uariatur autem eorum bonitas penès ipsam condituram, ac coctionem, etenim Gal. ualde extollebat eos, qui ex albo iure parantur, cum coqui copiosam aquam primum in ollam iniiciunt, deinde olei, quod satis est, affundunt cum pauco anethi, & porri, deinceps piscibus semicoctis salis tantum insper gunt, quoad totum ius salsum nondum appareat, quam quidem præparationem ægrotantibus uel maxime conuenire asserebat: quibus uerò inculpata sanitas est, his piscium in sartagine frixorū, secundo loco super craticula assorum, præparationem accomodam

3. de alim. facult. 30.

dam

dam esse dicebat, uerum hunc oleum, garumque siue sal nostrum cum pauco uino exposcere, frixis uerò plus nitri, salisque, minus uerò olei: quòd si fortè hæc præparatio cuipiam stomacum subuertat, paratum habeat acetum modicum in se salis, & piperis cõtinens. Et quoniam Gal. multis in locis carnes suillas uti optimum edulium præ aliis comprobabat, ne quis forte ob eius uerba decipiatur, unum hic adnotandum esse censeo, id quidem uerum esse, si optime conficiantur, in robustis namque corporibus & exercitio ualde incumbentibus conueniunt quidem, non autem in his, quæ mollia sunt, quiete dedita, ac imbecilla: carnes enim hæ in his inconcoctæ permanent, ac corporis meatus obstruentes, morbis occasionem præstant, si quis uerò his nonnũquam uesci exoptat, syluestribus potius suibus uescatur, ac in parua quantitate, quàm domesticis, atque his potius exercitatis, quàm ociosis, hi enim ob exercitium minus excrementosi, uiscidique continent: Abstineat autem, qui à peste conseruari cupit ab omni lactis genere, siquidem sui crassitie heparis uenas, & corporis totius meatus obstruit, suique humiditate putredinem fouet, quòd si quandoque eo uti necesse sit, ut Gal. præcipit, capræ optime enutritæ lac eligat, in quo mellis quid, salis, & aquæ imponat, idque in prima mensa, ac pro medicamento potius desumat: uitanda quinetiã sunt, quæcunque ex lacte cõficiuntur, necnon caseũ quoduis, ac potissimum uetustum, cũ crassos & obstruentes succos generẽt, q̃ si fortè ex caseo quid appetat, molle potius, recens, & friabile (ut docet Gal.) quàm durum, antiquũ, & uiscosum, atque in parua quantitate, primisque eduliis cum melle comedat: Vtatur præterea recentibus gallinarum ouis sorbilibus, quæ enim dura sunt, aut in sartagine condita, pessima censentur: probabat autem Gal. oua suffocata hũc in modum parata, ubi enim ipsa oleo, & garo, & pauco uini conspersa fuerint (inquit Gal.) uas, quo continentur, cacabo aquam calidam habenti indunt, deinde ubi ipsum totum superne obturarint, ignem substruunt, quoad oua mediocrem habeant consistentiam: atque hęc de cibariis sat dicta sint: qui enim diffusius omnium bonitatem, prauitatemque exoptat, libros de alimentorum facultatibus à Gal. conscriptos adeat, in quibus quæcunque à nobis prætermissa sunt, uberius describuntur: atque de potu breuior ero, quandoquidem in unum caput de eo omnia perstringam, nimirum quòd uinum sit (ut in conualescẽtibus Gal. præcipiebat) ætatem quidem habens mediocrem, hoc est non mustum, neque 3. art. medi. prope calcem.

per multos annos confectum, in ſubſtantia autem purũ, atque perlucidum, non autem craſſum, ſeu turbidum, colore uerò ſubflauũ, aut album, non autem nigrum, aut aqueum, odore inſuper ſuauiter olens, non autem inodoratum, aut graue olens, ac poſtremò quoad guſtum mediocre, non autem aquæ ſaporem redolens, aut cũ ali qua inſigni qualitate, aut dulcedine, aut accredine, aut adſtrictione, tale namque uinum humanæ naturæ maxime conueniens exiſtit, & obſtructiones quaſque in corpore exiſtentes reſerat, ac ipſum ab excrementis repurgat: quòd ſi corpus aliquid præhumidũ reperiatur, potentius uinum requirit, in quo uis exiccandi præpolleat, non tamen in multa copia, ne corpus nimio ſcateat calore: ob id uinum creticum, & alia id genus generoſa, uibrata tamen cuiuſque temperie naturali uel maxime probantur.

Quòd & in præſeruatione, ac conſeruatione cœna prandio ſit copioſior. Cap. 6.

CAeterum cum intelligam communem quandam adhuc uigere ſententiam, quæ in conſeruatione ac præſeruatione etiam copioſius eſſe prandendum, quàm cęnandum admittit, non poſſum non niſi eum animaduertere, qui ſano corpori præſeruationi ab imminenti lue, ſeu conſeruationi potius incumbit, ut hanc uti falſam, ac rationi diſſonam aufugiat, quandoquidem etſi libello quodam de cenę & prandii portione inſcripto ab excellenti Patre meo aliàs fuſius diſcuſſum ſit, non ſolum in ſanis, uerũ & ægrotantibus, his exceptis, quibus nocte fiunt acceſsiones, cęnam prandio copioſiorem parandam eſſe: non grauabor tamen præſenti loco pro his, qui libellum illum nondum legerunt, tres ex his rationes meo quidem iudicio ualidiſsimas in mediũ afferre, ut cuique ueritas hæc facile innoteſcat. prima itaque ratio, ex perfectiori nocte, quam diu coctione deſumpta ſit, nam cùm quiete cibaria perfectius, quàm motione concoquantur quemadmodum fuit non ſolum Galeni ſententia ubique locorum, uerum & Ariſto. Themiſtii, Alexandri, & Auerrois; nocte autem animalia quieſcunt, die uerò dimoueantur, quis utique nocte copioſiorem cibum eis conficiendum non concedet? quod quidem Gal. in ſe ipſo obſeruans, ſiquidem manè tantum panis abſque obſonio comedebat, quod ſatis erat, ut ſex horis conficeretur, recte ſemper ſe habuit, at qui nimio cibo deſumunt, incommodis compluribus

Lib. introdu. de pul. Libello de ſom. & uigilia. 4. metheo. à princip.

affli-

affliguntur, ac potisſimum cum ualide exercentur, caput namque uaporibus repletur, totum corpus, ac potisſimum hepar obſtruitur, ipſo nimirum raptim, ac extra tempus humores crudos ad ſeſe trahente: quo fit, ut nonnullis fame intempeſtiua opprimantur, propterea quòd cum cibaria ex motu intempeſtiue è uentriculo ad inteſtina deſcendant, uentriculus autem uacuus propriam ſentiat inanitionem nouum aliud cibarium exoptat: Secunda autẽ ſit, quoniam poſt cęnam ſomnus conſequitur, cuius gratia calor innatus, qui uigiliis prius per corporis extimas partes diffuſus erat interius retrahitur, ac ualidior efficitur, ut maiorem, quàm prius cibariorum copiam immutari queat: quieſcentibus namque reliquis actionibus animus noſter ſola altrice ualidius fungitur; ob id cũ nocte perinde ac hieme ob aeris ambientis frigiditatem calor concentretur, Hippo. dicebat: ventres hieme, & uere calidisſimi ſunt natura, & ſomni longisſimi, quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda, & Gal. in commentatione illius aphoriſmi hanc eandem Ariſtotelis fuiſſe ſententiam confirmabat: poſtrema uerò ſit ratio; qm̃ maius eſt ſpatium inter cœnã, & prandiũ q̃ inter prãdiũ & cęnã, rationi autẽ conſentaneum uidetur, ut ubi maior eſt intercapedo, maior etiam ciborum copia deſumatur, quandoquidem ſi econuerſo fieret, proculdubiò quod aſſumptũ eſt, in minori temporis portione haudquaquam confectum eſſet: quo fit, ut aut crudus in uentriculo derelictus, ac poſtmodum alio ſuppoſito cibo putreſcat, & alios etiam corrumpat humores, aut ab hepate attractus obſtructionis ſit cauſa, ex qua poſtmodũ humores putreſcant: quòd quidem in peſtilentiæ temporibus vel maximè cauendum eſt. Ex his itaque rationibus facilime cõuincitur communis erronea uiuendi ratio, quã quidem nequaquam inſequatur, qui à peſte cõſeruari præſeruariq; cõcupiſcit, quinimmo ſi huic ſit aſſuetus, paulatine ad contrarium mutetur, plurimum namque ex hac adiumenti percipiet, ac facilime nõ ſolum à peſte, uerum & ab aliis quibuſuis præſeruabitur ægritudinibus: num uerò idipſum in morbis ſit obſeruandum, licet prædicto libro ulterius demonſtratum ſit, Deo tamen fauente, cum dabitur occaſio aduerſus contrariam ſuſtinentes ſententiam demonſtrare non pigebit.

1. aphoriſ. part. 15.

De ſomno, & uigilia eligendis, iuxta congruum etiam tempus: *Cap.* 7.

DE ſomno autem & uigilia conſequens eſt, ut dicamus, cum de his ſuperius multotiens meminimus, nam cum ſomnus ſit in cauſa, ut cibaria perfecte admodum coquantur, uireſque ſeruentur, & augeantur, uigilia uerò, ut ſuperfluitates per ſenſibilem, inſenſibilemque euaporationem difflentur, ut ambo mediocria ſint, neceſſe eſt: ueruntamen ſomnus non ſtatim à cibo ſit, ſed per unam horam cum dimidia ad minus, donec is ad uentriculi fundum deſcendat, quo quidem tempore non ſupra latus dextrum decumbendum eſt, ut nonnulli ſentiunt, hac decepti ratione, ut cibus ad uentris fundum deſcendat, ea namque ratio in his tantum ualet, qui confeſtim dormitum accedunt, quo quidem caſu non ſolum eis ſuper latus dextrum, ſed & capite eleuato dormiendum eſt; at quicumque per congruum temporis ſpatium à cibo ſteterunt, cum is iam deſcenderit, rectius ſuper latus ſiniſtrum dormiant, ut hepar ſuis lobis uentriculum circumplectens, coctioni non parum ſit adiumenti: quòd ſi quis ex oppoſito latere ſit aſſuetus dormire, ut paulatim ab hoc ſe ammoueat cuperem. Confecto autem primo ſomno, qui circa horas quatuor ſit, deinceps ſuper latus dextrum dormiat, ut chylus è uentriculo ad inteſtina quàm facile deſcendat. ſit autem in totum ſomnus per horas ſeptẽ, uel paulo plus: caueat autem (quoad fieri poteſt) ab eo meridiano, niſi quapiam ex cauſa nocte non dormierit, quo quidem caſu ſi ſomno utatur meridiano, quæ ſupra de eo dicta ſunt, obſeruentur omnia, neque admodum is longus exiſtat.

De Motu & quiete moderandis *Cap.* 8.

POſt ſomnum autem, & uigiliam, de motu & quiete dicemus, quandoquidem præter id tempus quietum, quod ſomno ſpectat, aliud etiam tale ſit oportet, nimirum die, donec cibus in uentriculo, atque hepate fuerit confectus, præterquam ſtatim à cibo, tunc enim lento quodam motu opus eſt, donec is ad uentriculi fundum deſcendat: confectis autem prædictis coctionibus exercitio utendum eſt, in quo quidem priuſquam ex aluo fæces educantur, membra inferiora exerceantur, purgato uerò corpore non ſolum prædicta, ſed & ſuperiora omnia, adeo

ut caput & hac participet motione, talis autem ex ludo paruæ pilæ (ut testatur Gal.) habetur: Frictiones quinetiam probantur, nam ex Galeni sententia si probè conficiantur, nõnunquam à quocumque exercitiorum genere hominem excusant: sint autem primum quidem molles, ac leues, demum & paulatine ualidiores, donec caro primum tumidior fiat, postea ad pristinum statum reuertatur, atque hæ, si conuenienti modo aluus non deicerit, è spatulis initium desumant, & ab his ad pectus, & à pectore ad crura descendẽtes, adeo ut caput ab his liberũ delinquatur, post has uerò euacuata aluo caput & pectendum, & fricandum unà cum reliquis corporis partibus hunc in modum, quòd unus quidem caput fricet, duo uerò alii pectus & uentrem, & alii duo coxas, ac crura, ex utraque parte nempè ante & retro, donec totũ corpus fricetur: proinde capitis fricationes absque pinguedine sint, reliquarũ uerò partium cum oleo tenui, in quo parũ camomillæ, aut anethi, aut similium decoctũ sit: Et quoniã superius dictũ est, nonnisi duabus perfectis coctionibus exercendum esse, eodem pariter modo dicatur, quòd post prædictas has non diu ad exercendum immorãdum est, propterea quòd sicut nimia exercitii acceleratio in causa est, vt complures crudi, incoctique humores coaceruentur, qui pòstmodum putredinis causa existunt, sic & tarda eiusdem bilem utranque præter naturam gignere potest, quandoquidem cum omnes confectæ sunt coctiones, sanguis in uenis existens optime coctus, calidior exercitio fit, ac in bilem conuertitur.

De inanitione, & retentione moderandis. *Cap. 9.*

VErum procuret is, qui præseruationi studet, vt alui, vrinæq; beneficium habeat, priusquàm exercitio, & fricationibus utatur, propterea quòd ui exercitii, atque frictionum portio non mediocris excrementorum per totum fortè corpus cũ maxima ipsius iactura distribuetur: cum igitur excrementa, quæ in prima fiunt coctione, per uentrem, quæ in secunda, per urinam, ac quæ in membris, per cutaneos meatus euacuentur, studendum est, vt singulis quibusq; diebus eorũ fiat euacuatio, si nõ spõte & ex natura, arte saltẽ, suppositoriis quidẽ, aut clysteriis, aut lenib' pharmacis, in uentris deiectione: his autem, quæ urinam excitandi uim habent, in urinæ diminutione aut suppressione, exercitio uerò, & frictionibus (ut prædictum est) dum cutis meatus fuerint obstructi:

Caueat autem à uenere, quamuis ob temperiem, ac ætatem ea uti poſsit, non quidem ſui ratione, ſed tum quidem ne in quampiam infectam incidat, tum etiam ut ſpiritus non inaniantur, ſi enim ipſum peſte inuadi contingat, in qua confeſtim uires decidunt, is ſtatim morbo ſuccumbet: quòd ſi quis fortè adeo ſemine abundet, ut ob eius retentionem immineat periculum ne id corrumpatur, aut aliquem affectum in corpore prauũ producat tutius eſſet, ut ab eo expurgetur, dum modo cum muliere infecta non concumbat, aut ut leges noſtræ iubent, vxorem traducat, atque tunc congruis eo horis, moderateq́ue utatur.

Quæ animi accidentia cauenda. Cap. 10.

PRoinde ab his etiam abſtineat animæ accidentibus (quod quidem ex ſex nõ naturalibus poſtremum exiſtit) quæ ſunt in cauſa, ut calor naturalis unà cum humoribus aut ad partes internas concentretur, aut extrorſum uehementer agitetur, qualis eſt triſtitia, timor, circa difficilia valde propenſus animus, ira, gaudium repentinum, & id tale genus, ex caloris namque concẽtratione partes extimæ frigidiores redduntur, obſtructionibus mirum in modum obnoxiæ, motus autem his contrarii ſpiritus diſsipant, & innatum calorem accendunt, ac quo magis motus hi uehementiores ſunt, eo etiam magis corpora exagitãt, & confeſtim non ſolum ad morbos, ſed ad mortem perducunt: quorum quidem quamuis complura exiſtent exempla, ea tamen apud ueteres notiſsima ſunt de Publio Rutilio, qui nunciata fratris in ſenatu repulſa, illico expirauit, & de Chilone, qui ob ingens gaudium nunciata filii uictoria confeſtim è uita diſceſsit. Mitto autem conſultò & Dionyſium iuniorem, Sophoclem, Diodorum, Diagoram, & infinitos alios, qui quidem tum per actis, tum etiam noſtris temporibus ob animi affectus immodicos quàm primum periere. Semotis itaque his præſeruandus, conſeruanduſvè noſter moderate lætetur, & cum familiaribus de rebus iocoſis, ac ſibi gratis ſermocinetur, cãtilenas, muſicã & delectabilia quæque auſcultet, formoſa cernat, & ueſtibus mundis, & honoratis iuxta proprium gradum ſuffultiatur. Hæc quidem ſunt, quæ homini ab excrementis purgato pro ſui conſeruatione, præſeruationevè dum à peſte euadere tentat, proponere diiudicaui, tametſi complura adhuc in tam uaſto pelago mihi reſtant dicẽda, ut ad reliqua, quæ maiori adhuc indigent, diſcuſsione condeſcendamus.

Quæ

Quo pacto in humoribus adauctis alterantibus simplicibus utendum sit. Cap. 11.

QVòd si in eo humores adaucti sint, quã quidẽ auctionẽ duplici ex causa fieri diximus, nimirũ dũ praua sumuntur cibaria, quæ in prauos humores uertũtur, aut dũ hi, qui interius sunt mali bonos corrumpunt, duplex etiam indicatio ex Galeni mente consurgit, alteratio, atque euacuatio: vt autem ordinatim procedamus, primum quonam pactò humorum alteratio conueniens efficiatur, aperiemus, mox si hi praui sint, neque ad benignum duci queant, è corpore euellantur, hoc imprimis supposito corpus nõ quidẽ, ut prius prauis eduliis alẽdũ esse, frustra nãq; alteratio, humorũ fieret si denuò alii deteriores, aut æque praui in corpore reponantur: sunt autem meo quidem iudicio, humores alterandi iuxta priorem à nobis propositam uictus ratione, teste Galeno, à uirtute in corporibus existente, nec non ab his, quæ uim habent medicamentosam: virtus quidem præcipuè concoquendo humores alterat, quod enim crassum est, ad consistentiam debitam redigit, ut eo tandem partes (si fieri potest) alantur, quòd si hoc præstare non potest, bonum saltim à malo digregat, ut corpus bono quidem nutriatur, malum uerò expultrice facultate è corpore extrudatur: neque putandum est, ut & alibi determinatum est, cibaria, aut medicamenta primariò coctionem emolliri, sed impedimenta potius remouere, quibus uirtus proprio officio fungi non potest: syrupi namque frigidi calorem igneum remouẽt, ut naturalis ad pristinũ statũ redactus ualidius agat, calidi uerò facultati sũt adiumẽto, ut eorũ attenuatione, ac rarefactione crassi humores ad coquẽdũ aptiores reddãtur: vt igitur uirtus proprio fungatur munere, nõ solũ ex cibariis quantum ipsa tolerat, desumendum est, sed & his medicamentosis, ut naturæ sint adiumento, cum uerò eorum duplex natura sit, altera quidem quæ totum corpus, altera uerò, quæ finitas ipsius partes respicit, exempli gratia endiuia, cichoreum, fœniculus, hordeum, malua, lactuca, & id genus tam calida quàm frigida pro alteratione uniuerso deseruiunt corpori: cappares autem & oliuæ conditę uentriculo, amigdalę dulces, & carycę toti pectori, apium & petroselinum renibus, saluia, rosmarinus, & betonica cerebro, melissa cordi, & hepatica hepati, summa cura initendum est, ut in alterandis humoribus pro uirtutis adminiculo congruis medicamentosis cibariis utamur,

3. ar. med. prope calcem.

utamur, de quibus quidem ex parte quidem dictum est, & ex parte in futurum dicetur: uerum cum præter dicta sint & alia, quæ de lecteriis quibusuis oppugnant, atque hęc, teste eodem Galeno, in duplici differentia, quædam enim alterant, nonnulla uerò è corpore, si quid in eo delecterii, uenenosique adest, corrumpunt, & euacuant: quæ quidem alterant, duplicia adhuc sunt, alia namque ob qualitatis, siue simplicis, siue compositę contrarietatem delecteria ipsa adeo transmutant, ut non amplius corpori noceant: alia uerò ex tota substantia ueluti media sunt inter corpus, & delecteria duos infensissimos hostes, alexipharmaca Gręcis nominantur, quasi quòd inter utrumque corpus nimirum, & delecterium ponantur, in pestilenti quidem constitutione cum corpora, quæ humidis ualde excrementis scatent, non nisi ueluti delecterium quoddam ac uenenosum in se contineant, quod aut actu producit affectum, aut breui saltim, si ei non reparetur, producturum est, utrisque medicamentis uti debemus, prioribus quidem (inclusis etiam his quæ naturæ adiuméto esse diximus) quæ sui siccitate, quicquid pestis soboles esse posit, consumant, si uerò corpora putredinis, ac uenenositatis initium desumpserint posterioribus, quæ ut media corpus potissimum adiuuent, ne ipsum ui præpotétis aduersarii succumbat. proinde quę exiccant, talia sint, ut putredini resistant, uirtuti autem non aduersentur, nam si crassa forent, obstructione naturali facultati, quæ debitæ cõsistentiæ intendit, obsistét: si uerò ualde adstringentia, ob uaporum detentionem ipsam dubiò procul opprimerent, at quæ tenuium sunt partium, quæque incidẽdi, abstergendi, & aperiendi uim habent, exiccant, & uirtuti opitulantur: ob id inter simplicia quidem probantur acetosa, quã Gal. oxalida nominat, eupatorium, omphacium, dictamus cretensis, scordeum, citrach uel scolopendria, succus citri, acetum simplex, acetum rosatum, seu passulatum, endiuia, betonica, absynthium, & id tale genus tum quidem in ferculis, ac pro aliorum condimento, tum ét in potionibus, seu sorbitionibus: solebãt nanq; ueteres medici hæc trifariã cõdita hominibus propinare, aut concoquẽtes herbas ex aqua, oximellitevè, ut est illud Galeni ex origano, trago rigano, atque hysopo in oximellite aqua vè decoctum, quod ad materias incidẽdas, attenuãdasq; propinabat, dũ modo aluus lubrica nõ foret, aut herbas ipsas absq; decoctione, ebullitioneq; in aquã, aut quid tale per aliquod temporis spatium infundentes, ut uis ipsarum in aquam transiret, quo quidem modo in oximellite absque

5. de facul. simp. med. cap. 18.

ulla decoctione radiculam, seu raphanum, ut nostri uocant, Gal. constituit, in quo hellebori frutula inserta sint, aut ex succis decoctionem emolliẽtes, quemadmodum Dioscorides, & Galenus decoctiones ex herbarum succis huic, & illi ægritudini perficere com pluries attestãtur, iuxta quem ritum moderni quoque Medici suos syrupos, quasi synopos, hoc est ex herbarum succis composuere. Verum si quis consimilia hæc quouis ex tribus parata modis, vt à peste præseruet desumere cõcupiscit, caueat opus est ab aqua, & his, quæ humidam ualde in se qualitatem obtinent: nõ.n. nostræ cõueniunt indicationi, nec non ab his, quæ intensiori præstant calore, quoniam præter exiccationem corpus calidius reddetur. Sit itaque edulium medicamẽtosum remissæ caliditatis, frigiditatisvè, tenuiũ (ut dictum est) partium, incidendi, aut abstergendi, aut aperiendi uires obtinens, acetosa namque quarta nimirum lapathi seu rumicis species à Dios. descripta holus syluestre est saporis acidi, nullius particeps acerbitatis, & ex consequenti tenuium partium, aciditas enim simplex in materia fundatur attenuata, frigida ab externo calore cum priuatione tamen proprii, atque connaturalis, ut recte cap. de lapatho Gal. testatur, sicuti & aceti aciditas: ob id sui aciditate humores incidet, tenuabit, & ut acetum à putredine uindicabit: itidem eupatorium Dios. quod nostri agrimoniam uocant (missis his, quæ à Mesue, & Auicenna describuntur, cum ipsi duas alias eupatorii spẽs habeant) ex Galeni placitis tenuium quoque est partium, & incidendi, extergendi, aperiendi, siccandique facultate citra manifestam caliditatem plurimũ poller, ut & in casu proposito commode satis apptari possit: Et licet secundum nonnullos ei quid adstrictionis adsit, tantum abest, ut stypticitas illa meatus obnuet, ut penetrationi ad profundum usque summopere iuuet, quemadmodũ recte docebat Gal. ubi de oleo rosaceo, ac rosa sermonem habet: in rosa namque leuis est adstrictio, quę penetrationem non prohibet, sed ab ipsa magis impellẽte corpora secum admota altius penetrare iuuantur, quod quidem exemplo illustrat, si enim corium siccum adsit, quod egeat humectari, profundius quippe humidum reddemus, si ipsum probè oleo rosaceo, quàm oleo tãtum simplici molliamus, madefaciamusque: insuper eupatorium exiccando humorum resistit putredini, necnõ endiuia, cichoreum, quæ ad secundum siccitatis gradum cum leui quadam amaritudine accedunt: pariter Betonica, quæ siccior, & amarior sentitur: mitto autem complures alias herbas, quæ casui præsenti conueniunt

[Margin: 7. de facul. simp. med.]

[Margin: 3. de simpl. med. facul. cap. 16.]

tum à Gal.tum aliis grauissimis hercle medicis descriptas,cũ hæc pro exemplo duntaxat percurrere nostrum fuerit institutum: Ad hæc non desunt præter herbas,& olera,nonnulla terrea,ut terra sigillata,& bolus Armenus:ligna,ut xylobalsamum , & aloes lignũ, liquores,gummas vè,ut myrrha,styrax liquida, mastix, ammoniacum,Thus,aloes,& succus rosarum:fructus ut pruna exiccata, passulæ,& id tale genus:Terra quidem sigillata seu lemnia, licet minoris sit siccitatis,& magis emplastica,quàm Bolus Armenus,seu terra Armenia,utraque tamen in præseruatione concedi potest,uerũ tamen præstantior Boli armeni natura est,ac præ aliis terris magis
9.de simpl. med.facul. putredini resistens,ut testatur Gal. siquidem hac sola in ea magna pestilentia Romę usus est,quam quidem quicunque assumpserunt, dũmodo morbus curam reciperet,celerrime liberati sunt:quòd autem xylobalsamum,& lignum aloes, si uera ad nos asportentur id ipsum præstent,non est ut multis initamur, cum xylobalsamum teste Galeno desiccet,& calefaciat secundo excessu, tenuiumque sit partium,ut eius gratissimus indicat odor,qua quidem aromaticitate cordi,& spiritibus mirum in modũ auxiliatur: lignũ uerò aloes, quod Dios.Agallochum nominat,odoratissimum est, gustuque leuiter adstringens cum quodam amarore: atqui ad nos non ualde bonum,& multotiens adulteratum aduehitur, propterea quòd cũ ipsius arbores propè ripas nascantur, nonnunquam accidit , ut ex magnis arboribus rami euellãtur, qui ob fluminum excrescentias ab aquis rapiuntur,& ad nostros Italię riuos contusi,dilacerati,atque rugosi perueniunt:vnde Venetias postmodum adsportati grato illo non redolent odore,ac gustu,perinde ac illi, qui ex arboribus diuelluntur, & summa cum diligentia in arcibus custodiũtur: ac quod peius est nonnulli ea ipsa hac de causa moti adulterant,ex insula Rhodo quædam ligni oliuarum frusta afferẽtes, eaque prius in odorato quopiam liquore,oleisque odoratis inungentes , ut ex fluminibus aduecta esse uideantur:ueruntamen fraus patefit,si minutim incidantur,& igni comburantur:Myrrha uerò , quòd ex sui siccitate ordine secundo à putredine corpora seruet,pariter aloes, &thus testatur antiquitas,quę mortuorum corpora à putredine his aromatibus præseruare studebant: quod itidem in allis prædictis, & consimilibus siccitate præpotentibus uideri licet,ut ad composita tandem progrediamur.

De

De compositis medicamentis humores alterantibus. Cap. 12.

AT qui inter cętera probatissimum illud est Ruffi antiquissimi, & à Galeno ualde approbati medici antidotum, quod quidem, ut Paulus Aegineta refert, recipit Aloes optimi, Ammoniaci, Thimiamatis cuiusque partes duas, myrrhæ uerò partem unam in massam, seu pillulas (vt nostri faciunt) confectũ, quo enim modo apud ipsum ex eo uino fragranti contuso, ac colluto dimidius Cyathus dabatur, gustui antidotum ualde ingratum erat, nostri uerò ab ipso deuiãtes, & cum aqua rosacea crocum, aloem, & myrrham ad æqualem portionem desumunt, Auicennam potius sequuti, qui loco ammoniaci crocum constituit, quod quidem antidotum à priori differt, quoniam non adeo exiccat ob ammoniaci defectum, sed ob crocum magis spiritus uiuidiores reddit: conferunt quinetiam alia multa ex simplicibus prędictis cõposita, atque potissimum quæ alexipharmaca nominantur, nam præter quòd siccitate putredini resistunt, innatam quoque à tota substantia habẽt facultatem, ut corpori auxilia sint aduersus proprios hostes, quemadmodum de antidoto illo à rege Mythridate composito libro de Theriaca ad Pisonem narrabat Gal. etenim Rex ille ob consuetam pharmaci præsumptionem adeo corpus aduersus quodcunque uenenum parauerat, ut ueneno interire non potuerit, quàmuis copiosam ebiberit, ut à Pompei tyranide effugeret, quo tamen consimili epoto filiæ ob eximium erga patrem amorem cum eo mori cupiẽtes, statim conciderunt: Est igitur Mythridatica compositio, necnõ Theriaca, ut ibidem dicebat Gal. pręsentaneum antidotum aduersus pestiferos humores, atque potissimum si aer, ut uenenum per pulmones trahatur: de Theriaca quidem dici potest, quòd quemadmodum ignis aerem purgat, ita & Theriaca sanguinem. Caueat tamen ab ea quicunque cũ febre acuta laborat, sui enim calore corpus excalfacit, at in prospera ualetudine, & morbo ex crasis humoribus pendente crebrò ea uti potest, ut externis accidentibus, & crassis humoribus resistat, nec non exiccando superfluas humiditates exiccet: idem quoque præstat Mythridaticum pharmacum, de quo superius dictum, si ex eo, ut & de Theriaca dragma cum tribus Zuccari rosacei sumatur: insuper & confectio illa de sanguinibus magni facienda est, quæ ex Galeno, & Paulo habetur: placet autem eius confectionem adiicere, ut quisque intelligat, quam inter se distinguantur illa Gal. & ea Pauli descriptiones: Galenus hunc in mo

[Margin: 2. lib. c. 36.]

[Margin: Prĩa quarti. cap. 5.]

[Margin: 2. de antidotis. li. 7. cap. 11.]

dum habet: Piperis albi, & longi, costi, acori, croci, phu, mei, ammo niaci, dictami cretensis, agarici singulorum ʒ. ij. Amomi, opobalsami, seminis rutæ syluestris, cymini æthiopici, anisi, sanguinis ana tis masculi, & fœminæ aridi, sanguinis hædini, sanguinis anserini, seminis buniadis, seu napi syluestris, aut eius uices rapæ domesticę singulorum ʒ. iij. Radicis gentianæ, trifolii, floris iunci odorati (squinantum apud officinas) libaneti, seu thuris, rosarum aridarũ cuiuslibet ʒ. iiij. petroselini ʒ. v. phu cretici tantundem, cinnamomi ʒ. vj. Florum scordei ʒ. viij. Myrræ, Spicę nardi uniusque ʒ. xij. casię ʒ. viij. At paulus petroselini ʒ. vj. ponebat, myrræ autem & nardi singulorum tantum ʒ. vj. casiæ ʒ. iij. addebat au tẽ succi cyrenaici, & seminis fęniculi utriusque ʒ. iij. polii ʒ. vj. & stæcados ʒ. v. & carpobalsami grana xx. ac assari ʒ. ij. cuius ui ces Gal. crocũ in eadẽ quãtitate statuebat: proinde hęc oĩa diligenter cõtusa, ac ꝑ excussoriũ cribrũ traiecta melli optimo despuma to cõmiscebis, commixtaque in argentea pixide (ut præciosa antidota) repones, & ad unciam pestilentię temporibus homini alternis diebus, aut bis in hebdomada propinabis: sunt & complura alia his similia: uerum inter cętera silentio non inuoluam confectionem illam, quam in Regis Francorum gratiam compositã esse ferunt, meo quidem iudicio non spernendam, cum in ea omnia simplicia medicamenta alexipharmaca, & alexiteria ingrediantur: Recipit namque Dictami cretensis, Gentianę, Bistortę seu carlinæ, Tormentillę, Zedoarię, Pimpinellę, singulorum ʒ. j. Croci, Rosarum singulorum ʒ. v. Specierum de gemmis, tria sandalorum cuiusque ʒ. jj. Radicum angelicę, corallorum rub. semi. citri, Margaritarum, vnicorni, Boli armeni, Terrę sigillatæ, cuiuslibet ʒ. j. Foliorum auri ad numerum. 22. pulverizanda pulverizentur, ac misceantur, cum unciis 13. Zuccari, fiant confectiones in rotulis, quarum quæque ad dragmam unam ponderet, & mane, uesperique accipiatur: quòd si præseruandus pauper sit, consulerem, ut à catapotiis illis Ruffi non discedat, quandoquidem & ipsa inter Alexipharmaca censentur; utatur quinetiam antidoto illo ex nucibus, ruta, ac ficubus à Galeno relato, ac à plerisque medicis tantopere celebrato.

2. de alim. facul. ca. de nucibus.

De

De medicamentis, quae extrinsecus afferuntur. Cap. 13.

CAeterum quemadmodum assumpta pharmaca humorum prauitati obsistunt, ita & quae exterius apponuntur, aut ore detinentur, non parum ipsis obstare poterunt, suffumigia nempè, ac poma, seu pillas ex gratis odoribus confectas, sacculos, epithemata, atque masticatoria: De suffumigiis quidem iam dictum est, quae quidem non tantum aerem, uerum & per pulmones ac cutis meatus attracta humores ipsos alterant: De pomis autem seu pillis dicemus: conficiantur autem poma hęc non eodem semper modo, sed iuxta anni tempus, & cuiusque temperiem naturalem: hieme namque & pituitoso corpori talis pilla propinetur ex cinnamomo, nuce muscata, gariofilis, myrra, styrace, cardamomo, sampsuco, mace, ligno aloes, semine iuniperi, calamo aromatico, iride illyrica, benzoi, musco, ambra, bolo armeno cum ladano, & cera quantum satis sit, ac parum uini cretici, ut cum pilo ferreo fiat mixtura: aestate uerò ac corpore billioso pilla sit ex floribus nenupharis uiolarum, rosis siccis, floribus buglossę, cortice mali citri, terra sigillata, sandalis albis, & citrinis, thure, corallis rubeis, spodio, carabe, camphora, succo portulacę, & arantii, ac similibus frigidis, aut saltim remisse calidis, pro ut opus sit, eodem modo ut superior composita: Quòd si quis pro quocumque tempore & quaque hominis natura mediam quandam compositionem exoptat, Excellentis Patris mei eam patet, quam multis eo anno 1555. iuuisse certo scimus: accipit autem florum nenupharis, uiolarum, rosarum rub. bugolossę, cinnamomi, gariofilorum, ligni aloes, calami aromatici, nucis muscatę singulorum ʒ. j. corticum mali citri, terrę sigillatę, coriandri torefacti cuiusque ʒ. ij. Sandalorum alborum, citrinorumque, styracis calamitae singulorum ʒ. iij. s. spicę, croci, utriusq; ʒ. v. Thuris albi, boli armeni optimi utriusque ʒ. iij. papaueris albi ℈. iiii. masticis, myrrhae utriusque ʒ. j. s. Benzoi, ladani infusi in aqua rosacea, & aceto utriusque ℥. v. uernicis, corallorum rubeorum, spodii, carabe, singulorum ℈. ij. Camphora gra. vj. Ben albi, & rubei, ambrę, & musci cuiusque ʒ. j. succi portulacae, arantii uniusque ℥. ii. s. omnia puluerizanda in puluerem redigantur excepto musco, & ambra, quae seiunctim pulberizentur, & deinceps unà commisceantur, & cum cera quod satis est, ac pauco uino calido cretensi cum pilo ferreo calido pomum efformetur: Neque uerendum est, ut nonnulli falsò suspicati

cari ſunt, hæc ſpiritus, ac humores accendere, quandoquidem cum ad temperiem quandam conſpirent, dubiò procul abſque caliditate ipſos inſtaurabunt, atque corroborabunt: quòd ſi fortè in quempiam ualde calidæ intemperiei incidemus, quæ calida ſunt (ut dictum eſt) ſubtrahemus, quæ uerò frigida adaugebimus, ut nobis ratio indicabit: Laudatur quin ẽt ſpongia aceto, aqua roſacea, & pauco uini cretici infuſa, & in manibus geſta, ſępiusque naribus, ac ori appoſita: Sacculi autem ſint ex prædictis, ac ſimilibus in puluerem redactis: unctiones pariter ex oleis odoratis iuxta cuiuſque temperiem, quæ uentriculo, aut cordi apponantur: ob id ſpecies illæ cordiales temperatę apud officinas continuò parantur, quibus aut cum oleis inſtar unctionis, aut cum aquis inſtar epithematis in febribus etiam malignis maximo cum adiumẽto uti ſolemus: Maſticantur præterea nonnulla ſimplicia medicamenta, oreque detinentur, ut ſui proprietate aeri peſtilenti poſſint obſiſtere, ut pote zedoaria, cardamomum, cinnamomum, bolus armenus, gariofila, & id tale genus, ex compoſitis uerò Zuccarum roſatum, boraginatum, confectio Diarrodonis, Triaſandalorum, cyphi ipſum ad confectionem redactum, & huiuſmodi, quæ etiam in uentriculum recipiuntur.

De pharmacis euacuantibus humores adauctos prauos in uniuerſum: Cap. 14.

ATque hæc de pharmacis, quæ corpora utroque modo alterare poſſunt, ſat dicta ſint, porrò tranſeamus ad ea, quę euacuandi uim habent, quandoquidem paratis humoribus (ut ubique exclamat Hippo.) eos expedit euacuare, cum autem hi uariis in corporibus, ac inter ſe multiplices exiſtant, ſiquidem alii in corporibus nundum morbo affectis cernunuur, alii uerò in his, quæ ęgritudine ſiue epidemiali, ſiue peſtilenti correpti ſunt, rurſuſque alii colerici ſunt, alii pituitoſi, alii melancholici tum ſimplices, tum etiam compoſiti iuxta uariam eorum in quali, ac quanto miſcellam, diuerſa quoque euacuationum genera expoſcunt: alia namque pharmaca ex Galeni ſententia 3. libro artis med. præcitato cap. ſatis calida ſunt, quæ extrinſecus admota, attractione quod cũque delecteriũ, ſeu uenenoſum humorẽ euacuãt, ut idẽ alibi aperte ſatis demonſtrauerat: alia aũt leui quadam caliditate cũ humiditate iuncta humores noxios in uiis ductuum lene admodum educunt,

3. art. med. cap. penul. 5. de facul. med. ſimp. cap. 18.

cunt: alia uerò totius substantiæ similitudine non tãtum uenena, sed & quosque prauos humores nempè bilem utramque, ac pituitam euocant, nos quidem in uniuersum de eorum tantum agemus curatione, quæ in corporibus morbo nondum oppressis reperiuntur, demum circa nonnullos partiales morbos pestilentes ab Hippo. descriptos curationem aggredientes, quo nam pacto & in ægrotantibus præseruationi attendendum sit, quàm facile aperiemus. supposita itaque hominis temperie, necnon humoribus in eo peccantibus in eorum curatione tria potissimum nempè quibusnam auxiliis, quantum, & quando spectanda occurrunt, quibus quidem euacuandi sint, non solum humorum qualitas indicat, sed & indiuidualis hominis proprietas siquidem alii pharmaca per os ex natura abhorrent, alii clysteria, & alii uomitus, ut huiusmodi uarium euacuationis modum necessariò deligamus: quantum uerò ex uilibus indicationem desumit, cum enim biliosi perumque animo delinquant maxime uerendum est, ne ex nimia, ac uehementi euacuatione decidant uires: quando uerò indicat tum materierum præparatio, tum etiam ipsummet pharmacum exhibitum, alio nãque modo lenia pharmaca administramus, atque alio, quæ uehementius euacuare consueuerunt. Si igitur humores biliosi sunt, cũ ex Galeni sententia alia medicamentis satis calidis euacuentur, qualia sunt tenuium partium, quæ extrinsecus admota attractione à toto euacuant, alia purgationibus, alia clysteribus, alia sudoribus, atque alia uomitibus priori quidem euacuatione in his nequaquam utemur, periculum namque imminet, ut sui caliditate nimis trahant, & locum accendant, ex quo febris aut inflammatio pestilens exoriatur: clysteria autem acria cum non nihil à remotis per partem post partem attrahant, utilia quidem forent, si paulatine materiam educere tentemus, idque potissimum si homo euacuandus pharmaca per os suscipere renuat: Sudores uero in latos habentibus cutis meatus non inepti sunt, uerum corpus huic euacuationi multotiens incommodum habemus: at uomitus ualde suspecta euacuatio est multis ex causis, primo quidem quoniam ex Mes. sententia intestina uẽtriculo sũt ignobiliora, ac incolumius eò deferunt, quã per uentriculum: secundo, quoniam breuior est uia à corporis mole permeseraicas uenas ad intestina, quã ad uentriculum: ac postremo quoniã humores facilius sui grauitate descẽdũt, quàm ascendunt: quòd si quis obiiciat Hippo. huic contradicere cum picrocolos per superiora uacuandos esse iubet, siquidem humor

mor hic tenuis facilius aſcendit: Et ob id dicebat, ſupra præcordia dolores, purgatiore indigere per ſuperiora ſignificant, quicumque uerò inferiora moleſtantur per inferiora, dicemus quidem ei Hippocratem ſupponere corporum apparatum, qui quidem in paucis conſpicitur: quo fit ut uomitus multotiēs & formidoſus, & ualde difficilis reddatur: purgationes igitur per ſeceſſum & tutiores, & commodiores ſunt, dummodo qui peccant, humores educantur.

De pharmacis euacuantibus humores billioſos: Cap. 15.

ATque miſsis his, quæ leniunt duntaxat, ſiquidem à principio ſi opus ſit exhibenda ſunt, eligerem pharmaca, quæ humorē bilioſum educerent, cum aliquali tamen ſiccitate, quandoquidem & aeris peſtilentis habenda eſt ratio, ac morborum ex nimia putredine uagantium: apponam aūt nonnulla ex his pro exemplo, neque enim intentio noſtra eſt omnia adamuſsim enucleari, atque imprimis pro bilioſis humoribus pharmacum, quod recipiat pulpæ tamarindorum decoctum cum fructibus ac floribus cordialibus, atq; ſyrupo roſato ſolutiuo hunc in modum confectum: primum namque pulpæ tamarindorum ℥. j. florum boraginis, bugloſſæ, & Meliſſæ, pug. medium, ſem. acetoſæ, endiuiæ, & paſſularum cuiuſque ʒ. ij. & ex prunis damaſcenis ad numerum quadernarium in libra aquæ fontanæ aut alterius optimæ decoquuntur, mox ex eo decocto ℥. vj. cum ℥. iiij. ſyrupi roſati ſolutiui pharmacum exhibendum paratur: Ex Tamarindis etenim habemus exiccationem, & bilioſorum humorum eductionem, pariter ex ſyrupo roſaceo ſolutiuo, nec non & cordis corroborationem, vt ex floribus ac fructibus cordialibus: Et licet ex Galeno borago, & bugloſſum ad humiditatem potius uergant, exiccati tamen flores eam deperdunt, ut magis exiccare uideantur: poſſemus autem medicamentum hoc mane ante cibum per horas quatuor ac paulò plus exhibere, lubrico quidem corpori, ac uiribus non ſatis præpotenti, cum humores placide admodum educant, quo etiam caſu ualde illi conueniret pharmacum illud ad unciam ab excellēti pane compoſitum, quod bilem clementer euacuat, diapomatam nuncupant officinę, quæ cum diuerſimode paretur, ut alia quidem bilem flauam, alia nigram, & alia pituitam educat, non niſi bilem educens eligenda erit, de cuius quidem compoſitione aliàs fortè dicetur: quòd ſi ad fortiora pertranſeūndum ſit, in priori decocto ʒ. j. s.

reubarbari electi addatur cum granis .v. squinanti optimi, ac parum uini optimi, in quo cum reubarbarum per noctem saltem per manserit facta uehementi expressione syrupi rosari solutiui prędicta quantitas admisceatur, aut cum supradicta decoctione ʒ.ij. usque ad ℥. s. ellectuarii de succo rosarum, seu de prunis solutiui dissoluatur, habita semper & ad hominis temperiem, uicium robur, ac consuetudinem relatione, in illo namque etsi scamoneum primum ac præcipuum medicamentum sit bilem soluens, reliqua tamen refrigerant, corroborant, & exiccant, inter quæ est, rosarum succus à Galeno inter refrigerantia cõstitutus, tametsi Mesues illi caliditatẽ ad primũ tribuat, quã quidẽ nõ negaret Gal. digerit. n. detergit, & apetit, ut eius indicat amaror, & aromaticus odor: id ipsum quoque facit ellectuarium de prunis solutiuum quanuis minus quàm superius siccet, propterea quòd in eo lenientia magis ingrediuntur, quæ exiccationem, atque corroborationem diminuunt: atque ob id ex eo maior quoque dosis esse potest, atque adhuc maior, si ellectuarium rosatum Mes. propinetur, quod quidem licet cum superiori ex succo rosarum parem habeat rationem scamonei, præstantius tamen est, quoniam & facilius purgat, minusque conturbat. Verum hæc non ut priora imbecilla pharmaca ex Hippo. Galenique placitis porriguntur, sed post eorum assumptionem iubebat Hippo. ut ptissana super sorbeatur, cuius quidem Gal. libello illo quos. & quando purgare oporteat, rationem assignabat, ut quod in transitu ex pharmaco derelictum est, abluatur, cum enim inter transeundum quidpiam ex eo uehementer adhęrens aut offendat, aut offendere possit, tutius est, ut abstergatur, & deorsum à ptissana trahatur: huic etiam accedit, quòd ex ptissana tetrum medicamenti odorem reprimimus, & pharmacum ad uentriculi fundum propellimus: In his igitur rectius aut ptissanam, aut brodium ex hordeo, aut quid tale (cum ptissana nauseam facit) à pharmaco statim propinamus, ubi uerò purgatio inceperit, non amplius ptissana Hippo. consilio, aut aliud consimile est exhibendum, ne purgantis medicamenti actio dissoluatur: ꝙ quidẽ in his pharmacorum generibus est obseruandum, nam in lenientibus res secus se habet, ut alibi fortasse dicetur: quòd si euacuandus pillulas, seu catapotia potius exoptat, à leuioribus quidẽ incipientes illas Ruffi superius descriptas à ʒ.ij. ad ℥.s. tuto propinabimus, aut si mauis eas ex Aloe, myrrhaq; & croco iuxta Aui. descriptionẽ eadẽ seruata proportione: pariter & eas, quæ assaiareth nũcupãtur:

10. meth. med. c. 9. & 3. de simpl. med. facul. 13.

2. de ratio. nic. in acu. 12.

N ad

ad fortiora uerò progredientes pillulas offeremus de fumaria, in quibus & scamoneū, & aloes succotrinus ingrediūtur, necnō mirobalani citrini, ac indi biliosum humorem educentes, & mediocriter exiccantes, aut pillulas aureas, quę prædicta soluentia recipiunt, ac colocynthidem cum croco, rosis, & aliis exiccantibus, ac aperientibus, quę quidem colocynthis cum optime paretur, ut sui uiolentia nocere non ualeat, bilem crassam non solum à partibus propinquis, uerum etiam remotis prospere satis educet: ad hæc pillulas ex reubarbaro, aut arabicas Nicholai, aut huiusmodi, quę magis, minusuè ex colera (ut opus erit) educent, siquidem homini uiribus, ætateque ualido, & qui alui adstrictę sit ex his ʒ.ij. porrigemus, quam quidem dosim alteri, & uiribus non adeo præpotenti, aut ętate ingrauescenti, aut aluum lubricam habenti diminuemus. Traduntur quinetiam medicamenta hæc in bolis (ut nuncupant officinę) qualia sunt electuaria prædicta de succo rosarū, rosatum Mes. & de prunis solutiuum, necnon Diacatholicon, cum corpus ualde aridum est, id namque ob cassiam, uiolas, glycyrrizā, & semina cucurbitę, citruli, cucumeris, atque mellonis aliorū siccitatē obtundit, mediocriterque refrigerat, ac electuarium de sebesten eisdem ut prius præpollens facultatibus; & si colera contumax est, & ad atram bilem uergit, electuarium etiam Mes. ex psilio, foliculi enim senę, epithimum, succus fumarię, buglossę & boraginis bili adustæ, & per assationem iam crassiori mirum in modum conferunt: & quoniam calidus est humor, succus seu mucilago psilii sui frigiditate ei opitulatur, cum ipsum in exiccatione, ac humiditate Gal. medium constituat, licet Mesues contrarię fuerit opinionis: atque hęc de pharmacis bilem flauam educentibus sat dicta sint, consultò autem ueterum pharmaca omisimus, cū apud nos usui nō sint, ac minus fortè parata, quàm nostra.

8. de simpl. med. facul.

De pharmacis euacuantibus humores pituitosos, & melancholicos.
Cap. 16.

QVæ uerò pituitā educūt, in potionibus quidē decoctū sit hysopi, polipodii, carthami, cū mirobalanis chebulis, emblicis, & belyricis, nec nō floribus & fructibus cordialibus prædictis, in quo quidē decocto aut agaricū trociscatū, aut turbith (prout opus sit) prius infusū sit, mox (ut de reubarbaro dictū est) expressū, & in eo mellis rosati solutiui ℥. iiij. additis: In pillulis aūt sit pharmacum

macum ex pillulis de agarico Mes. De sarcocola, De serapino, De euphorbio, De colocynthide, & aliis similibus iuxta maiorẽ, minorem vè humorum crassitiẽ, atque uiscositatẽ; In bolis uerò ellectuariũ de Dactylis; seu Diaphęnicõ nũcupatum, huius .n. basis Turbith est crassam pituitam educens, reliqua uerò, quæ in eo parantur, aut huius adiuuant facultatem, aut corrigunt: cum enim turbith tarde ad modum purget, scamoneo addito suam accelerat actionem: componitur etiam medicamentum hoc in rotulis cum zuccaro homini quidem gratissimum, uerum in eo exhibendo non eadem seruatur dosis, sed sicut prius ℥. s. satis erat, ita ex hac iuxta corporum fortitudinem usque ad ʒ. xj. parari potest: insuper ellectuarium indum maius Mes. ut prędictum est, uiribus eisdem potens, ac si quid bilis crassę adest, Diaturbith cum reubarbaro, ratiõe enim Turbith, & hermodactylorum pituita crassa educitur, quibus adiumento est scamoneum, Zingiber, semina anisi, & cinnamomum attenuando, & actionem accelerando, rhabarbarum uerò cum scamoneo bilem flauam trahit, Eadem etiam methodo, quę melancholicum succum educunt, paranda sunt, tum in potu, tum in catapotiis, tum etiam in ellectuariis: in potu quidem Decoctum epithimi, polipodii, pulegii (ut ait Paulus) fumariæ, mirobalanorum citrinorum, florum & fructuum prædictorum ex sero caprino, in quo sena, seu eius folliculi, aut eleborus niger iuxta opportunam quantitatem infusus sit, atque expressus, cum ℥. iiij. syrupi uiolacei solutiui; in catapotiis autem qualia sunt sine quibus, aggregatiua, de fumaria, seu fumoterrę, de lapide lazuli & huiusmodi: in ellectuariis uerò confectio hamech, Diasena, & id tale genus, quãdoquidem sena, polipodium, epithimum, thimum, & consimilia ustos, & assatos humores euacuant, sicut, & aqua casei, & fumarię succus.

Quomodo sanguis quantitate tantũ peccans sit euacuandus, & quibus. Cap. 17.

QVòd si sanguis in homine quantitate solum peccet, is utiq; phlebotomia detrahẽdus est, nisi illi ꝑ hæmorrhoidas, aut uterũ, aut qđ tale parata uia sit, nã & si loco phlebotomiæ cõis usus uigeat, ut cucurbitulę scarificatæ apponantur, attñ apud me ea euacuatio non satis probatur, cum Galenum, Oribasium, & Aetium grauissimos hercle medicos cõtrarios intueamur: hi nam-

que non purgato corpore hunc euacuandi modum non ſine forti ratione calumniantur, nam cucurbitę non ſolum humores commouent, & à centro ad circunferentiam trahunt, uerum & corpus ratione ignis arefaciunt: ob id dicebat Aetius, cucurbita tum impetu affixionibus uiolenter materiam trahens, tum multum occupãs, & tamen neque uaſis ſenſibilem fiſſuram faciens, attrahit quidem materiam effatu dignam, pro aggregatæ tamen ratione non euacuat: phlobotomandus igitur eſt homo, qua quidem venæ ſectione tria nobis ſe offerunt contemplanda corporis paratus, locus, & quantitas, quæ quidem in corpore paranda ante uenæ ſectionem nobis occurrunt, uentriculi, inteſtinorumque inanitio, & ægrotantis ſitus, ſi. n. dum ſeccamus, cibus indigeſtus, fæces vè in uentriculo, atque inteſtinis extiterint (quicquid dicat ille) uenę ſanguine deſtitutæ, ne detur uacuum, ipſas attrahẽt, & malum forte ob ſui craſſitiem non exiguum inferent, pariter nonnulli ſunt, qui dũ in phlobotomia erecti ſunt, in ſyncopem cadunt, alii uerò dum iacent, ſuffocari uidẽtur: ob id corpus prius aut leni pharmaco, quale eſt caſſia cum tamarindis, aut Diaſena, aut manna, aut quid tale, aut Clyſteri leniente Galeni, aut Aui. à fæcibus exonerandum eſt, id enim Galeni ex aqua mulſa cum oleo conſtans fæces exiccatas educit, inteſtinaque quodammodo humida reddit, illud uerò Aui. ex oleo uiolaceo, ſucco foliorum blitis albæ, uitello oui, Zuccaro rubeo, & aphronitro, ſiue nitri ſpuma, uirtutem quoque expulſiuam irritat ad expellendum, ſiquidem præter oui uitellum, & oleum uiolatum, quæ humectant & emolliunt, ſuccus blitis oppoſitus eſt, & ſalis ſpuma, in quibus nitroſitatis ſenſus apparet, ac Zuccarum, quod cuiuſpiam acuitatis, mordicationiſque particeps, abſtergit inteſtina: parato itaque hunc in modum uentre, ac homine neque erecto, neque ualde ſupino, ſed parumper eleuato, ut nulla cum moleſtia, animique & corporis perturbatione ſanguis è uenis effluat uenam illam eligerem, quæ à toto, & potiſsimum à iecore euacuet, nam licet ex Gal. ſententia ex quinque locis uenæ ut plurimum diſſecentur, in manu quidem tres interna, ſeu axillaris, ſeu (ut noſtri uocãt) iecoraria: baſilica vè per brachii interiora, alamque ſiue axillam excurrentes, ſecunda humeraria, ſiue cephalica, ſeu exterior, quæ cubiti exterius latus perreptat, & tertia media, ſeu communis, quæ apud Arabas nigra uocatur, & iuxta radii humiliorem partem, & flexus cubiti medium ducitur, in pede verò duæ, altera quidẽ, quæ ab extera coxæ parte iuxta malleolum procedens ad calcaneum

uſque

usque pertingit, sciatica nuncupatur, altera uerò saphena dicta, seu matricaria, quæ interiori parte in poplite ipso ad clauiculam usq; perducitur, nulla tamen ex his, vt prior basilica ex dextro latere celerius, & tutius à toto sanguinem detrahit, siquidem iecur, quod ipsius fons est, atque origo immediate respicit, atque ob id iecoraria à multis nominatur: quod quidem nostro casui uel maxime conuenit, cum in eo nullam adesse prauam affectionem partium fuerit suppositum: quantitatem autem sanguinis uires ostendent, ne in eũdem illorum errorem dilabamur, qui corporibus quibusuis quatuor semper ad plus sanguinis uncias detrahunt, quæ quidem euacuatio nonnumquam tantum abest, ut homini prosit, ut uel maxime obsit, agitatur namque duntaxat sanguis, non autem congrua corporis euentatio efficitur: Euacuatis autem humoribus siue secundum eorum qualitatem, siue quantitatem peccantibus, pro ut hominis ætas, temperies, & consuetudo requirit, nil deinceps moliendum superest, nisi ut optimo uiuendi genere superius descripto ipsum regamus, ac membra præcipua antidotis enarratis corroboremus.

Quomodo causis ex contagione ob suppellectilia sit auxiliandum. Cap. 18.

PRoinde non ualde difficile erit à postrema causa, nimirum ex cõtagione, homines præcauere, cũ. n. corpuscula illa, quę ex infectis decedũt, aut in aerẽ, aut in suppellectilia quæque porosa recipiantur, prouidendũ est, ut si aer circumuicinus contagione affectus sit, cum his, de quibus superius mentio facta est, ad pristinum statum restituatur; si uero suppellectilia, vtpote uestes, lintea, & huiusmodi infecta sunt, primum quidem uentis aquilonariis exponantur, ac post hac aquis odoriferis abluantur, uerum si ablui nequeunt, comburantur, non enim sola euentatione ualde fiderẽ, qñ quidem corpuscula illa nõnumquam adeo intimius reconduntur, ut nequaquam diuelli posſint, porro causam hanc nemo citius, ac tutius abscindere potest, quàm qui apud quasque nationes saluti præsident, à qua quidem cum patauinam pestẽ dependere ostenderimus, nostris salutis prouisoribus summopere inuigilandum esse censeo, ut non solum uectigalia, sed & uestimenta quæque impura aut ex toto depurentur, aut comburantur, linteum namque seu

quid

quid pusillum negligentia, alia vè ex causa seruatum multotiẽs totum uicum, ac etiam circunuicinos infecisse comperimus: quòd si quis fortè tam nepharius reperiatur, qui seminaria hęc per ciuitatẽ dispergat; ut quidam in nostra Patauina urbe reperti sunt, confestim suspendatur, ex hac etenim pœna cæterorum impiorum prauę fortè operationes compescentur.

Libri tertĩ finis.

DE

DE PESTIS, ET PESTIFERORVM AFFECTVVM CVRATIONE LIBER QVARTVS.

Propositum præsentis libri. Cap. I.



OSTEAQVAM tertio libro finem impoſuimus, in quo & uictus rationem in hominibus, qui optimis ſcatent humoribus, & præſeruationis methodum in reliquis uariis humorum ſpeciebus repletis prę ſcripſimus, conſequens eſt, ut poſtremo hoc libro in his, qui peſte laborant, curationem exerceamus ab ea quidem methodo, quam Hippo. & Gal. in ſæuisſimis illis peſtilentiis ſequuti ſunt, nequaquam diſcedentes, etenim cum quatuor ſint ex Galeni placitis, quæ morbos corporibus, & à naturæ ſuę modo egresſis accidunt, affectus præter naturam, qui morbus eſt, actionis uitium, cauſa, quæ morbum procreauit, & ſymptoma, quod hunc neceſſariò conſequitur: morbus quidem peſtilens quoad ſe ſpectat, eodem modo, ut & cæteri alii curantur, in hoc iuxta maius, ualentiusque auxilium à reliquis diſtinctus, quandoquidem cum is ex cauſa ualidiori pendeat, potentius etiam auxilium expoſcit: quo fit, ut & uirtutis uitium maius ſit, ac ſymptomata, quæ morbum, ut umbra corpus neceſſariò conſequuntur. Quo circa Gal. libris meth. med. tradens febrium putridarum, ephemerarum, ac hecticarum curationem, aliam non aggreditur febrium peſtiferarum, neque colliquantium, neque morbillorum, neque aliorum conſimilium ſymptomatum, quę prædictas febres conſequi ſolent, tametſi de hectica febre peſtilenti ſe aliàs dicturum polliceatur, ſiquidem ex putridarum curatione methodus eadem nobis paratur, qua & febres peſtilentes curemus: bubones autem, uariolæ, ſeu noſtræ peſtichiæ, morbilli, & alia iſtiuſmodi ſymptomata, naturæ ſunt excretiones, quibus non niſi coacte (ut inferius patebit) curā adminiſtramus. Vnde ſi quis Aui. canones recte per pēdat, dubio procul reperiet quoad febrem peſtilētem non disſimi lia

lia ab aliis febribus auxilia deſcribere, ſed circa cauſas potisſimum inſiſtere, aeris nanque conſtitutio pesſima, humoresq́ue ualde uitiati non quidem alterare, ſed augere remedia uidentur, iuxta illud
1.aph. p.6. Hippo. Oraculum, extremis morbis extrema exquiſite remedia optima ſunt. Cæterum tradita libro ſecundo methodo de ſignis, quibus peſtilens morbus ab aliis internoſcatur, operę precium eſſe duxi, ut quarto hoc eadem methodo curationem huius à cæteris diſtinguamus, neque enim intentio noſtra eſt cuiuſque morbi aggredi curationem, ſed eius tantum, prout peſtilentis gradum deſumit: Vt autem hoc commodius à nobis fiat, Hippo. exempla quędam deſumemus, his enim duobus, aut tribus curatis, quibus etiam auxiliis conſimiles, medeamur, clara nobis methodus aperietur, hoc quidem ordine ſeruato, ut primum propoſiti caſus ex ſignis morbum eſſe peſtilentem comprobemus, mox illius indicationes curatiuas eliciamus, ac poſtremò curationem (ut caſus expoſcit) in medium proponamus.

Quòd Philiſcus primus ab Hippo. ægrotans propoſitus morbo peſtilente decubuerit: Cap. 2.

1.Epi.ſect. 2.cont.59. IN Thaſo itaque (ut refert Hippo. fuit tempeſtas pesſima, calida & humida, atque inęqualis, in qua quidem non ſolum epidemiales morbi, ſed & peſtilentes uagati ſunt, quandoquidē plurimi febribus ardentibus, phreneſi, & iſtiuſmodi morbis affligeban
Cont. 61. tur, moriebanturq́ue, quemadmodum de autũno loquens dicebat his uerbis: In autumno iam cum pluere cepiſſet, lętales erant, plurimiq́ue peribant: ac mox concludens clarius ſubdebat: Itaque ex-
Cont. 77. titit morborum magnus numerus, inter ægros autem cum primis
„ moriebantur adoleſcentes, iuuenes, adulti, grabri, quibus albida
„ eſſet cutis, recti capilli, uel nigri oculi, qui ocio, & ſocordia ui-
„ tam degerant, qui ſonora uoce eſſent, uel gracili, uel aſpera, blæ-
„ ſi, iracundi, mulieres quoque ex genere perhibant: Aer namque
„ peſtilens tales copioſis repletos humoribus uitiabat, ac tandem ad
„ necē ducebat. Inter cæteros aũt qui hac peſte opresſi ſunt, nonnul
„ los Hipp. ęgrotantes nominat, quorũdã uerò caſus ſeu totam ægritudinem ad finem uſque deſcribit, primus autem, qui ab eo deſcribitur, fuit Philiſcus nomine, qui primo morbi inſultu febre peſtilenti ac potius peſte ipſa decubuit, cum enim peſtis ex duobus potisſimum ſignis (ut antea declaratum eſt) dignoſcatur, uirium imbecillitate,

becillitate, ac humorum eximia putredine, quæ in dies semper excrescit, virium autem imbecillitas ex actionibus quibusuis tam naturalibus, quàm animalibus, atque uitalibus, sicut putredo humorum ex excrementis, ac utraque simul ex symptomatibus quibusdam præter morbi naturam euenientibus, si circa huius morbum discurramus, non nisi pestifero morbo uexatum fuisse concludemus, primo namque morbi ingressu febris illum acuta inuasit, quod quidem pessimę humorum cõstitutionis indicium erat, solét enim morbi, qui maligni non sunt, ut Hippo. scriptum reliquit, circa initia, & fines imbecilliores esse, cum uerò consistunt, fortiores, uerum cum peximi forent humores, non nisi febrem acutam, & pestilentem à principio gignere poterant: successit eadem quoque die sudor, ac frigidus, ut in postrema historię parte refert Hip. cum ait, sudores perpetuo frigidi, uirtutis imbecillę, ac extinctionis caloris indubium signum, cum enim in ægrotante humorum prauorum copia adesset, calor autem eos, ut hostem fugiens à partibus internis ad interna concentraretur, ut fortior factus ipsos aggrederetur, oppressus quidem ab eorum ui fuit, ac portione eorũ in cõgressu ad cutim protrusa, exteriores partes frigidas deseruit, à quibus & uapor ille protrusus frigidus euasit: Huic accedit, quòd dies illa prima critica esse non potuit, in qua non nisi dum particularis intermittentium febrium declinatio adest, sudores atque hi calidi uirtute extra uenas, & corpus materiam ualide propellente, conspici solent, quandoquidem dicebat Hippo. sudores febricitãti, boni, si inceperint, & 3. die, & 5. & 7. & 9. & 11. & 14. & 17 & 20. & 27. & 34. hi .n. sudores iudicant morbos, qui uerò non ita fiunt, laborem significant, & morbi longitudinem, & recidiuam: Et subdens altero aphorismo: Frigidi sudores cum acuta quidem febre mortem, cum mitiori uerò longitudinem morbi significant. proinde post laboriosam noctẽ, quam iuxta Hippo. præcepta exacerbatio morbi subsequitur, sequenti die aliud deterius pestiferi morbi indicium apparuit, nempè quòd exacerbata sunt omnia, cum enim morbi, qui acuti tantum sunt, non autem pestilentes, ut plurimum ab humore bilioso, ac acri pendeant, is autem sui natura tertio quoque die tanta quantitate coaceruetur, ut accensus & in putredinem conuersus, morbum adaugeat, si malignior reddatur, nõ tertio die, sed citius sui prauitate, & acredine inflammationem, putredinemque excitat: Et licet nocte quieuerit, & tertio die à febre liber uisus sit, nõ tamen uera quies fuit, quandoquidem

2. aphoris. par. 30.

4. aphoris. par. 36.

sub crepusculum rursus febris inualuit cum sudore frigido, pestis perpetuum imdicium, malitia namque humorum & febrim rursus accenderat, & fugato calore imbecillo, materiæque portione ad cutim propulsa, sudores frigidi sentiebantur, insuper idipsum attestabantur, sitis uehemens, ac linguę ariditas, atque nigredo, consumptis enim primis in uentriculo, ac faucibus humiditatibus ob excedentem putredinem, uapores acres, tetrique linguam faucesque ualde admodum exasperabant, exiccabant, & nigras reddebāt, & quàmuis Hippo. de linguæ nigredine nil dicat, ex lotio tamen id erat intelligendum iuxta ipsius placitum, lingua lotium significat, & è conuerso, nam, ut Gal. in illius commentatione subdebat lingua perinde ac vrina humorum affectiones indicat, calor enim excedens instar fuliginis potius, quàm vaporis, exhalationes excitat, adhæc febrem pestilentem indicabant duo alia pessima symptomata eadem die excitata, somni ex toto priuatio, ac delirium, affecto siquidem cerebro ex acri, putridaque fuligine, quæ ad ipsum transmissa propriam succenderat substantiam, virtus autem animalis imbecilla, & irritata neque retrocedere ob inflammationem partium ad membra interiora, vt pabulum pro sui instauratione perquireret, quomodo somnum & Arist. & Gal. fieri consentiunt, licet quoad concentrationem ob principatum membrorum inter se dissentiant, neque ueras imagines, sed falsas ob humorum tenebrositatem efformare poterat: quo fit, ut præterita, & ab inimicis præpotentibus oppressa deprauatas quasque actiones perficeret.

6. Epi. sect. 5. cont. 14.

Quarto autem cum omnia euaserint grauiora, nonne peste moriturum hominem quàm citissime diiudicasses? quandoquidem humorum adhuc malitia magis inualescebat, quæ diebus paribus accessiones fieri cogebat: quo factum est, ut quinto die & humores ad prauitatis culmen euaserint, & uires fermè ad nihilum redactæ sint, imprimis namque dies erat quintus, quo quidem omnia leuiora esse debebant, at sęuiora extitere, demū cum criticus foret, quo quidem natura humores aggredi, & expellere solet, ob eius imbecillitatem quamuis tentarit, nil facere potuit, sed confestim succubuit: ob id parum quidem sanguinis merū è naribus destillauit, indicium sanè apertum (vt Gal. testatur) naturam quidem concupire, quod superfluum est, ac nocuum expellere, sed ob extremam imbecillitatem nō posse: id ipsum quoque attestabātur urinæ uarię quoad substantiam, tenues, & crassæ, quoad colorem nigræ & albæ, & quoad falsam quandam hypostasim rotundæ, genituræ similes,

4. de rat. in acutis. cō. 64.

les,& dispersæ,insuper quòd nullum illi remedium profuit, quam uis ab Hippo. recte fuerit administratum, nam de solo balano mẽtionem facit, sub quo breuitati studens & reliqua alia comprehẽdit: nulli itaque mirum sit, si miser ægrotans febre pestifera oppressus sexto die ad meridiẽ defunctus sit,cum & maligni humores accessiones accelerarent,uirtusque languida accessionis argumẽtum sufferre non posset. Verum quoniam Hipp. pulsus indicia (ut Gal. testatur) non magni momenti esse existimauit, uisum autem ipsi est satis esse signa ex anhelitu desumpta,quæ proportione respondere uidentur his,quæ ex pulsibus percipiũtur,propterea huic ægrotanti spiritum perpetuò quasi reuocanti rarum & magnum fuisse scribit,ratione enim delirii mens turbata erat,& quasi quòd oblitus foret respirare,postmodum ad respirationem redibat,quę fermè suspirio proportione respondet: quod quidem his euenit, qui magnis angustiis,ac curis exagitãtur,hi namq; huiusmodi perturbati respirationis obliuiscũtur, ac deinceps cum calor in corde egeat euentatione,multum aeris trahentes anhelitum magnũ faciunt,ac si ipsis in mentẽ ueniat,redeunt ad respirationem: aderat postremò perpetuum aliud symptoma,tumor nimirum lienis rotũdus, quandoquidem adaucto atribilario humore, & à liene attracto,uiscus illud non solum ob ipsius excedentem calorem, atq; putredinem proprios exagitabat humores, sed & externos confusos, ex qua quidem agitatione rotundus tumor,non autem ad pyramidalis figuram,ut in concoctis,efformabatur.

3. de crisib. ca. ultimo.

Discursus circa ægrotantis morbos, & indicationes curatiuas eliciendas. Cap. 3.

SI igitur primo die ad huius,aut consimilis ægrotantis curatiõnẽ essemus accersiti,imprimis supponemus morbi natutã,nempè febrem ipsam,qui est calor natiuus ad igneum conuersus, in corde quidem potissimum,mox per arterias, & uenas in uniuersum corpus expansus,non quidem simplicem, qualis est ephemera,cuius cã desiit,neque intermittentem, cum nullum infebricitationis tempus adesset,sed cõtinuã,acutam,maliq; moris, seu ex pessima humorũ putredine genita,nã quę cõtinuę,acutęq;tãtum sunt febres ex putredine humorũ intra uenas aut paruas,aut magnas tãtũ exoriunt,at quę mali moris,seu pestiferę sunt,non solũ ualidiorẽ cãm habẽt, utpote maximã humorũ putredinẽ,uerũ & eorũ q & in

uenis quę propè cor ſunt,& in ipſomet corde reperiũtur:putredo itaque hæc in uenis maximis, ac corde exiſtens,febris huius cauſa erat,vigebat & enim non ſolum in bilioſis,craſsiſque humoribus, uerum & in tota ſanguinea maſſa, ex cuius corruptione præcipuę uires neceſſariò deperdebantur,nam cum ex humoribus unaquæque pars alatur,ſi hi putreſcant,non adeo in alimentum conuerti queunt,at ſi adhuc magis excreſcat putredo,non tantum membra alimento deſtituuntur, ſed & ſpiritibus orbantur, qui ex ſanguinis benigni exhalatione generãtur: huius quidem putredinis duæ fortè cauſæ erant præcipuæ, aer nimirum peſtilens per pulmones attractus,& obſtructio meatuum ex craſsis humoribus propagata, aer quidem ſui praua tẽperie cum in pulmones ingrediatur,humores cordi proximos inquinat,cibaria aũt nimia copia deſumpta,cũ à natura concoqui non poſſint,craſſa,& inconcocta uias obſtruũt, ex qua uapores introcluſi minimè expirantes accenduntur, & inſtar aeris ambientis humores ad putredinem uertunt. Cum igitur
11. meth. med.c. 10. ex reſolutione, ut Gal.præcipit, morbum habeamus, cuius adhuc cauſa manet, hæc autem ſiue proxima, ſiue immediata, ſiue contentiua (neque enim hoc loco de nomine diſceptare cõtendimus) ſit humorum maxima putredo, remotior uerò eorum portio, quę ad putredinem parata ſit, & adhuc huius putredinis alia cauſa, nimirum meatuum,uaſorumque obſtructio, obſtructionis uerò alia craſſorum, & incoctorum humorum copia,una quidem ex morbo enaſcitur indicatio, nempè ut frigidis & humidis febri contrariis utamur, ex humoribus autem putreſcentibus ut ualde putrida euacuamus,quæ uerò ad putredinem parata ſunt,ad benignum traducamus, ex obſtructione uerò quàm ex copia & craſsitie eſſe ſuppoſuimus,ut eorum copia minuatur,craſsicies uerò attenuetur:
10. meth. med.a principio. Verum quoniam Gal. de febribus putridis loquens, animaduertebat in his uirtutem ualde labefactari, atque deperdi, propterea primis duabus indicationibus, & à morbo, & effectrice eius cauſa deſumpſis tertiam aliam addebat, à prioribus quidem diuerſam, nam ſicut prędictę ſui ablationem indicant,ita hæc ſui cuſtodiam, fruſtra namque hominem mederi tentamus,ſi uirtus ex toto deperdita ſit: Non meminit autem loco præallegato,ſed undecimo eiuſdem libro,de ipſo aere eiuſque indicatione, quoniam aer interdũ inter cauſas reponitur, cum aut morbo auxiliatur, aut ei contrarius eſt, quandoque autem neq; cauſa cenſetur,cum nec obſit,nec proſit,quemadmodum neque de tempore,neque ætate, neque con

suetudine, neque aliis similibus, quæ coindicationes potius sunt, eandem ob causam: ueruntamen aer in hoc nostro ægro una ex causis erat, quæ morbum fortè produxit, ipsumque fouebat, atque ob id ab eo quoque indicatio desumi oportebat, nimirum ut frigidis, & siccis alteretur: Et quamuis dum superius de sanis agebamus qui humorum copia repleti sunt, dictum sit, causarum esse præseruationem, cogimur tamen & hoc loco dum morbo, cuius propria curatio est, remedia præstamus, & causis quoque, quibus præseruatio proprie debetur, congrua adhibere remedia, & enim in sanis una est causa præcipua, in ægrotantibus uerò complures, ac multotiens sibi inuicem contrariç.

Selectis indicationibus, à qua incipiendum, & quibus in hoc pestilenti morbo auxilijs satifaciendum: Cap. 4.

SElectis itaque indicationibus omnibus, una quidem ex morbo, reliquis uerò ex causis, inuestigãdum occurrit, num omnibus in hoc ægrotante satisfacere possimus, & quibus, cum enim ordo requirat, ut quod ultimum resolutione repertum est, primum aggrediamur, mox & reliqua opposito resolutionis ordine quoad primum deueniamus, imprimis si humorum copia adsit, euacuatione tollenda est, duobus nempè instrumentis, quibus medicus utitur, sanguinis missione, sub qua uenç sectio, cucurbitarumque & sanguisugarum appositio comprehẽduntur, ac pharmacia siue leniente, siue electiue ducente, uictus namque ratio, quod tertium est instrumentum, non nisi per accidens, ac temporis spatio euacuat: crassities autem humorum contrariis attenuantibus, calidis, tenuiumque partium leuanda est: quò uerò ad putredinem eorum quæ ualde putrida euacuanda altero ex prædictis instrumentis, dummodo euacuationi aut paretur, aut parata sit, quæ uerò putredini proxima existit, euentanda, ac frigidis & siccis ad naturalem statum deducenda, aer insuper eisdem temperandus, ac uirtus optimis cibariis, tenuibus tamen ne eam grauent, custodienda, ac postremò febris frigidis, ac humidis amouenda, cum enim intemperies calida sit, & sicca in facto esse per totum corpus diffusa, quicquid dicat medicus ille celebris, qui febrem calidam tantum in facto esse, siccam uerò in fieri esse existimauit, ualde meo quidem iudicio Galeno aduersarius, tametsi hanc Galeni fuisse sententiam profiteatur, nõ solum refrigeratione indiget, sed &

humecta-

1.de ratio. uict.in acu. com. 18.& 9.meth.14.

humectatione, ut erat eius placitum ubique locorum: Verum cũ hę indicationes ut & auxilia inter se pugnent, non parua difficultas insurgit, si enim frigidis & humidis procedamus, putredinem, & obstructiones magis adaugemus, si uero euacuamus, aut tenuantibus utamur cum calida sint, morbo non parum nocebunt, si uerò frigidis & siccis, ut humorum malignitati obsistamus, periculũ est, ne meatus corporis constipent: Augetur quinetiam difficultas, quòd cum in omnibus febrientibus ex Galeni placitis uires sint perpendendę, custodiendęque, præcęteris autem in ipsis pestiferis cum ob nimiam putredinem primo statim decubitu spiritus corrumpantur, ac corpus alimonia destituatur, prędictis indicationibus satisfacere non ualemus, si enim euacuamus, homo morietur, cum euacuatio uires ualidas exposcat, si uerò ęgrum crassiori uictu cibemus, ut spiritus regenerentur, putredini maius fomentum adiicimus. Quid igitur agendum? Galeni meo quidem iudicio præceptum insequendum, ubi uolens regulam medico procedendi tradere, dum morbi duo inter se contrarii, contrariasque habentes indicationes curantur, nempè febris, qui uictu frigido & humido indiget, & ac aqua inter cutim, quæ eundem calidum & siccum exposcit, dicebat, nos quidem ad id, quod magis urget, obuiare oportete, non tamen alterius cura posthabita, aut si fieri potest, omnibus pari studio auxiliari. si igitur in hoc ægro quid nam ex his urgentis rationem obtineat, fuerimus contemplati, uirtutis quidem indicationem omnibus uel maxime præferendam existimabimus, ac pari quoque ratione eam, quæ putredinis ualde excedentis est, uirtus enim imbecilla omnes ad se alias indicationes trahit, quandoquidem absque huius custodia quicquid agimus, uanum est ac futile, putredo uerò potissima uirium prostrationis causa est, non tamen posthabito morbo, atque obstructione, quæmadmodum ex Galeno nuperrime dictum est.

1.aph.par. com.16.

Circa sanguinis missionem, quod primum est instrumentum, quomodo procedendum in hoc casu sit. Cap. 5.

ILli itaque sanguis per uenę sectionẽ extrahendus non erat, uires namque hoc non tolerant auxilium, licet ratione sui, & pro euẽtatione morbo & obstructioni mirumimmodum conferat. Num uerò quę per cucurbitas fit euacuatio, molienda sit? putatem ego eam quidem ratione diuersionis, ac cutaneorum mea-

tuum

tuum euentationis, non autẽ euacuationis conuenire posse, nam cũ cucurbita uiolento motu à centro ad circunferẽtiam trahat, quemadmodum, præter experientiam Galenus, Aetius, & Oribasius assentire uidentur, materiam pestilentem non nisi à corde, & cerebro diuertent: insuper ex Auicenna scarificatę cucurbitę magis quàm phlebotomia cutis partes emundant, ita ut & necessariò rariores reddantur, non multum autem sanguinis extrahendum est, ne uirtuti imbecillę nocumentum afferamus, quod quidem in phlobotomia ob spirituum complurium effluxionem necessario contingit, neque hæ igne (quoad fieri potest) apponendę, ne corpus ex eo calidius efficiatur. Quòd si fortè quis obiiciat Gal. Aetium, & reliquos grecos scriptores iubere, quòd cucurbitę non nisi purgato corpore applicẽtur, is utiq; intelligat uelim, quę ab eis scripta sunt, nostrę non repugnare sententię, nam Gal. corpus mundatum supponit, cum phlegmone quopiam interno laborat, & parti illi cucurbitas applicare tentat, ut materiæ foras euocentur, tantũ enim abest, ut dum corpus impurum est, ei opitulemur, ut uel maxime offendamus, ruũt enim humores uelocius ad locum: pariter si adest oculi inflammatio, & occipiti cucurbitas apponamus, corpore sanguine repleto, ad cerebrum nobile membrum materias trahemus, quod quidem valde pernitiosum est. Aetius quinetiam easdẽ hyppocondriis potissimum in febribus intempestiue affigendas arcet, ob eorum violentum nixum, non tamen in casu nostro ipsas pro diuersione tantum à membris nobilibus ad ignobiles partes, & in scapulis prohiberet, nam sicut priores turbulentiam, sensuum difficultates, suffocationes, aut mortes parere queunt, quoniam ad ventriculum, & hæpar membra nobilia trahunt, ita postremæ in scapulis mirum immodum prodesse possunt, cum ad partes ignobiles trahant, & à corde, & cerebro materias auertant: pro hac eadẽ quoque intentione non mihi displiceret ad nares hirundinum impositio, tutius enim ab omnibus præcipue membris diuertent, ac quod crassius est, ac melancholicum ex venis hisce exugent, memini namque aliàs me eas in accessionibus quoque nonnullis febre pestilenti correptis imponi iussisse, qui maximum exinde cõfestim auxilium sunt consequuti, ac Dei beneficio à morte liberati, non. n. diuersione febribus tantum malignis opem tulerunt, verum & cerebro, cui imminebat periculum, ne inflammatio insignis exoriretur: quod & huic ægrotanti à principio euenire posse quisquis è symptomatibus intelligere poterat: iniungenda autem ante huiusmodi diuersiones clysteria sunt non quidem lenia, sed acriuscula, nam

quarta primi cap. 21.

13. meth. med. c. 19.

Lib. 3. c. 20.

non semper vt in sanis lenia conueniunt, sed virtute sopita, ac perterrita acria moderate, quoniam intentio nostra est non solum fœces exiccatas emollire, atque educere, verum & virtutem expultricem excitare, ac irritare ad expulsionem: In qua quidem euacuatione duo maxima commoda necessariò cõcomitantur, primum quidem vt à superioribus partibus, & pręstãtioribus ad inferiores, & magis ignobiles diuersio quoque efficiatur, secũdum autem, vt corpus rarius, ac trãspirabilius reddatur, hoc etenim sentiebat Aetius, vbi dum de arquatis loquitur, his obstructione oppressis si venæ sectio prohibeatur, acutum clystere administrandum iubet: sit autem id ex Auicenna superius descriptum aut ex decocto hordei in iure cum furfuribus ex decollatione paratum ad libram vnã cum mellis uiolacei ℥. ij. ac olei violacei ℥. iij. salisque ad ʒ.j.s. aut ut complures parant, illud ex decocto altheę, furfuribus, camomillę, maluę, mercurialis, blitis, ac similibus cum melle rosaceo, ac oleo uiolaceo, saleque iuxta eandem, maioremvè aut minorem portionem, pro ut conueniens uidetur: neque mellis rosacei ac camomillę, aut alterius horũ caliditas, seu adstrictio magnifacienda est, nam licet practici fermè omnes mel rosaceum ex Mes. confectione ab officinis paratum habeant, qui rosarum duas, sex uerò mellis partes accipiunt, ut calidum uideatur, caliditas tamen illa non ualde excedit, sed pro abstersione mirum immodum prodest, quòd si frigidius id reddere uelimus, tutius foret iuxta Aetium cum tribus rosarum portibus, & altera mellis ipsum parare, & enim sicut prius paulò erat calidius, & minus adstrictoriũ, ita posterius alterum magis quidem adstringet, ac infrigidabit, cuius quidem uice si ab utroque malo auffugere cupimus, melle uiolaceo utimur; Camomilla uerò tenuium partium, ac remisse calida, ut loco rosacei Gal camomellino utatur, nihil habet in se oppositionis, perinde ac reliqua ingredientia, ne in clysteri commode apponi queant, atque potissimum cum in febribus his pestilentibus ex humorum ebullitione flatus complures gignantur, qui ob hanc citra immoderatum calorem educi possunt: imponi præterea in his clysteribus potest quidpiam lenientis: ut pote cassia fistula, mãna, Diasena, & id tale genus, cum alias uereamur euacuationes, non solum secundo die, ut Hippo. iniunxit propè paroxismi declinationem, sed & primò die, si confestim uocaremur: quod quidem ipse fortè non præcepit, propterea quòd ex Galeni sententia in commentatione noni ęgrotantis ad plurimos morbo iam progresso accersitus erat: Vtemur insuper antidotis temperati

Li. 10. c. 16

Lib. 5. cap. 135.

tis per os desumptis, quæ cor, & spiritus exhilarent, putrediniquе resistant, neque enim quæ admodum calida sunt, ob febrem conueniunt: parantur autem à nobis antidota ex succo acetosę, bolo armeno, corallis, ac margaritis cum Zuccaro rosaceo, aut boraginato ad boli formam, etenim in succo acetosę habemus aciditatẽ absque adstrictione, qua mirum in modum putredini resistimus, necnon partium tenuitatem, qua obstructiones reserantur, bolus autem armenus ex Galeni placitis quàm ualde pestilentibus morbis prosit, abunde satis dictum est, coralla uerò quàm maxime cordi & spiritibus proficiant, Aui. Et Paulus scriptis reliquerunt, at quòd margaritę à Diosc. Et Gal. ignotę apud Serapionem ac Aui. non parum probentur, non est, ut multis innitamur, quandoquidẽ eas putredini obsistere, ac naturali temperie cordis uires adaugere experientia compertum est, cui quidem antidoto rosaceum Zuccarum adiicimus ob rosarum exiccationem, aut boraginatum, ut pote cordi gratissimum. Exhibeatur autem id ante cibum per horas duas, seu quid consimile, nempè theriaca, mithridatica vè compositio, de quorum præstantia, dum præseruationi in sanis attendebamus, superius dictum est: quòd si eius caliditatem uereamur, cum aqua acetosę aut rosarum dissoluatur, ut eorum caliditas obtundatur.

Tract. de ui rib' cordis. lib. 7. ca. 3.

De cibatione, ac sorbitionibus, quæ uirtutem foueant, & reliquis satisfaciant indicationibus: Cap. 6.

PRoinde fouenda, augendaque (si expedit) uirtus est cum optimis cibariis quę leui admodum egeant coctione, neque sint excrementosa, in quibus etiam quidpiam addatur, quod & cordis spiritus instauret, & putredini obstet: Sit autem imprimis usitatum, maximeque parabile gallinarum ouum temperie symmetro paulò frigidius, boni succi, licet non multi, coctu facile, atque minime excrementosum, si recens sit unius ad plus diei tremulum à Galeno nuncupatum, quando scilicet parum admodum coquitur, & ueluti lac concretum existit, si enim paulò coquatur, sorbile euadit, ac minus nutrit: neque putandum est, ut nonnulli falsò suspicantur, ouũ febribus putridis aduersari, propterea quòd facile accendatur, ac in uentriculo corrumpatur, & enim Gal. his exhibet oua, atque præcipuè uitellos, qui ex humorum tenuitate 12. math. med. cap. 6.

ſyncope laborant, prohibens quidem aquam mulſam, & ptiſanę cremorem, ut pote cibos, qui promptè diffluant & corrumpantur
„ his uerbis: Tũ cibi his dandi, qui non admodum prompte diffluãt,
„ non aqua mulſa, non ptiſanę cremor, ſed panis, & ſorbitio ex alica,
„ & fructus auſteri, & qui non facile corrumpantur, tum ipſi per ſe,
„ tum uerò & cum pane, & alica, quæ in aqua ſit cocta: Dabis uerò
„ his & oua, præcipueque eorum uitellos, album enim eorum ægre concoquitur: Solent autem complures id cum pulli brodio, ſeu iure, in quo oxalidis, ſeu acetoſę, & endiuię folia fuerint decocta, parare non quidem ipſum ebullientes in iure (ut perperam quidam efficiunt) ſed feruenti imponentes duntaxat, atque ægrotantibus offerre, qui quidem apparatus à nobis ualde probatur, eſt etenim medicamentoſus cibus, putredini reſiſtens, & eiſdem, ut prius tremulum, præpollens facultatibus: probatur quinetiã panis optimus ſiligineus, qui ſuperius à nobis deſcriptus eſt, recens in iure pulli decoctus, quem noſtri panatellam nuncupant, uerum quia panis hic ex coctione nonnihil in ſe adſcititiæ retinet caliditatis, ob id nos in hiſce febribus recentis panis optime cocti, ſeu noſtri buffetti, quem antiquorum aquaticum panem nonnulli uoluerunt, molle totum accipimus, & in aquam fontis optimam, aut acetoſæ, endiuięvè (ſi medicamentoſum cibum exoptamus) imponimus, illique bis, & ter, ac plus, ſi opus eſt, aquam commutamus, facta tamen ſemper mollis illius expreſſione, demum ipſum per cribrum ſpiſſum ſetaceum pertranſire cogimus, quodque craſſum ſupereminet, abiicimus, reſiduũ uerò in iure pulli, aut hędi, aut capi iuuenis lento igne decoquimus, & ægris propinamus, Cæterum quoniam in hoc ægro ſtatim à principio uictu paulò pleniori ob uires oppreſſas utendum erat, huic quidem cibo ex pullo aut capo aut perdice addi poſſet, parans quidem eo quo de pane, diximus, modo, ut ex tenuibus cribri foraminibus tenuius decidat, craſſum uerò ſubſideat, uerum non primo die, aut ſecundo, ſed tribus elapſis diebus, perinde ac ſtillicidium in balneo mariæ paratum non quidem ex quauis pulli aut capi, aut perdicis parte, neque ex eiſdem prauè enutritis, ſed eorum carnoſis partibus, minimeque excremẽtoſis, ac optime educatis: Adhęc Hippo. præ aliis ptiſſanam hordeaceam (ut dictum eſt) ualde extollebat, quam febribus acutis exhiberi iubebat, at num huic ęgrotanti exhibuerit, ualde quidem anceps ſum, nam etſi ſui humiditate, ac frigiditate febri opituletur, necnon quadam ſiccitate, qua hordeum prædi-

3. de ratio. uic. in acut. contex. 18.

tum

tum est, putredini resistere uideatur, ueruntamen magis humectat, qua quidem humectatione non ualde egemus, sed maiori exiccatione, cum ingens putredo uigeat; cui accedit, quòd si ex Galeno ptissanæ cremor prohibetur his, qui ex humorum tenuium putredine animo delinquunt, non alia sanè ex causa, quàm quòd ipse ptissanæ ualde timet corruptionem, multò magis pestilenti morbo uexatis prohibenda est, qui in uentriculo, & toto corpore ualde putridis scatent humoribus; Et sicut Hippo. de ea subdens scriptũ reliquit sub pleuriticorum exemplo, quòd si eis dolor assiduus est, calidisque fomentis non remittitur, sputumque non procedit, sed summe citra coctibilitatẽ glutinosum sit, nisi quis dolorem prius uel alui subductione, uel secta uena pro utriusque exigentia soluerit, ptissanã uerò ita affectis dederit, præcipitem aget in mortem, tunc enim ob intempestiuæ ptissanæ exhibitionem quod crudum in corpore est, ab ea ad locum affectum deducitur, quo fit, ut dolor magis excrescat, ac spirandi adaucta difficultate suffocatio necessario consequitur, ita in hoc nostro ęgro nondum aluo subducta unà cum aliis pessimis in uentre contentis humoribus & acesset, & putrescet, ac denique spiritus omnes opprimet: à quo quidem periculo liber fortè euadet is, qui post morbi principium, ac ex parte humoribus euacuatis ea uti uelit: Verum cum nostris temporibus edulium hoc non ualde usu sit, & quibusdam nauseam pariat, omittendum censeo, his præsertim prædictis temporibus quanuis optimum sit, ac iuxta eiusdem diuini senis præceptum parum aliud deterius, suauius tamen melioribus, ac minus suauibus præferẽdum, etenim multotiens uinum his minus conueniens, suauius tamen propinare cogimur, cum plerunque appetitus prosternitur ut neque aliud quidpiam degustare possint: quod quidem num huic cõueniat, & Hippo. bibẽdum permiserit, indubitatum statuatur axioma, neque illi competere potuisse, neque huic Hippocratem assensisse sententię, quandoquidem non solum calidis temperamentis, dum febricitant, sed & per ipsam sanitatem, & potissimum morbi principio, & augmento uinum interdicit: cuiquidem placito subscribit Galenus ubique locorum, in declinatione uerò utraque uinum concedit, quod tum aspectu, tum uiribus aquosum sit, utpote quod coctionem adiuuet, & urinas, atque sudores prouocet. Quòd si fortè quis obiiciat Hippo. in morbo acuto, & sicciore ante sorbitionem, uel mulsam, uel uinum utrum magis auxiliaturum sit, propinare, scias uelim Hippo. mentem fuisse eo loco ui-

1. de rat. uict. cõter. 23.

2. aph. par. 38.

1. ad Glau. cap. 13.

1. de rat. uict. 22.

num pro medicamento tradere non quidem merum, sed ualde dilutum, & dulce, ut sicciori morbo, qualis est absque sputo pleuresis, opituletur, dilutum namque uinum (ut respondet Aristo. quęsito, cur à uino diluto meracius tum caput postridie magis dolemus, quàm ex mero) quoniam per aquę admixtionem tenuius factum est, facile subit, ac penetrat, quàm meracius, sui uerò dulcore materias abstergit, ut sputum facile educi queat: Non igitur uinum est exhibendum, nisi uirtus imbecilla admodum foret, meracius enim id in parua admodum quantitate porrigendum est, pane quidem in eo tantum infuso, ac solo comesto, non autem uino epoto, tunc enim spiritus instaurat, neque ita euaporat, ac interius permeat, ut cerebrum nimis offendat. Quòd si fortè æger uinum ualde affectaret, neque ob febrem uinum tradere auderemus, paratum nobis sit quidpiam, quod uini naturã sapiat, ut pote hordei aquam, seu fontanã decoctam unà cum tanta iulep rosati, ac uini granatorum nõ ualde austeri quãtitate cõmixtã, ut neque in eo uini granatorum austeritas, neq; iulep dulcedo discernatur, tũc.n. potus ille febri, ac putredini nõnihil auxiliabitur, nullũque ob exiguam corpori austeritatẽ nocumentum impertiet: cibandus autem est æger horis tepidioribus, ne uirtus in pugna ab opere distrahatur, quod q.dẽ Hip. & Gal. in aphorismis sub pcepto nobis dereliquerũt, vt aũt & his indicationibus, nec non humorum crassitiei, ac meatuum obstructioni per alia auxilia satisfaciamus, decoctis, syrupis, & aliis istiusmodi incidentibus, ac tenuantibus, citra tamen caliditatem natura adminiculanda est, altero ex superius enarratis modis, aut herbarum succorumvè decoctione, aut infusione; inter cæteras autem plantas mihi summopere placeret, acetosa: Endiuia seu intybus seu cichoreum, mali medici, seu citri tota substantia, succus enim eius ex Galeni sententia uincentem habet qualitatem acidam, & siccam, ut ualde exiccare uideatur, ac infrigidare, aciditas verò non solum leuiter adstringit, uerum & sui tenuitate profundius penetrat, ac quod crassum est incidit, ac attenuat, semen autẽ & cortex ob quandam amaritudinem digerendi, siccandique uim obtinent, non tamen in caliditate ualde excedunt, caro verò frigida admodum est, ut non nisi febri ob frigiditatem aduersetur, putredini uerò ob eius siccitatem, ac obstructioni ob tenues, inciden tesque partes: possemus itaque cum acetosa & cichoreo ex citro frustulum in brodio decoquere, ac congruo tempore ægro propinare, probarem quinetiam cum aliis exiccantibus boraginem aut

3.par. pro ble. 13.

bu-

buglossum, licet nonnihil in his caliditatis adsit, atque humiditatis, ut neque febri, neque putredini opitulari uideantur, ex eorum nã que proprietate spiritus & cor exhilarant, uerum simplicia priora medicamenta magis probarem, necnon agrimoniam tenuium quippe partium, ac moderate calidam, ac siccã, ut exiccet, incidat, atque abstergat, & scordeum, quod quidem licet calidum sit, sui, tamen siccitate, atque temperie putredini ualde resistit: Vnde in antidotis aduersus uenena commiscetur, & multociẽs corpora, quæ prælio deciderunt (vt narrant historiæ) à putredine uindicauit, mitto etiam complura alia, de quibus medici omnes copiosius scripserunt, quemadmodum, & syrupos omnes, qui his indicationibus conferunt, vtpote syrupum de succo acetosę, de acetositate citri, de omphacio, de cichoreo, & istius modi, qui sui aciditate putredini resistunt, obstructiones aperiunt, & febri præcipuo morbo opitulantur, cum potissimum de his omnibus quo ad præsens attinet institutum, altero præcedenti libro satis superque disseruimus.

De externis auxilijs & num conueniant, & quæ & quando. *Cap.* 7.

PRoindè pro eisdem indicationibus, ac præcipuè uirtutis in corde existentis, ac spirituum instauratione, nec non putredine coercenda nonnulli etiam Practici epithemata quædam, seu inunctiones, frigidas cordis regioni extrinsecus apponere solent; quod quidem auxilium licet ab alijs damnetur, hac quidem potissimum ratione, quoniam si frigida sunt exterius admota uapores in corde existentes putridos, ac pestilentes reprimunt, ut maior in eo putredo, ac malitia excrescat, si uerò calida febrim adaugẽt, atque putredinẽ, ueruntamẽ superiores prędicti duabus & ipsi rationibus, & authoritatibus innituntur: frigida nanq; apposita caliditatẽ cordis intensam remittere aiunt, ita ut eius uirtus nequaquã suffocetur, atque extinguatur, insuper cor ab his roboratur, cum enim styptica sint, prohibent, quo minus uapores terri ad cordis sinus tam facile transmittantur: Quam quidem sententiam Auicennæ adscribunt, vbi dum quis Althoin pestilenti apostemate uexatur, cordi epithemata infrigidantia, ac corroborantia apponenda iubet, nec non Rasi, qui thoraci emplastrum ex sandalis, cãphora, aqua rosacea, & similibus super accõmodat. Verum neutra eorum secta, meo quidem iudicio, rectè opinata est, neque ueterum placita absque ulla di- lib. 4. fent, 3. tract. 1. cap. 18. 10. lib. ad Amans. c. de feb. pes.

stin-

7.meth. med. prope calcen. stinctione loquens intellexit, nam si cũ Gal. à natura rei membris medelam præstemus, hoc unum in omnibus membris tam præcipuis, quã non præcipuis est obseruandum, ut alteratio per contraria in gradu æqualia semper efficiatur, hac sola inter præcipua, & non præcipua obseruata distinctione, ut cum membra nobilia, ac potissimum cor & hepar sint, quibus uita hominis seruatur, studendum uel maxime est, ut quibusdam partialibus auxiliis uirtutes eorum custodiantur, cum aliis quæ ab ipsis dependẽt, quod superabũdat, communicant, non autem econuerso membra hæc ignobilia principalioribus atque nobilioribus: propterea si cor ad calidum ualde alteratum est, cum ipsius caliditas intensa sit, ut de ea loquẽs Gal. dicat, quòd si quis in sinistro cordis sinu cuiuspiam tametsi mortui digitum confestim imponat, uix eius calorem sufferat, contraria quoque non ualde frigida adhibenda erunt, sed remisse calida, ut in gradu per contrarium existant, cum uerò membrum præcipuum sit, ut non sibi soli, sed & aliis uirtutem impartiatur, siccitate quoque non excedente, ac moderata adstrictione adiuuabitur: 3.artis me. 95. quod quidem exemplo iecoris à Gal. proposito haud difficile erit ostendere, cum id tum sibi soli uirtutem sanguificatiuam detineat, sed & uenis largiatur, quòd si alteretur; & infirmum reddatur, non tantum uirtutem hanc deperdit, sed neque aliis communicat, ob id non solum contrariis qualitatibus indiget, sed & moderate adstringentibus, quæ non solum eius intemperiem amoueant, sed & robur instaurent: Eodem pariter modo de corde in præsentiarum dicendum est, id quidem alteratum est ad calidum remisse calidis, utpote contrariis excessui præter naturam indigebit, nec non adstringentibus, vt robur ipsius seruetur: Veruntamen hæc non adeo adstringentia sint, ut constipent, sed tenuium moderate partium, ut facilioris aliorum penetrationis potius in causa sint, quem 3.de simpl. med. facul. admodum de oleo rosato ex Galeni mente superius dictum est. Respondentes itaque priorum rationi, qui frigida negabant, quoniam constipant, & vapores putridos cohercent, dicimus nos illam quidem ualere, si ualde frigidis, & adstringentibus utamur: uerum hæc proposito nostro nequaquam conueniunt, sed remisse calida ut dictum est, atque moderate adstringẽtia, qualia ex unctionibus sunt unguentum rosaceum, aut sandalinum cum speciebus cordialibus temperatis, aut ex epithematibus aqua rosacea, de melissa, de acetosa, de boragine, seu buglossa & similia, seu eorum succi, aut decocta, aut stillicidia cum prædictis pulueribus, quæ cordis situi impo-

imponuntur: vnguentum namque rosatum absque opio paratum moderate refrigerat, pariter & sandalinum, quorum alterum temperare possumus, si pulueres paulò calidiores cordis spiritus fouentes in eo commisceantur: recipiatur autẽ sandalorum amborum, rubearum rosarum, corallorum amborum, foliorum myrti, melissę, boraginis, & acetosæ singulorum ʒ.j. been utriusque corticum citri, nucis muscatæ, ligni aloes, spicæ, ossis de corde cerui, granæ tinctorum, gariofilorum, zedoariæ, carpesii, cuiusque ℈.j. & omniũ in unum mixtorum fiat puluis: Ex his uerò quantitatem modo addes, ac modo diminues, nec nõ musci, ambræ & croci (pro ut opus erit) grana. ij. tria vè: puluis enim hic neque in caliditate ualde excedit, neque multum adstringit, quinimmo cordi uehementer excalefacto contrarium, aptumque remedium existit, ut uapores putridi è corde ad pulmones delati commode euacuentur, ac ne ad cor tanti ascendant, prohibeantur: peccant quinetiam postremi, qui absque ulla distinctione cuique cordis intemperiei ualde frigida tãtum apponunt, Rasis namque in ardẽtibus pestiferis febribus, ac hecticis frigida illa cordi adhibet, quemadmodum in tota illa cura uidere licet, cum & aquam frigidam propinandam iubet, quæ minime febri pestilenti ex humorum abundantia, atque obstructione conueniet. Auicenna uerò & ipse in principio adstringentia illa frigida apponit, cum apostema pessimum adest, ex quo uapores mali ac tetri ad cor ascendere queunt, non alia sanè ex causa, nisi ut uias cordis præcludat, per quas ab apostemate prauo uapores illi ad ipsum pertransire facile possint, & ut cor ualidius factum eis resistat, at in casu nostro his non attendimus absolute indicationibus, sed tum humorum, qui expurgari promeretur, resertationi, tum congruæ alterationi, quę per contrarium in gradu cordis caliditati prę ter naturam æqualis est, tum etiam cordis roborationi, quæ moderate fit adstringentibns, ut superius declaratum est.

Epilogus dictorum circa regimen ægrotantis primo die, ac de sitis auxilijs tertio die adhibendis: Cap. 8.

PRimo itaque die (ut quæ copiosius scripta sunt, colligamus) si ad consimilem ægrotantem acersirer, iuberem, ut per duas horas ad minus ante cibariorum traditionem clystere aliqđ ex prædictis imponeretur, mox cucurbitę duę, aut quatuor spatulis scarificatę, ex quibus quatuor ad summũ sanguinis vnicę extrahanť,

aut

aut (ſi mauis, opusvè ſit) hirudines duę aut tres ano eadem ſanguinis euulſa quantitate; his autem peractis ægro quietem per horam iniungerem, mox ut epithemata, ſeu unctiones deſcriptę cordis regioni nō q̃dē actu frigidæ ſubigant, deinceps ut bolū cordialē æger ſuciperet, ac per horę dimidię ſpaciū interpoſitū ſupraſcriptū cibum, paulò quidem pleniorem, tum quoniam à principio uirtus non conſtabat, tum quoniam hoc tempore plus cibi condonandū eſt, in ſtatu verò ſubtrahendum, vt noſter prima aphoriſ. parti. iubebat Hippocrates, cuius quidem copiam ſi uererer à natura circa morbum occupata minime confici poſſe, iuxta Hippo. Galenique præcepta, parum & ſępe ex eo ægrotanti porrigerem, atque cibarium id totum in duas aut tres uices partirem, dummodo (ut ijdē pręcipiunt) in acceſsionibus abſtineamus. Mane autem ſecundo die imperarem, ut (ſi cibus, aut quid aliud non prohibeat) ante eius exhibitionem per tres aut quatuor horas & bolus prędictus cordialis primum, mox decoctum aliquod in brodio, aut ſyrupus quis ex prędictis cum decoctis (ut noſtri faciunt medici) propinetur, ac ut æger quieſcat: ab aquis autem illis elambico plumbeo ſublimatis penitus abſtinerem, quandoquidem in huiuſmodi ſublimatione propria non tantum medicamenti uis deperditur, uerum & adſcititia altera ex plumbo praua comparatur, ut medici plerumque proprio fine fruſtrētur, ac ꝙ peius eſt ęgritudini mirū in modū obſint. Quod ſi fortè primo die neq; clyſtere, neque cucurbitę, aut hirudines, neq; epithemata fuerint impoſita, prædicta quęque cum Hippo. hoc ſecundo die (prout res expoſuit) à nobis peragentur, ſi uerò ea peracta ſint, vt prædiximus, epithemata ſaltim, ſeu unctiones repetendę ſunt, non tantum una uice ſingulo quoque die, ſed & bis ac ter. Atqui quoniam tertio die de ſiti ualdè conquerebatur, ut in contextu ait Hippo. licet ſitis ſymptoma ſit, ac ut tale curam nequaquam ad ſe trahat, cum tamen in hoc caſu urgentis rationem obtineat, huic etiam ſuccurrendum eſt: proinde ſitis quæque ſiue naturalis, ſiue pręter naturam, eſt appetitus frigidi & humidi (ut recte eam Ariſtoteles diffinit, utpote ad eius immedia-
2. de anima 28. tam cauſam reſpiciens) quandoquidem ſiue chylus, liquidique potus in uentriculo, gutureque eius continuo, ſiue in eorum poroſitatibus ros per illas ſparſus, ſiuę in exilibus uenis, ac arteriis diffusę humiditates, ſiue & poſtrema partium illarum interna, ac ſubſtantialis humiditas abſumatur, neceſſariò ſitis cōſequitur, ꝓpterea ꝙ frigido & humido partes uentriculi, gutturis ac fauciū deſtituunt,

frigi-

frigidisque ac humidis cibariis reparari concupiscunt: Verum tamen non semper res hoc se habet modo, nam cum sitis naturalis ab ea pręter naturam nonnunquã distinguatur, quoniam in siti præter naturam multotiẽs duo reperiuntur, alterum quidem obiectum cõ tristans, ac humidum consumens, quod utique immediata causa sitis non est, alterum uerò humidum ipsum, siue substantiale, siue roridum, siue quid aliud, immediata ac propria causa, quo quidem absumpto sitis confestim consequitur, at in naturali siti sola immediata causa adest, quàm humidis & frigidis remouere tentamus, sitis quidem præter naturam non semper prędictis aufertur, non enim quocunque tempore causæ immediatæ sitis attendimus, sed ei, quod humidum illud absumit: Et ob id Gal. acetum in siti à caliditate & humiditate genita exhibet, Alexander quoque Trallianus siti à salsa pituita ortam ob eandem causam salsis cibis, salsamentisuè, ac capparibus, nec non detergentibus alijs medicamentis plerumque finitam esse commemorat: ad quam etiam respiciens Gal. dum tradit signa, quibus uentriculum male affectum à corde, atque pulmonibus distinguamus, dicebat, quod si sitis ex uentriculo proueniat, è quo absumpta sit humiditas, tunc potus frigidus, & humidus remedium optimum existit, at si ex pulmonibus, ac corde ualde calidis humiditatem gutturis, ac faucium absumentibus sitis proueniat, nõ quidẽ cum potauerint (inquit Gal.) statim sitis sedatur, sed cum actu frigidum quid ob eius frigiditatem fuerit haustum, necnon & frigidus aer inspiratus, quæ quidem nihil eos iuuant, qui è uentriculi siccitate sitibundi sint. Cum igitur noster hic ęger siti præter naturam premeretur, licet uentriculi, gutturis, faucium, ac linguę ariditas foret, atque ob id frigidis & humidis partes hæ indigerent, aderat tamen altera causa, quæ humiditatem partium illarum absumebat, caliditas nimirum excedens in pulmonibus ac corde, quæ actu frigida, & aeris frigidi inspirationem exposcebat, necnon humores acres in uentriculo contenti, qui sui acredine non solum faucium, linguæque partes exiccantes, verum & comburentes euacuatione, alteratione vè tollendos corrigendos vè esse indicabant: Itaque aer hoc casu ad frigidum, ut & supradiximus, immutandus est, acetumque cum rosaceo naribus, ac faucibus imponendum, vt eo attracto, cor, & pulmones refrigerentur, cubile quinetiam ex frigidis ornandum: non exhiberẽ autẽ potus illos quibus sitis ipsa extingui solet, quoniam præter quòd alteram contrariam habemus causam humidum absumentem, accen-

I. de simpl. med. fac. 3.
Lib. 7. c. 8.

Lib. 2. art. med. c. 64.

dentemque, in principijs etiam ex Aetij sententia maximum ægris incommodum paramus, ut cum in uentriculum ingrediantur, & corrumpantur, maioremque inferant sitim, uerumtamen minus malum est, ut quid frigidum, & solidum in ore ægri detineant, ut pote lactucam ex aqua fontana euulsam, tragagātham, mānam, sebesten, ex Aui. placitis, pruna recentia, ac sicca in aqua infusa, pruna cōdita, ac iuiubas & mirobalanos cōditos, quę quidē ex India ad nos asportantur, necnon catapotium à Dioscoride cōfectum, quod quidem recipit, seminis cucumeris satiui excorticati ℥. j. tragaganthę ʒ. 5. siquidem tragaganthan tusam & cribratam, & semen cucumeris contritum cum ouorum crudorum recentium candido diluimus, & ex eis catapotia paruula efformamus, ex quibus unum sub lingua ęgro tenendum prębemus, ita vt dissolutus liquor linguam, & faucium partes humidas reddat: probantur etiam à medicis nostris cerasa illa acria, quæ uulgò marene, seu marasche dolce nuncupantur, & anguriæ frustulū, & dulcis radicis succus concretus, ac pillulę seu catapotia bechichia nuncupata ex Mesues descriptione: Inungatur præterea collū cum frigidis unguentis ac caput irrigetur ex frigido oleo, aut rosaceo ex alto nimirum syncipite irrorato: neque uererer, quod materiæ ad cordis, pulmonumque partes protruderētur, hæ namque quodammodo humidę leniter interius protrusæ cum prius cerebri partes externas occuparent, guttur, ac fauces humectāt: Quòd si æger solida hęc renuat, & liquida magis exoptet, coacte quidem ea, ac pro gargarismate duntaxat concedemus, qualia sunt hordei aqua cum iulep uiolaceo, aut decoctio tamarindorum, & iuiubarum, aut syrupus uiolaceus, aut iulep cum aqua frigida cōmixtum, aut aqua cum aceto frigida, ut exhibet Galenus, atque hmōi, quæ breuitatis gratia mittenda dijudicamus.

De remedijs delirio administrandis, ac quæ somnum concilient, & denique quæ toto morbi cursu adhiberi possint Cap. 9.

CAeterum cum æger noster hoc quoque die delirarit, quod quidēerat indiciū materias acres caput ascēdere, ac animales spiritus obtenebrare, immineatq; periculū, ut apostema in eo confirmetur, indicatio insurgit, ut huic symptomati obuiemus diuersione nimirum, ac ad contrarium alteratione: uerum cū diuersio bifariam efficiatur, aut frigidis, & adstringentibus extrinsecus a ppositis, quæ materias repercutiant, aut his, quæ ad oppositam

tam regionem trahant, fricationibus, clysterijs, pharmacijs, masticatorijs, & huiusmodi, insurgit difficultas, num materiæ à capite repercutiendæ sint, quandoquidem Aui. à Galeno ubique mutuatus in capite humoribus repleto, & nondum toto euacuato repercutiẽtia renuit pharmaca: quòd si respondeas, clysteri, & cucurbitis seu hirundinibus factam esse euacuationem, quę cum phlobotomię uicem gerant, cum eodem Auicenna, & Galeno audacter hęc utique apponere possumus, nã Gal. præmissa tãtũ phlobotomia capiti oxirodinũ, ac alia repercutiẽtia administrat, & Aui. eodẽ procedit modo, tibi cõfestim obiiciã rõne ex Mesue desumpta, qui capite de cura sodæ horũ usum prohibet in febribus his, quæ ex humorũ copia pẽdẽt, propterea ꝙ repercutiẽtia hæc uapores è capite egredi uetant: quo fit, ut maius exinde proueniat incõmodũ: Quã quidem rõnẽ & nos uerissimã fatemur, si solis repercutiẽtibus utamur, at si cum his aut attenuantia, aut cõcoquẽtia permisceamus, ut uapores è capite exire, aut humores ad benignum redigi queant, maximũ adiumentũ cõsequeť: huic accedit & aliud nõ spernẽdũ auxiliũ, quòd inflammationi in cerebro inchoatæ reparamus, ex qua mors facile subsequatur: oxirodinum itaque ex oleo rosaceo, ac aceto confectum uel maxime probatur, in quo aquam rosaceam (ut multi faciunt) nequaquam imponerem, cum ualde sit adstringens, id etenim reprimit moderate, & inflammationi aduersatur, crassosque humores attenuat: Caputpurgia autem & masticatoria hoc casu prætermitterem, cum calida sint, sed frictionibus, & clysteribus, ac glandibus contentus essem, leuibus tamen, cum uirtutem imbecillam habeamus: proinde quòd per contraria caput alteretur, maxime tutum fore putarem, hæc enim non solum ab inflammatione cerebrum uendicant, uerum & somno alteri prauo symptomati auxilium præstant, ut prædictum est oxirodinum, odoramentaque complura ex nymphea, lactuca, rosis, uiolarumque tum floribus, tum foliis, hyosciamo, salicis foliis, solano, capitibus papaueris albi, & nigri, & huiusmodi cum aceti parua portione, unctiones præterea naribus ac temporibus impositæ ex unguento populeonis, aut unguento rosaceo Mes. quæ non tantum cerebrum infrigidant, sed & somnum conciliant, pariter (ut Aetius præcipit) ceruical ex his herbis papaueris capitibus, ac mandragoræ malis repletum, & capiti suppositum: confert postremò aquarum strepitus (ut Celsus autumat) aut ex natura, aut ex arte confectus, quales sunt molendinorum, aut aquarum uelociter ex alto descenden

prima tertii tract. 1. c. 19. & tracta. 2. c. 5.

1. ad Glau. cap. 15.

prima tertii tract. 3. c. de cur. c. apostema.

tium: At quartò cum omnia euaserint grauiora, si tertio die clystere fuit administratum, hoc misso cum aliis prædictis auxiliis, aut fortioribus, easdem tamen indicationes respicientibus procedendum erat, cibandusque æger in declinatione, aut horis minus molestis, aut si uirtus caderet (ut certè cadebat) partiendus cibus, minoriq; e quantitate, ut uirtus sufficiat. Quintò uerò cum uirtus admodum exilis foret, siquidem extremę partes frigidę euaserunt, neque amplius ad calorem reuocari poterant, huic soli attendendum erat, cibariis prædictis, atque potissimum stillicidio, ex quo ciborum coctu facilior, ac melior substantia exhauritur, ut uirtus eam facilius immutare posit, ac etiam bucella panis optimi in uino cretico, aut alio consimili infusa, reuocandusque calor (si fieri posit) cum ligaturis, pannorum calidorum, aut uesicę aqua calida imbutę (ut diutius calor permaneat) manibus & pedibus appositione, aut & sacculis furfuribus calidis repletis, & partibus extremis impositis, insuper & calciamentis ex laneo panno: Et licet quinto hoc die pro diuertendis, euacuandisque humoribus clystere subdendum foret, uirtus tamen id non tolerabat, cum uires prostratas non requirat, propterea cum Hippocrate balano solo contenti erimus, quod pruritum in ano, ac irritamentū excitandi uim obtineat, sit autem ex melle, sale aut communi, aut gemmæ, cum speciebus hierę simplicis confectum hūc in modum, Salis gemmę, spetierum hieræ. s. utriusque ʒ. .s. Mellis optimi quantum satis sit, igni apponātur omnia, & misceantur, donec crassescant, fiantque suppositoria ad digitorum octo longitudinem, & filo appendantur, ut ea si opus sit, & emittere, & euellere posis: Quibus quidem si non leuetur æger, & uirtus ex toto decidat, ut in hoc nostro, cuius partes non solum frigidæ, sed & liuidæ factę sunt, mortificationis omnium corporis partium indicium manifestum, ipsum moriturū prognosticabis, in hoc quidem ægro sequēti die cū accesiones diebus paribus inuadant, in aliis uerò altero subsequēti, si diebus imparibus fierēt accesiones, aut eodem quinto, si naturæ essent imbecillę, atque ætate maturiori.

Quòd secundus ægrotans ut & primus peste, pestilentique morbo decubuerit: Cap. 10.

SVccedit alter secundo ordine ægrotans Silenus nomine eadē methodo examinandus, curandusque, etenim quòd is, ut & Philiscus pestilenti morbo correptus sit, eisdem met indiciis com-

comprobari potest, nam secundo die non solum animalis præcipua uirtus deprauata est, uerum & naturales oẽs, ut ex urinis, ac deiectionibus nigris facillime comprehenditur, cum enim dicat Hippo. Deiectiones nigrę, qualis est sanguis, sponte uenientes siue cum febre, siue sine febre pessimę; Gal. in commento reddebat rationem, eo quòd indicat in hepate, aut splene maximam adesse imbecillitatem, cum enim splen neque bene purgat, & sanguis, qui in hepate continetur, multum huius limosę superfluitatis continet, hepar debile redditur, & superfluitates illas cõtinere nequiẽs relaxat, quæ postmodum ad intestina demandata, per secessum euacuantur, de nigris uerò urinis primo de crisibus loquens, eas non nisi uirtutis imbecillę, caloris uerò præter naturam excessus indicium esse dicebat, ita ut nemo, qui tales urinas nigras minxit, ab ipso fuerit seruatus: Si uerò ad humores respiciamus, quis non uidet, prauos, ac pestilentes eos extitisse, ac ex consequenti non nisi morbum pestiferum, ac lætalem propagasse? nam Hippo. aphorismo subsequenti in hæc uerba prorumpit: Morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis uel supra, uel infra exierit, lætale: cum enim calor præter naturam ingens est, humores adurit, & necessariò atra bilis humor nimirum perniciosus, & ab eo pestiferi, lætalesque morbi fiunt, principio uerò morbi excretus uel copiam eius præsefert, aut summam uirtutis imbecillitatem: Vnde Gal. se ad huc iuuenẽ sub Pelope pręceptore, & per seipsum toto uitę suę cursu semper obseruasse fatetur, atrę bilis humorem quocumque morbi tempore, semper ad perniciem excerni, quæ uerò nigra uocantur non pauca ad bonum euacuari, non tamen morbi principio, sed in statu consistentia, in qua sæpenumero natura superfluitates expellere conatur. Quòd si quis fortè obiiciat Hippo. Galenique dicta uera non esse, primum quidem, quoniam si principio morbi humores excernuntur, nonne naturæ proficuum est humores illos magis euacuatos esse, quàm in corpore detineri? siquidem illã minus residuum grauat: secundum autem quoniam bonum esse uidetur atram bilem deiici signis apparentibus coctionis, nam cum Hippo. initio morbi atram bilem exeuntẽ pernitiosam detestatur, in statu post coctionem plerumque ut salutarem probat iuxta id, quod dixerat, Concoctiones celeritatẽ portendunt iudicii, certamque salutem, cruda uerò & incõcocta, atque in malos abscessus cõuersa, aut acrisias, seu crisis carentias, aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortem, aut recidiuas: primo quidem obiecto satisfaciemus,

4. aphor. part. 21.

eodẽ. part. aphor.

li. de atra. bile à principio.

1. Epid sect. 2. contex. 44.

" ciemus, quòd licet talium humorum euacuatio bona sit, quandoquidem portio quędam ablata est, quæ morbum fouebat, indicat tamen maximam esse in uisceribus imbecillitatem, inflammationemque: secundo autem Gal. quidem de bile exquisite nigra, ac superassata (ut eius consonant uerba) Hippo. uerò de bile atra, sed nõ exquisita uidet̃ intellexisse, cuius quiéd ratio in prõptu est, propterea quòd cum exquisite ater est humor, indicat maximam extitisse inflammationem, quæ nonnisi præcipuas partes imbecillas reddit, ut quamuis natura primam materiam superarit, semper tamen nouus alius morbus lætalis consurgat, ut in pluribus ab Hip. casibus conscriptis uideri licet. Quòd si symptomata, quæ quibusque diebus euaserunt perpendamus, dubioprocul non nisi pestiferum morbum ostentant, nimirum fluxus alui biliosus, niger, spumosus, lingua solitò aridior, & nigrior, delirium, risus, cantus, perpetua præcordiorum palpitatio, totiusque corporis uehemens agitatio, papulæ cum sudore frigido, ac denique (quod infallibile erat indicium) extremorum frigiditas, & liuiditas cum urinæ crassitie, atque liuore.

Discursus circa ægritudinis causas, pro exhauriendis indicationibus curatiuis: Cap. 11.

VT autem quod Hipp. præstiterit, nosque præstabimus, si quã do huic consimili obuiam eamus, aggrediamur, prius morbi naturam, causasque, ut & in præcedenti, supponemus, & siquidem cum eo quoad pręseruationem, aut curam cõmune erit, mittemus, quod uerò huic proprium existit, in medium afferemus, & ut morbus exigit, congruis remediis à natura rei desumptis oppugnare cõtẽdemus; Is itaq; imprimis morbo pestilenti decubuit, non quidem ex aere potissimum infecto, ut fortè Philiscus, sed ex humoribus momento ab ipso suscepto, quandoquidem Hippo. in casus historia procatharticas causas assignat, quæ quidem externę cũ sint, licet ex Galeni sententia nil conferãt ad curationem, internas tamen, ac immediatas demonstrant: ob id lassitudines, potationes, & intempestiuę exercitationes non nisi à uehementissimis causis morbum huius ægrotãtis ortum duxisse prę se ferunt, à quibus tamen indicationes minime deducendæ sunt: abierunt namque fomite prauo in internis derelicto, è quibus postmodum pręseruatiuæ indicationes exhauriuntur: propterea non est ut mul

tum

tum innitamur, quò lassitudinis species, uarias potationes, ac exercitiorum genera aperiamus, id enim nobis duntaxat sciuisse satis sit, non ut Montanus interpretatur, ex potationibus & exercitationibus lassitudines euenisse, quandoquidem Hippo. totum appositum scripsisset, ex potationibus, exercitationibus, & lassitudinibus, si lassitudines affectus uoluisset, cũ ordinẽ, ut & breuiloquiũ semper uel maxime affectet, insuper bis eãdem affectionẽ ex lassitudine repeteret, quod quidem sibi non conuenit, primis quidem uerbis, ac mox in casus enarratione, sed rectius meo quidem iudicio interpretandum, ex nimia repletione prius quidem Silenum lassitudines occupasse, quas Hippo. spontaneas nominat, non enim ex immoderatis motionibus fiunt, sed (ut Gal. ibidem testatur) dispositiones sunt, quæ in corporibus absque motione proueniunt, demum cum is lassitudines hasce paruipenderet, multum ac fortè meracius potasse, neque hoc contentum intempestiue, cum adhuc crudi in uentriculo adessent humores, ualde se exercuisse, ex quibus quidem procatharticis causis primo quidem humores inconcocti, ac crassi meatus occuparunt, ex prohibita uerò euentatione tenuiores, ac biliosi (erat etenim iuuenis) cęperunt putrescere, coadiuuãte quinetiam pessimo aere per pulmones attracto, qui cor occupantes ipsum in calefacto esse constituerunt; erat autem febris continua, quam ignem ob effectum Hippo. nominare solet, ut rectè testatur Gal. uerum cum calor præter naturam non tantum humores cordis occupasset, sed & ipsius, totiusque corporis solidam substantiam, unà cum prędicta putrida pestilenti aderat & hectica pestilens, quam Gal. propè decimi libri meth. med. calcem colliquatiuam nominat, in urinis namque huiusce ęgrotantis & deiectionibus manifeste admodum colliquatio conspiciebatur; Crassi uerò partim quidem musculos occupantes dolorem tensiuum illis inferebant, partim uerò caput petentes ipsum grauabant, & partim collum infestantes contentionẽ uehementem parturiebant; neque mirum est, siquidem, ut sæpe dictum est, iidem humores diuersis in partibus procumbentes diuersos morbos & symptomata parere solent: atque lumbi pręcipuè laborabant, cum enim hi ex intempestiua motione primariò incalescant, calor quidem præter naturam crudos ad se humores attrahit, illi uerò inter fibras nerueas intersecti, eas utique uti humidum nerueam cordam, ualide admodum extendunt, doloremque inferunt: quod itidem & de collo dicendum est: at capitis interna

2. aphor. par. 5.

2. de rat. uicti. com. 18.

terna

terna pars non eodem modo affligebatur,ſed oppreſsis cerebri ca uitatibus, per quas ſpiritus ad uniuerſum corpus funduntur,grauabatur: Itaque febris erat cōtinua primum,mox acuta & hectica, maliq́ue moris,ex tenuioribus, craſsioribusq́ue humoribus originem ducens, qui quidem cum in multa copia forent, ut à natura regi non posſint,& à calore præter naturam ualde opprimerentur, primo confeſtim die natura eos ulla abſque coctione, ac ſymptomatice propellente,cœperunt tum per urinam, tum per ſeceſſum, mox & cutaneas partes euacuari, calore uerò præter naturam in humores ualide admodū agēte, deiectiones erant multę, merę, & ſpumeę,multę quidem (ut dictum eſt) ob eorum copiā, merę uerò quoniam,ſicut in externis ignem totum ac ſincerum dicimus,cum ligna ad ſui naturam conuerterit, ſic & bilis ſincera, ac mera erat, propterea quòd à ualido calore præter naturam quicquid in humoribus reperiebatur benigni, ſiue ichor, ſiue quępiā alia ſubſtantia, conſumptum erat,ſpumeę uerò, nam cum ſpuma quælibet ex duplici ſubſtantię commixtione conficiatur, ſpirituoſę nimirum ſeu aereę, ac humidę ſeu humoroſę, cum utraque in multas partes refrangitur,ac inter ſe mutuò circūplectitur,ita ut multę ac paruę ampullę uiſantur, huiusq́ue effectus, qui ſpuma dicitur duo ſint agentes,uiolentus motus ac fortis, excedensq́ue calor, contingat q́ue plerumque ad ſpumæ generationē alterum quidem ex dictis agens tantū concurrere, quandoque uerò utrūque,flantibus namque uentis,& uehemēter mare commouentibus ſpuma generatur, confractus enim fit ex motu duntaxat illo uiolento, mixtioq́ue aereę, aquoſęq́ue ſubſtantię mutuò ſeſe complectentis,in lebetibus autem ebullientibus ſpuma fit ra tionecaliditatis excedentis eas ſimul ſubſtantias, utpote aereos uapores,& aquam commiſcentis, in equis uerò currentibus ex utraque planè cauſa, quādoquidē cum ex Galeni ſententia per reſpirationes aer intro, foraſq́ue fera tur, & ſaliua circa os exiſtens extenuatur, & aliquid etiam inſtar uaporis ex pulmone ab aere moto modo intus, modo foras effertur, quod ſimul cum aere & ſaliua commiſcetur,quamuis Montanus ad unam immediatam, utpote motum uiolentum utramque cauſam deduxerit, ac perperam ſanè, cum uiolentus motus non ſit, qui à calore fit,ſed tumefactio tantum attenuatioq́ue partium, ob quam quidem attenuationem aere in aquam ingrediente,ſecūq́ue commixto ſpuma generatur, In deiectionibus his ſpumoſis duplex concurrebat agens, uiolentus quidem motus ex uapori-

bus

bus eleuatis, atque hincinde agitatis, ac tandem cum excrementorum substantia liquida permixtis, & per secessum protrusis, ac uehemens calor præter naturam in corpore conclusus, qui humores ebullire faciebat, aeream que ac humidam substantiam in fæcibus atque urinis permiscebat. proinde licet humores hi tetri ex parte euacuarentur, eorum tamen tanta copia aderat, atque malitia, ut partim quidem caput peterent, & uirtutes animales deprauarent, partim aũt septũ transuersum, & ipsa hyppocondria occupantes, inflãmationes, dolores, tẽsiones deliria, ac palpitationes inferebãt ob maximam in diaphragmate neruorum copiam, quibus cerebro cõmunicatur: hoc etenim Hippo. prædicendum fore docebat, cum ait, si pulsus in hypocondriis (rectius autem uertendum est) in diaphragmate insit, perturbationem significat, aut delirium, partim uerò ad cutaneas partes ferebatur, & papulas cum sudore rubentes excitabant, siquidem tenues cum sanguine ac crassis humoribus commixti reperiebantur, tenues namque sudores, sanguis uerò crassus tubercula quędam rubea efformabant. His ita constitutis & pessimo morbo, & pernitiosissimis causis, præmisso prius prognostico de cito ægrotantis interitu, difficilis etiam præseruatio, curatioque nobis offerebatur (non enim meo quidem iudicio tales à principio derelinquẽdi sunt) cum & indicationes ualde contrarię forent, ac multò deteriores, ac in executione periculosiores, quàm hæ quæ ex præscripto ægrotante fuerunt exhaustę, cũ enim calor præter naturam ualidior sit, ut non solum humores cordis, sed & solidam substantiam occupet, indicatio insurgit, ut & ualidioribus infrigidantibus, & humectantibus utamur, at prohibebant humores pestilentes, qui exiccantia, ac æquantia potius exposcebant, necnon alui fluxio, cui humidis maior aditus paratur: obstructionibus autem, quæ cum ex crassitie humorum pendeant, calidis & tenuantibus auxiliis egebant, indicatio inflammationis diaphragmatis, & hypocondriorum, quæ ex tenuibus ac calidis humoribus ortum ducit, auxilia tollit: Verumtamen quoad melius fieri potest, remedia quædam in mediũ afferemus, quibus urgenti, reliquis tamen nõ neglectis ex parte satisfaciamus.

1. progn. 28.

De uenæ sectione utrum conueniat huic ægrotanti. Cap. 12.

PRimum autem, atque præcipuum proponitur, uenę nempè sectio, quę quidem num huic conueniat casui, rationes quidẽ hinc inde ex indicationibus desumptę, ac non negligendę ui-

dentur, nam cum fluxu uirtus magis imbecilla reddatur, materiaque peſſima ſit, duo proculdubiò uenę ſectionem uetare uidebantur, alterum quidem ne uenę inanitę, quod è uentre peſſimum euacuabatur, ad ſeſe traherent, ac exinde maius incommodum, quàm commodum morbo conſequatur, alterum uerò, quòd uirtus imbecilla ob humorum malitiam adhuc imbecillior redderetur ſubtracto ſanguine, ex quo nutriri facile poterat, idque potiſſimum cum uenę ſectio inter præcipuos ſcopos, quę ipſam indicãt, uirtutis robur uel maxime requirat: His etiam addas Galeni placitum 1. ad Glau. qui in uentris profluuio in uniuerſum quancumque prohibet euacuationem, cum ait, Quòd ſi fuerit febris cum uentris profluuio, nulla eſt opus euacuatione, uerum hęc ſola ſufficit quanuis non ſit pro multitudinis ratione, cuius quidem cauſam ſubdit: Quicumque enim his plus adimere fore neceſſarium putantes aut ſanguinem mittere, aut mouere tentarunt, in grauiora pericula duxerunt: Ex alio aũt latere morbus magnus tum factus, tum fiendus adeſt, ſanguinis abundantia, ac uirtus à principio ſatis firma præcipuæ uenæ ſectionis indicationes, de morbo quidem clarum eſt non tantum quoad febrem uehementem, ac acutam, uerum & quoad diaphragmatis inflammationem præcordiorumque contentionem, de quibus quidem loquens Hippo. ſeu quis alius author grauiſſimus cõſulebat, ut ante pharmaciã phlobotomia à principio uteremur, cum enim diaphragmate inflammato ſæua contingant ſymptomata, ualido confeſtim auxilio, quod inflammationis eſt cauſa, detrahendum eſt, non quidem inter initia medicamento ſoluente, nihil enim proficiemus, cum cruda ſit affectio, incuneataque materia, ut ob medicamenti acredinem, ac materierum exagitationem maior inflammatio ſuccendatur, ſed phlobotomia, quæ per partem poſt partem à parte inflammata (ne detur uacuum) humores nocuos placide admodum diuellit: quòd autem ſanguine æger abundarit, Hippo. aperte in caſus hiſtoria oſtendit, cum papulas octauo die cum ſudore rubentes apparuiſſe ait, rubedo autem ſanguinis præpotentis manifeſtum indicium exiſtit, ut omnes medici conſentiunt: at quòd uires firmæ illi primo die extiterint non ſolum ex Hippo. habemus, cum in calce hiſtorię ętatem ægrotantis deſcribat, inquiens, Annum ætatis agebat circiter uigeſimum, uerum & ex Gal. in breui ſua interpretatione dum ait: In hoc ægro, quod non fecit in primo ætatem adſcripſit, ille enim meritò periit die ſexto, quòd in

c. de cur. feb. cũ accedẽtibus.

4. de rat. uict. cont. 21.

acuto morbo exitialia continenter ab initio haberet signa, & symptomata: hic non aliter, atque ille à principio affectus, tamen quia firmis erat uiribus ad diem progressus undecimum est per uirium robur. Hos autem ab Hippo. Galenique placitis non discedentes uenam secuissemus, secabimusque si quispiam consimilis casus offeratur curandus, quandoquidem uenæ sectio non solum mirifice prodest, cum adest uasorum, uiriumque plenitudo, sed & citra plenitudinem initio phlegmonis aut totum corpus, aut eius partes occupantis, dum, scilicet tres præcipui mittendi sanguinis scopi, morbi magnitudo præsens, imminensque, ætas florens, ac uirium robur, præstò sunt, ut in hoc nostro ægrotante, quemadmodum aperte declarauimus, corpus enim rarius reddetur, è loco affecto humores detrahentur, & calor præter naturam remissior efficietur: Neque obstant rationes, Galenique decreta, quæ huic contradicere uidentur, nam uenę attrahent à loco affecto, inflammatoque, ex qua quidem tractione diuersio fiet, atque euacuatio ex parte humoris peccantis, non quidem illius, qui per secessum euacuatur, sed eius qui phlegmonem, & hepar, & cor occupat, occupareuè possit: neque minus facit ratio ex uiribus imbecillis desumpta, principio namque licet uires sint obscuratæ, oppressęque ob pestiferos humores, nondũ tñ adhuc imbecillę, quorũ quidẽ prauitatis nullum aliud præstantius auxilium, quam si ipsorum humorum euentatio efficeretur, ac calor præter naturam remitteretur: Galenũ uerò huic nostræ sententię minime refragari quisq; apertæ intelliget, si rectè ipsius mentẽ recipiet, ibidẽ nanq; non de quocunque loquitur fluxu, sed de eo, qui διάῤῥοια græcis uocatur, hunc in modum scribens: ἀλλ' οὐδ' εἰ μετὰ διαῤῥοίας ὁ πυρετὸς εἴη, χρήζει τινὸς ἄλλης κενώσεως, hoc est, neque si cum diarrhæa febris adsit, aliqua alia euacuatione opus est, diarrhæa autem est alui diuturna quędam fluxio absque phlegmone, & ulceratione orta, quando uentriculus, membra naturalia imbecilla succos haudquam retinent: quo fit, vt si quis medicamentum offerat ęgro, maior fluxus consequatur, cum uerò phlobotomamus, retinetur, & corpori non modicum damnum infert, quodcunque euacuari promerebatur, quod quidem nõ accidit incommodum, si in eo adsit inflammatio, sed ob ipsam maximum adiumentũ: atque ob id Gal. in casu Critonis noni ęgrotãtis Hippocratis partes suscipit cur in eo biliosis, pluribus, ac meris deiectionibus confluentibus uenam non secuit, si quidem is morbo iã progresso plerumque accersebatur. secanda igitur erat uena, at-

que potisſimum iecoraria, quæ thoracis, diaphragmatis, & iecoris directionem obſeruat, ut optima diuerſio efficiatur, atque ab ea tantum, quod ſatis ſit, ſanguinis detrahendum, in exigua ſanè quantitate, ne humoris prauitate cadat uirtus, ita ut euentatiua, potius, quàm euacuatiua phlob. dici promereatur.

De uictus regimine ægrotanti exhibendo, nec non de alterantibus medicamentis: Cap.13

PEracta phlobotomia per horam cum dimidia, quies iniungenda erat, ac mox uictus ratio, quæ humoribus, obſtructioni, & morbo (ſi fieri posſit) æqua lance opem feret: is autem ſit primum cibus medicamentoſus, ptiſſana ſcilicet hordeaca, accepto hordeo ex arte excorticato, deinceps ſuper patellam terream in furno aſſato, mox in aqua primum cocto, ac diſſoluto, & expreſſo, demum in brodio iterum ſecundum artem ebullito, ac optime decocto: ſit autem brodium pullorum gallinaceorum, nam cum ex Gal. ſententia gallinarum ius ſimplex retinendi uim posſideat, uti gallorum ſubducendi, pullus quidem gallinaceus, qui inter horum medius eſt, æquandi uim obtinebit, atque ſi fœmina ſit, læuem quandam moderatamque membrorum corroborationem, minus tamen præſtat ius illud, quod ex perdice, capone, turture, & ſimilibus iuuenibus conficitur, uerumtamen prꝯſtantius nutrit: in quo quidem endiuiam, ac acetoſam, & citri fruſtum decoquerem, ut ex hoc cibario ob aduſtionem hordei ptiſſana lubrica non ſit, ſed magis exiccet. proſit autem morbo ſolidas etiam corporis, cordiſque ſubſtantias occupanti moderata ſui frigiditate, humiditateque, ſiccitate uerò putredini, & fluxui humorum: quibus etiam ſimplicia, duo frigida & ſicca endiuia & acetoſa in iure ebullita non medioriter auxiliantur, necnon obſtructioni tenuium partium ratione: poſſemus quinetiã hepaticam, cichoreum, eupatorium, & ſcolopendriam, aut ex his alterum (prout opus ſit) in brodium adijcere, ut maior humorum craſſorum attenuatio efficiatur: quòd ſi ptiſſanam nauſeet, panis in aqua dilutus aut in iure, ut ſupra, paratus poterit adminiſtrari, in aqua tamen, ſeu iure acetoſam, & endiuiam prius decoquendo, aut in prædicto ferculo non nihil lactis ex mellonum, aut cucurbitæ ſeminibus expresſi, humores nanque, qui ad putredinem parati ſunt, ſui temperie æquat, ac ad benignum deducit: oua autem in

10. de ſim pl. med. facul. cap. de gallinis.

brodio cum modico omphacij, aut succi acetosæ pararem, nam sorbilia sui subricitate facillime descendent: quòd si de uiribus ualde uereremur, post secundum, & tertium diem, in cibo contusi quid optime per setaceũ expressi parabitur, ac denique stillicidiũ (si opus sit) concinne tamẽ, optimeque paratum. Secundo autem die, si pro siti quidpiam exhibitum non sit, mane aut decoctum ex oxalide, endiuia, hepatica, agrimonia, seminibus citri, & huiusmodi traderem, aut syrupum rosaceum, aut de rosis siccis, de succo acetosæ, aut de acetositate citri, & cichoraceum & ex huiusmodi cum appropriato decocto, ex hoc etenim frigido sitis quodamodo leuabitur, & humores æquabũtur, ut non adeo uirtutem prorritẽt expulsiuam, ac denique solida corporis substantia non adeo colliquabitur: quòd si æger siti ualde affligatur, aliquid ex prædictis, ut & in altero ægrotante, propinari poterit: cuperem autem, ut æger ante cibi exhibitionem bolum desumat ex acetosa, bolo armeno, corallis, & istiusmodi quæ exiccant, ac moderata adstrictione membra corroborant, epithemataque cordi imponerem, necnon uentriculo unctiones non quidem ex adstringentibus, sed moderate roborantibus, ac tenuantibus, quales sunt ex oleo rosaceo, ac camomellino, præcordiorum siquidem palpitationi opitulabuntur, sui tenuitate cutis meatus aperientes, uaporesque & crassos humores attenuantes, citra tamen præpotentem caliditatem. Cum uerò tertio die cuncta ingrauescerent, Diaphragmatis inflammatio conspicua apparuit, pessimum ædepol, perniciosumque malum, nam ueteres tantam diaphragmati excellentiam contribuunt, ut animę domicilium putent, non aliam sanè ob causam, nisi quoniam eo ualde læso tunc symptomata sæuissima, animam perturbant, ac mortem ipsam tandem ineuitabilem intuemur: Etenim primum erat indicium huiusce pessimi symptomatis, præcordiorum nempè palpitatio, sed adhuc certius, contentio utrinque ad umbilicum usque citra tumorem (ut recte Gal. in parua illa expositione testatur) nam cum adest in hyppocondriis inflammatio, tumor ad tactum sentitur, ac tensio, at diaphragmate inflammato sola contentio absque tumore, uel, ut inquit Hippo. subuacua ad umbilicum protensa, sic enim Hippocratis litera ad græcum contextum adaptari debet, non autem ut alii interpretantur, hyppocondriorum contentio sub mollis utrinque promissa ad umbilicum, longe namque differunt hyppocondria à diaphragmate, & illud submollis à subuacuo, ut dictum est.

Cum

Cum igitur sæua hęc symptomata diapragmate inflammato soleant accidere, utpote neruorum copia in eius medio existente, ita ut cerebrum in consensum trahat, & cor ob eius uicinitatem: Vnde dolores, phrenitides, syncopes uirtutumque omnium prostrationes, ac denique sæuiora quęcumque in pleuresi contingunt, cum spirationis sit instrumentum, huic etiam inflammationi uel maxime succurrendum erat: Et licet phlobotomia præstantissimo auxilio, ut ex Hippo. dictum est, huic etiam indicationi satis fecimus, attamen ob humorum copiam ad diaphragma ruentium nihil profecimus, & ob id ad alteram diuersionem properandum erat, quæ non tantum diuersio, sed & deriuatio foret: tale autem auxilium sit hirundinum ad nares appositus, quibus quatuor ad summum sanguinis uncię extrahantur, adhibitis etiam frigidioribus, tenuioribusque syrupis, atque decoctis, necnon cibis, ac potionibus, quo quidem casu in ptissana, aut pane diluto addi potest expressio seminum mellonũ, citruli, papaueris & huiusmodi: Exterius uerò anodina paranda essent, quę remissam habeant caliditatẽ, primũ quidẽ loco foto, mox oleis anodinis diaphragmatis regione inuncta. Cum uerò die septimo obmutuerit, & extremæ partes non amplius ad calorem redierint, in sexto namque algere cęperat, & lotiũ supprimi, hominem ad uitę extremum esse diiudicandum erat, fuissetque nono mortuus, si uirtus maximum in octauo conatum non fecisset, apparuerunt enim papulę quædam rubentes rotundę uaris similes, quę non retrocedebant cum sudore copioso frigido, signum quidẽ uirtutis imbecillæ intrinsecus inimicum expellere conãtis, quę tamen extimas corporis partes frigidas dereliquit, corpusque fluebat lassatis partibus absque quòd æger pruritum in ano præsentiret, urinam autem reddebat cum dolore meram, ac sopore quodam præter naturam tenebatur, ut tandem omnibus in deterius prolapsis undecimo die expirarit. quo quidem tempore soli uirtuti attendendum erat, ac calidis fomentis, ac pannis lineis calor reuocandus, atque potissimũ ne materiæ illę ad intima recurrerent.

Vtrum papulæ sint pestichiæ apud nos uocatæ. *Cap. 14.*

CAeterum unum hic haudquaquàm pretereundũ cẽseo, quod quidem ad curationem pestis nostris temporibus obortæ uel maxime cõducit, papulas has, quas hoc loco describit Hippo. Sileno in cuti effloruisse, non eas esse, quas nostri sub morbillorum

billorum, seu pestichiarum nomine recensent, Etenim cum papulæ hę, siue exanthemata rubentia, rotunda, parua, & uaris similia forent, ob ruborem quidem, rotunditatem & exiguitatem, non nostris pestichiis consentire uidebãtur, at ob eminentiam, qua propriè ionthis (uulgò cossi) assimilabantur, minime consentiunt, si quidem pestichiæ nostræ planæ sunt, ac colore, exiguitate pulicum morsibus quam similes, insuper hę nunquam exulcerantur, at exanthemata illa, cum ex tenui, crassoque humore gignunt, plerunque erũpunt, item paruæ semper sunt nostrę pestichię, ea uerò ualde magna quandoque conspiciuntur, quemadmodum in pestilentia, quę ab Hippo. describitur, vbi in contex. papulas item magnas uiguisse testatur, & Gal. in eius commentatione dicebat: Apertum est ab, ἐκθύειν, quod est erumpere; deriuatum esse, ἐκθύμαστ, hoc est papulas nomen his, quæ sponte extuberant in cute, hęc constant superfluis, scilicet humoribus, atque qualitatem etiam non iniuria subsequuntur, cum tenues humores exulcerationem potius, quàm tumores creent, at crassi in tumorem pellem attollunt, quales erant prędicta ab Hippo. hoc loco exanthemata ex crassa tenuique substantia constantia, ob quem quidem tumorem ionthis, seu uaris iure quã similia. Verum cum Manardus grauissimus hercle uir hæc ecthymata, seu exanthemata, sub Arabum, Latinorumque nomen clatu ris reducere conetur, dicatque sub uariolis, seu scopulis lingua italica uocatis, ac morbillis reponi, quandoquidem sicut uariolæ & scopuli à materia fiunt crassiori, & morbilli à tenuiori, sic & exanthemata ista ut magna quidẽ scopuli, minora uerò uariolæ, quæ uerò erodunt morbilli iure nominentur, insurgit Montanus aduersus eum hoc quidem minime uerum esse contendens, morbilli enim scopuli, & uariolę ex benigniori materia conficiuntur, exanthemata autem hęc non nisi pessimæ ac pestilentes circa cutim sunt efflorescentiæ. Atqui si Montani ratio ualeret, aduersus etiam Hippocratẽ militaret, q. efflorescẽtias hasce, uaris similes efficiebat, cũ tamen uari, seu ionthi ex crasso, benignoque humore fiant: insuper sub morbillis, uariolisque locantur, non ut eadem pręcise, sed ut species sub genere, uariolarum namque, ac morbillorum natura duplex est, altera quidem mitior altera uerò acrior, atque deterior, quemadmodum & ex pestichiis nostris quę quidem rubidiores sunt, benigniores censentur, quæ uerò aut nigriores, aut liuidę, magis detestandæ. porrò pestichiæ hæ quo nomine apud ueteres nuncupentur, non satis compertũ est, nam licet illi grauissimi

medici

3. Epid. sect. 3. con tex. 51.

Lib. 7. suarũ Episto.

medici anno 1528. cum hę per totā fermè Italiā grassarentur, eas sub impetiginum capite ob quandam cum his similitudinem collocassent, non tamen meo quidem iudicio impetigines proprie dici promerentur, quandoquidem Gal. 5. de compos. med. secundū loca imprimis affectus hos tumores impetiginosos, lichenososq́; nominat, cum tamen pestichię nullum tumorem ostentent, insuper de eis uerba faciens ait, quòd hęc affectio ex mixto quopiam generatur humore, serosis nimirum, ac tenuibus, & acribus succis cum crassis permistis, ut facile in psoram, idest scabiem & lepram trāseat: quod quidem pestichiis nostris haudquaquam euenit. Quocirca rectius meo quidem iudicio dixerim huiusce speciei symptomata nostris tantum euenisse temporibus, tametsi genere similia quędam apud ueteres extiterint qualia sunt, quę ab Aetio commemorantur, non alia sanè de causa, quàm ex aeris, cęlorumq́ue constitutionibus, quemadmodum & luem illam Gallicam primis quidem temporibus ualde immanem, nostris uerò placidiorem, de cuius natura aliàs uberius fortè differemus.

Lib. 5. cap. 130.

De remedijs pestichijs dictis à medico parandis: Cap. 15.

CVm igitur pestichię nouū sint symptoma, quę ex temporum mutationibus (ut testatur Hipp.) anno illo 1528. euenere, nam præter malos cœlestium influxus hiems calida fuit, ac humida, uer autem frigidum & humidum, cum totum oppositum, si hiems ac uer propriam seruassent constitutionem, esse debuisset, non grauabimur remedia apponere, quibus probati medici tunc temporis ad eas affectiones uti consueuerant, ut si quando in hæc pestifera mala incurrimus, auxilia nobis præstò sint, multotiens nanque curationē ad sese contrahunt, cum urgentis uim obtinent: Missa autem febris curatione, qua homines illi affligebantur, siquidem ut & nos, ei medebantur, primum quidem lenientibus tantum pharmacis à principio, nisi aluus fluat, rationales medici utebantur, missis solutiuis, ac electiue deducentibus, quę apud quosdam uulgares administrabantur, uana quadam decepti ratione, quòd materia extremè uenenosa quamprimum ducenda est, ne uirtus ab ea uicta in statu succumbat, nam tunc tpis materia illa seu uenenosa (ut recentiores uocant) seu ut nos, ualde putrida, ante morbi statum unà cum benigna commixta secum benignam quoque conducet, maiusq́ue, exinde nocumentum iuuamento

Tertia aphor. par.

uamento consequetur, quòd si materia turgens sit, vt præcipit Hippo. quã primum educenda est, pariter sit ualde acuta sit, tenuis atque serosa, ut facile educi possit, tunc temporis ut eo loco Pater meus excellens interpretabatur, nonnunquã euacuatur, non sine tamen magno timore: Atqui ualidius fortè quis insurget rationibus ex Galeni, Pauli, aliorumque probatorum medicorum authoritatibus desumptis princ. morbi in febribus hisce pestiferis purgatorium pharmacũ conuenire demonstrans, nam si (ut suppositum est) in materia turgente licet euacuare nõ expectata coctione ob incommoda, quæ à Galeno describũtur, multò sanè magis licebit in pestilenti materia, quæ sui qualitate pernitiosa, ac ualde putrida cor petit, & principalia membra: in super si ex Galeni sententia crises magna ex parte ad bonum terminãt, nisi pestilens sit cõstitutio, qñquidẽ in pestilentibus febribus crisis maiori ex parte tendit ad malũ, eam utique medicus crisim expectare non debet, sed ante crisim euacuare, neque enim tunc uana est euacuatio, aut periculosa, ut ea, cum crisim expectamus: præterea si ex Galeno in pestilentia suis temporibus oborta nulli euaserunt, nisi hi, in quibus uenter profluxit, aut irritatus uomitus fuit, dubioprocul naturam imitari debet medicus, ut & ipse in talibus febribus, ante coctionem pestiferos humores è uentre deiiciat: quibus quidem rationibus Et Aui. Et Paulus fauere uidẽtur, cum pharmaca a princ. uomitoria administrant, quibus quidem admissis necessariò & per secessum euacuatio est admittenda. Verumtamen his non obstantibus sententiam nostram firmioribus rationibus munitam esse censeo, Et enim si febres eodem modo pestilentes, ut putridæ curantur, quẹmadmodum ex Gal. initio huius quarti libri definitum est, in putridis uerò natura humores præparat ad euacuationem, ergo & in pestilentibus, quod quidem innuebat alibi Gal. secundo idem in hẹc uerba prorumpit, quòd quando quis incipit morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturẹ ratione, sed sunt omnia hæc casus præter naturam earum, quẹ sunt in corpore dispositionum, quo enim in tp̃e à causis quidem morbum facientibus natura grauatur, adest aũt cruditas humorum, tunc aliquid bene euacuari est impossibile, ergò multo minus si eo tempore à medico molietur euacuatio, nam sit pestifera qualitas aut in crasso, aut tenui humore impressa, si in crasso pituitoso, seu melancholico succo, nunquam ante coctionem educi poterit, nisi prius ipsum attenues, si uerò in bile, quod partiale est, uniuersale adstruere non potest ad-

1. aphor. par. 22.
2. aphor. pat. cõ. 10.
2. aphor. par. cõ. 13.
5. meth. ne cap. 12.
4. aphor. par. com 21. & 22

uersarius, neque enim ualet, tenuis, serosaque materia à princ. est educenda, ergò & queque alia, periculum namque est, ut & superius diximus, ne agitata materia bonam secum commixtam rapiat, quinimmo hoc unũ dicere ausus sim, quòd & si materia tenuis, serosaque ab alia seiuncta sit, in febribus tamen pestiferis talis euacuatio ab initio non sine periculo uacat, non alia sane ex causa quam ob eius exagitationem, ut dum pharmaco trahitur, alteri bonæ commisceatur, & postmodum utraque implacide educatur: huic etiam nostro decreto suffragatur Aui. nam cum ait, quòd medicina solutiua, quando non soluit humorem, quia non est maturus, mouet humorem, quem soluere debet, ipsumque in corpore dilatat, ergò corpus superat, & conuertuntur ad ipsum alii humores, quanto magis hoc periculosum erit in materia pestifera nulla preexistente coctione? Hippo. quinetiam in lib. Epid. ubi de pestilentium morborum cura loquitur, digestionem, & crisim, sicut & in aliis ægritudinibus semper expectat: Non erit autem difficile his iactis fundamentis in contrarium rationibus respondere, prime quidem, quoniam materia pestilens plerunque cor non petit, sed in ipso corde collocatur, ut iam à nobis superius declaratum est, & Gal. pluries corroborat, hoc enim uenenum, seu ualida putredo quandoque in cordis substantia, quandoque in ipsius humoribus, aut spiritibus impressa est, ut non facile dimoueri possit: quòd si ex Galeni placitis humores parte aliqua firmari ante coctionem mouendi non sunt, multo etiam minus prædicti cor occupantes: secunde autem dicerem rationi, quòd licet plerunque ob humorũ malitiã in his neq; crisis, neq; coctio uisatur, attamẽ morbi hi nonnunquam ad salutem terminantur, ut eo tempore euacuatio conueniens sit, atque proficua, quòd si in his morbis pestiferis qui ad pernitiem tendunt, pharmaca exhibeantur, tantum abest, ut proficiant, ut ob assignatas causas uel maxime obsint, ac celerius fortè ad mortem perducant: tertiæ verò satisfaciemus, si aduersarium admoneamus, eos in pestilentia Hippo. atque Galeni non esse seruatos, quibus principio morbi, ac symptomatice alui fluor aderat, sed illos, quibus post coctionem aluus flueret, ut non solũ in hoc secundo egrotante, sed & aliis ab Hippo. descriptis uideri licet: Neque ualet argumentum à simili desumptum, nam, & si Aui. & Paulus uomitum morbi initio prouocent, non quidem in omnibus, sed in his, qui ad ipsum proni sunt, difficilis & enim, ut supra dictum est talis euacuatio existit, tuta tamen, quando sunt assueti,

4. primi. cap. 4.

3. de præsag. ex puls.

1. Et 4. apho. parr.

assueti, non ob id tamen exoluentibus pharmacis euacuationem concedent, sed aut sanguinis missione, si tria prędicta consentiant, aut urinã, sudoremque prouocantibus, aut lenientibus pharmacis, quæ materias dũtaxat ĩ intestinis, ac uiis ductuũ reptas euacuẽt. Lenita itaque aluo aut prædictis lenibus pharmacis, aut clysteribus, si prædicti scopi adsint, aut eorum maior pars, medici illi in brachio, ex uena media aut iecoraria ante quartum diem sanguinem detrahebant, quoad satis sibi uidebantur, tum ad humoris peccantis eductionem, tum ad humorum ebullientium euentationem, tum etiam ad corporis exiccationem: si verò pestichiæ apparebant, missa sanguinis extractione hirudines uenis hæmorroidum apponebant, ac iuxta uirtutis robur sanguinem educebant. postquam uerò pestichiæ exire ceperant, animaduertebant, num ex crisi potius, an symptomatice natura humores illos ad cutim propelleret, quod quidẽ ex uirtutis alleuiatione, ac diebus criticis, perfectæque crisis signis dignoscebant, si enim ex mala crisi id eueniret, talem utique exitum infrigidantibus cohibebant, si uerò per bonam crisim, naturę opitulandum esse censebant: Qui quidem medendi modus, licet grauissimorum hercle sit medicorum, nonnihil tamen difficultatis, ac scropi mihi parere uidetur, nam & si natura symptomatice humores ad cutim protrudat, ut exinde de eius imbecillitate ualde pertimescendũ sit, attñ si pestiferas materias ita raptim infrigidantibus retrocedere faciemus, in maximum incurrimus discrimen, ne cũ bonis commixtæ eos corrumpant, ac quod peius est, cor petant, & hominem confestim interficiant: obid meo quidem iudicio consulerem, ut medio quodam procedamus modo, ita ut neque retrocedant, neque amplius ad cutim deueniant, moderate nimirum infrigidantibus: Vt autem diebus criticis materiæ hę facilius ad cutim protrudantur, primum quidem in usu erant syrupi, utpote acetosus simplex, de Endiuia, & de bisantiis cum aceto, & huiusmodi, cum decoctionibus acetosæ, boraginis, lupulorum, & similium, postmodum potus ex lentibus, & ficubus hunc in modum paratis: Accipe lentium excorticatarum ℥ ij. ficuum siccorum incisorum numero duos, imponantur in uasẽ fictili, seu uitreo cum aqua fontanæ, & bulliant usque ad quartæ partis consumptionem, & ex ea aqua bibat æger, quod satis sit. adhæc utebantur frictionibus, cucurbitis tum scarificatis, tum etiam absque scarificatione, studebantque quòd ęger frigus nõ persentiret, quinnimo iubebant ut panno purpureo pro faciliori materierum

exitu indueretur, utentes quinetiã ſingulo die clyſteribus communibus, ſi ſponte aluus non flueret, necnon cordialibus epithematibus & unctionibus ſuperius à nobis recitatis; concoctis uerò humoribus, ac morbo declinante iuxta cuiuſque exigentiam atque temperiem, ſimilibus pharmaciis à nobis priori libro deſcriptis euacuabant.

Diſcurſus ex tertio ægrotante ab Hippo. deſcripto circa tumores, qui peſtiferis morbis ſolent accidere, eorumque differentias: Cap. 16.

ATque hæc de peſtichiis ſat dicta ſint, ſed ad tertiũ ægrotantẽ accedamus, qui Herohpon nomine & ipſe peſtifero morbo decubuit, ut ex caſus hiſtoria palàm uideri licet, hunc etenim primis diebus (ut rectè Gal. in breui ſua interpretatione teſtatur) ob morbi magnitudinem, ac prauitatem meritò moriturum ſuſpicatus eſſes, cum nigra urina, bilioſa alui excrementa repreſſa, ſurditas, deſipientia, extremorumque frigiditas non niſi humorum prauorum, ac uirtutis uitiatæ, & oppreſſæ indicia extiterint, uerumtamen præter omnium expectationem ſuperſtes euaſit, tum quidem humoribus à nobilioribus ad ignobiliora membra protruſis, tum etiam uirtute refocillata per ſudorem euacuatis cepit etenim quinto die lien intumeſcere, ad quod quidem membrum craſſæ feces demandari ſolent, noxiorumque humorum portio abſorberi, octauo autem æger dolorem percepit imprimis in inguine, quòd ſecundum rectitudinem ſplenis eſt, ſic enim contextus græcus habet, ἤλγησε κατὰ βουβῶνα τὸ πρῶτον σπληνὸς κατ' ἴξιν id aũt κατ' ἴξιν Gal. ex Hippocratis mẽte ſecundũ rectitudinem interpretabatur, mox ad utranque tibiam dolores demigrarunt, quoniam humores, ex quibus dolores fiunt, ibidem defluxerunt. proinde ſuperuacaneum eſſe cenſeo, ut huius morbi naturam, indicationes, curationemque aggrediamur, cum ex duobus prioribus cõcinna ſatis methodus appareat, qua & omnium ſubſequentium ægritudinum naturas, indicationes, & auxilia comprehendantur: uerum ne quod circa peſtis tractationem deſideretur, occaſione ab hoc ægrotante deſumpta, de tumoribus, qui peſtiferis conſtitutionibus contingere ſolent, curationemque expoſcunt, cum urgentis uim habeant, nonnihil breuibus enucleabo: cum uero nominum uarietas plerumq; homines aberarre faciat, ut quibuſdã ex noſtris

1. aphor. par. 20.

modernis,

modernis cõtigit, qui ex uocabulorum uarietate decepti triplicem eorum tumorum naturam, utpote antracis, carbunculi, & althoin, curationemq; constituerunt, (cum tamẽ quem nostri carbũculum Græci antracen appellent,) nomina prius hæc, prout à Grecis, Arabibusque usurpantur, tumorumque naturas aperiemus. Tumorum itaque pestiferorum hæc nomina pręcipuè reperiuntur Bubo, antrax, carbunculus, pruna, seu ignis persicus, & Althoin, Bubones quidem propriè non sunt tumores, sed partes propè pudenda, ut clarè ex Hippo. uerbis paulò supra recitatis uideri licet, quas ,, nostri inguina nuncupant: uerum quoniam in his partibus multo ,, plures, quàm in nonnullis aliis glandulę reperiuntur, quarum na- ,, tura (ut ait Hippo. libello quodam de glandulis) spongiosa est, ,, sunt enim rarę, & pingues, neque carnes reliquo corpori similes, neque aliud quid simile corpori, sed friabiles, & uenas multas habent, si uerò disseces, sanguis largus erumpit, specie albus, & ueluti pituita, tangenti autem ueluti lanæ apparent, & si multa ui ipsas digitis comprimas, oleosum humorem remittunt, & ob id frequentius his locis utpote imbecillis, excrementaque facilius recipientibus tumores exoriuntur, hinc factum est, ut ueteres græci primum quidem nomen etiam ad tumores transtulerint, & quosque præter naturam in quacumque corporis parte productos bubones nominarint, paulatim autem ad eos contraxerint, qui in fęmoribus, alis, & collo glandulosis partibus adnascuntur, cum tamen hi, qui inguina duntaxat affligunt, bubonis nomen maxime propriè promereantur: Cum autem bubones in duplici sint differentia, alii quidem mites, & sine periculo ingruentes, quandocumque pars aliqua offensa est, aut ulcus aliquod adest, aut dolor, ob quem aut à partibus, aut à toto ibidem confluunt humores, alii autem maligni, atque maximo cum discrimine, quandocumque pestilens materia à principibus potissimum partibus ad adenas demandatur, & partes illas non solum accendit, uerum & putrefacit, (lib. 13. math. c. 5.) corrumpitque, ac sui malignitate corpus denique totum dissipat, Gal. nulla harum duarum specierum facta distinctione, in uniuersum sub eodem capite utramque speciẽ comprehendit his uerbis: ,, Nam tibi (arbitror) non excidit, utpote sæpe à nobis monstratum, ,, superuacanea, quæ à ualentioribus partibus ob redundantiam, uel ,, qualitatem expelluntur, ea in imbecilliores procumbere, atque ,, tunc accidere, ut glandulę, quas adenas uocant, facile fluxiones ,, recipiant, & maxime, quæ rariores natura sunt: quippe ualentius ,,

est

" est arteriarum, & uenarum, & neruorum, & musculorum robur:
" imbecillius autem, ac fortè prorsus nullum corporum, quæ glan-
" dularum sunt naturæ. sic igitur fit, ut & propter ulcus, quod in ma-
" nus, aut pedis digito sit, eiusmodi glandulę in inguinibus, & alis
" tunc intumescant, tum phlegmone occupentur, cum defluentem
" ad ultimos artus sanguinem priores exceperint: quinetiam in collo, & secus aures sæpenumero glandulę iis, quibus in collo, capite, uel aliqua uicina parte ulcus est natum, intumescunt: nominant autem ipsos adenas, cum sic intumuerunt bubones: cur autem distinctionem harum specierum non constituat Galenus, causa esse potest, quoniam sicut febris pestilens à putrida ob maiorem putredinem distinguitur, ita & bubones hi ex febribus inter sese differunt, quemadmodum innuebat Hippo. cum ait, Ex inguinum tumoribus febres omnes malę præter diarias: materiis namque concoctis, ac benignis ibidem confluentibus, nonnisi febres diarię enascuntur, incoctis uerò, ac detestandis iuxta earum prauitatem morbi principio, & reliquis temporibus non nisi continuæ, conclusæ, ac uirtutem prosternentes. Rasis autem primam bubonis speciem sub calidis apostematibus redigens, sub antracis nomine alteram recenset, ac curat, quanuis antrax proprie non adeo pessimus sit, ut bubo hic pestilens, ut infra dicetur: Auicenna uerò sub capite Althoin, quem nostri proprie glandusam corrupto uocabulo à glandulis inflammatis appellant: Verum cum alius sit tumor qui in pestilenti quoque constitutione alias corporis partes occupare solet, licet cum priori de malitia certet, Auicenna ignem persicum, seu prunam, Gal. uerò antracem, seu ut nostri carbunculum nominant, & licet tumor hic aliis etiam temporibus generetur, ut corpora non inficiat, attamen ob sui feruorem, exustionemque parum admodum ab altero, pestis tempore oborto, quoad figuram, atque feruorem euariat, ut in hanc deueniam sententiam, tumorem hunc rarò oriri absque quòd causæ adsint populatim grassantes: Oritur namq; teste Galeno ex influẽti humore, nigro, crasso, fæculenro, ualdeque feruenti, cui si humiditates quædam associentur, tunc pustulę quędam exiguę cum carbunculo apparent: Est aut crustosum semper ulcus, cum incipit, cineritii modo coloris, modo nigri, circum iacentem habens carnem, principio quidem ualde inflammatam, mox nigrescentem, bituminisque, ac picis similitudinem præseferentem, ueluti si plusculo rubro minus misceas nigri, in quo quidem si pestis tempore

[Margin notes: 4. aphor. par. 55. — 5. li. diuis. — lib. 14. metho. med. & lib. de tũ. prçter naturam.]

tempore uigeat, non solum dolor ualde intensus adest, sed & uirtutis prostratio, cordis tremor, palpitatio, & animi deliquium: Cæterum num tumor althoin, siue bubo, an uerò carbunculus, siue antrax deterior sit, atque pernitiosior, Hippo. aperte quæsitum dissoluit inquiens; Abscessus, ueluti bubones significant membra unde pullulant, mali uerò cum sint, & aliorum membrorum, maxime tamen maligni, qui circa uiscera: per uiscera autem græce σπλάγχνα membra intelligit Hippo. quæ principatum aliquem in corpore gerunt, ut cerebrum, iecur, & cor, cum etenim bubones ex humoribus prauis, quæ principalia membra affligunt, gignantur, eo modo, quo præcitato loco declarat Galenus, carbunculi uerò ex partibus aliis dependeant, bubones ipsi, seu althoin carbunculis tanto erunt deteriores, quanto membra ipsa præcipua aliis sunt pręstãtiora: quo fit, ut & deteriora in his quàm in carbunculis symptomata necessario consequantur: propterea cum ambo tumores ualde pernitiosi sint, & urgentis rationem subeant, maxime ipsis inuigilandum est, ne sui prauitate homines confestim ad mortem perducant.

6. Epide. sect.2. con tex.4.

De auxilijs, quæ tumoribus pestilentibus adhibentur: *Cap.* 17.

INchoantes igitur ab ipso carbunculo uti minus pernitioso, si is à principio morbi appareat, febrisque acuta sit, ex Galeni placitis, necnon Aui. cap. de pruna, & igne persico statim uenam secare, & ad animi usque deliquium sanguinem mittere debemus, nisi quid tamen aliud obstet ex his, quæ uenam incidi uetent: uetat autem humor præcipuè pestilens uires dissoluens, nam etsi à principio uires ualidæ uideantur, attamen ob humorum prauitatem confestim succumbunt: ob id in peste non proinde ac alijs temporibus eandem detrahimus quantitatem, nisi ęger ualde plectoricus sit, maiorem tamen Gal. ibidẽ cum de carbunculo non pestilenti loquitur, & ad animi usque deliquium audacter detrahendam esse iubet: Ex hac autem sanguinis missione duabus potissimum indicationibus satisfaciemus, sanguis etenim, humoresque euentabuntur, qui cum ualde feruidi sint, & tumorem pessimum producant, ualida indigent euentatione, & quid etiam praui humoris apti ad carbunculum adaugendum euacuabitur, intentio namque nostra esse debet, ut uirtutem manuteneamus, quodque ipsi obest, quoad fieri potest absque agitatione remoueamus, ut post-

14. meth. med. 3.4.

poſtmodum reſiduo humoris incumbat, ipſumque præparet ad expulſionem: circa uerò locum abſceſſus quidnam apponendum ſit, non parua difficultas uidetur, nam ſi reliquos tumores non peſtilentes reſpiciamus, dubiò procul cum calidi ſint, doloremque & inflammationem loco inferant, inſurgit indicatio, ut a principio frigidis, repercutientibusque utamur, uerũ cum maligni ſint, ac craſſiuſculi, in retroceſſu maiorem tum putredinem, tum exuſtionem & ſibi, & nobilioribus partibus impartient: ob id Gal. nos admonet, ut membra quodamodo roboremus, ne tantos aceruatim humores ſuſcipiant, ac unà quod influxum eſt, diſſoluamus, hæc autem localia ſint moderate frigida unà cum calidis, exiccantibus, atque tenuium partium, quale eſt cataplaſma, quod ex plantagine, lentibus coctis, ac mica panis tenera cõficitur, in hoc etenim ob plantaginis frigiditatem, & tenuitatem partium, repercutimus moderate, ob panis puri, ac recentis micam digerimus, & ob lentes & digerimus, & exiccamus, aut quod ex uitis capreolis, foliis rubi, & arnogloſſi ſeu plantaginis ab eodem parabatur, additis quandoq; lentibus, & quãdoque melle, & farina hordeacea, prout opus eſt, aut quæ leucum & Dialotation nominantur, à Paulo deſcripta, & ualde probata, aut quæ à noſtris deſcribuntur, quæ breuitatis gratia ſunt omittenda. Quòd ſi tumores excreſcunt, ad loci ſcarificationem confeſtim deueniendum eſt, utpote hirundinibus, aut cucurbitis ſcarificatis, aut cauſtico medicamento, aut ferro, tunc enim materia peſſima ex parte euacuabitur, & leuiabitur malum: ſuper ipſum uerò ulcus ex Galeni ſententia ualens aliquod imponendum eſt medicamentum, quod & ualde exiccet, & ſordium craſſitiem detergat, cuiuſmodi ſunt Andronis, Paſionis, uel Polyidę, & quæcumque his ſimilia à modernis etiam noſtris excogitata, quę inopia ſapæ uino dulci colliquentur, miſſis his quæ concoquant, ac pus moueant, cum putredinẽ particulæ adaugeãt. In abſceſſibus uerò peſtiferis, qui bubones dicuntur, cum maior etiam malignitas uigeat, & quanto ulterius progrediuntur, tanto etiam pernicioſiores euadant, Raſis, & Aui. conſilium inſequemur, ut niſi ualde robuſti ſint homines, phlebotomiam derelinquamus, atque potiſſimum dum ſæua prædicta ſymptomata à nobis enarrata, quæ & nonnumquã carbunculis accidunt, conſequuntur: quam etiam ſententiam libello de Euchi. Et Cacho. Gal. eſt inſequutus, narrans in peſte illa medicos uenæ ſectionem aggredi auſos non fuiſſe, propterea quòd primo inſultu uires exoluebantur; ſed initio morbi

lib. 2. ad Glau. c. 2.

7. lib. 1. cap. de paſtillis

morbi roborato corde (ut præcipit Auic.) locum roborarem, lenirem, & scarificarem, ut in prędictis tumoribus dictum est. Num uerò materia extra trahenda sit, Aui.placita insequentes dicimus, morbi initio neque repercutiendam, neque medicamentis ad locum trahendam esse, ne ibidem maior putredo exoriatur: Et ob id Aui. & moderate refrigerat membrum corroborans, quòd si materia ibidem adsit, locum etiam scalpit, ut quod uirulentum est, confestim exeat; at si tumor ex mala crisi appareat, naturam adiuuat, & cucurbitulis, & aliis medicamentis materiam ad locum trahens, ipsumque scarificans, ut euacuata nocua materia putredo non amplius progrediatur, qua quidem extracta super ulcus postmodum pastilli, & omnia prædicta imponantur, qui & ualde exiccent, & putredinem cohibeant. Sunt autem nonnulli, qui alia medendi ratione utebantur, cum ægros tumore in quapiam ex glandulosis partibus affectos intuebantur, hi namque ex eadem parte statim uenam seccabant, utpote tumore existente sub faucibus eam frontis, si sub ascellis, ex cubito, si in inguinibus eam, quę iuxta pedis clauiculam interius est, conuenientemque sanguinis quantitatem extrahebant, atque dum sanguis exiret, patienti potum infrascriptum propinabāt, qui aquarum rosarum, endiuię, ne nupharis, & acetosę, seu earum uices decoctionis earundem herbarum cuiusque ℥ .ij. recipit, aceti rosacei, necnon theriacę optimę modicum, ægrumque à somno uetabant quoad fieri possit usque ad expletam medicamenti actionem, quod quidem & altero mane subsequenti exhibebant: post uerò phlobotomiam, & medicamentum epotum, si tumor foret sub ascella, uesicatorium super brachium, ubi uulgò pulsus contangitur, imponebant: & si sub faucibus, post aures, etsi in inguinibus, super clauiculam pedis eiusdem partis: tale autem erat ex cantharidibus contusis cum ipso fermēto, aut ut & nos quandoque parauimus ex flammula iouis contusa, & loco appositum, donec in circuitu, qui cerea candella designetur, uesicę paruulę appareant, ex quibus postmodum perforatis materia pessima egreditur: quòd si non multum exeat, eam attrahebant spongia super imposita in decoctione camomillę, betonicæ, ac mellilotti calida madefacta, atque expressa: qui qdē curandi modus, licet optimus uideatur, cum quadam tamen prę cautione administrandus est, etenim si sæua prædicta adueniant symptomata, Galenus, Aui. & Rasis (ut dictum est) uenę sectionem interdicunt, insuper propinquus locus perpendendus est, si

enim in affectu consentiat, & doleat, periculum est, ne inflammetur, ac peius exinde malum ex attractione consequatur: Quòd si pars sana est, deriuatio illa, & euacuatio maxime cócinna uidetur, quandoquidem naturam æmulatur, quæ à loco ad locum nonnunquam aptè satis humores traducit, atq; euacuat, ut in hoc præcipue ægrotante tertio ab Hipp. descripto, cui si humores in inguinibus permansissent, dubiò procul (ut dictum est) & febris, & symptomata grauiora affuissent, hominemque tãdem ad mortem traxissent: uerum inquit Hippo. in casus enarratione ad utramque tibiam demigrauerunt, protrusa ab inguine ad utrumque nocua materia. Hæc sunt, quę circa pestis, pestiferęque febris, nec non sęuorum symptomatum curationem mihi erant scribenda, in qua quidem Hippo. tres casus pro exemplo desumpsimus, ita tamen, ut & ad omnes alios methodo, qua usi sumus, tota curatio, præseruatioque transferri posit: quòd si quandoque dabitur occasio, in reliquis etiam hoc optimo scribendi genere utemur non tantum eorum curam tradentes, uerum & causas & morbos enucleantes, sin minus assequi poterimus, id saltim, ut ab aliquo peritiori medico perficiatur, uel maxime deprecamur. Laus Deo

Libri Quarti, & Vltimi finis.

ODDI DE ODDIS PATAVINI PHYSICI AC MEDICI

Apologiæ pro Galeno liber primus.



VM per ſæpe tum publicis, tum priuatis diſceptationibus aduerſus eos, qui de nonnullis Galeni placitis, tum ad Logicam, tum ad Philoſophiam pertinentibus obloquebantur, ipſius Galeni, qui nunc mortuus ſe tutari non poteſt, patrocinium ſuſcepiſſem, multaque, dum eum defenderem, in medium attuliſſem, ea profectò à pleriſque, & ijs præſertim, qui publicis lectionibus me utebantur præceptore, non parum probata fuerunt: quare illi quidem me exorare cęperunt, ut quæ pluribus tum locis, tum temporibus pro Galeni defenſione dixeram, colligerem, eaque adderem, quæ publicis lectionibus pro Galeno, in quibus Ariſtoteli aduerſatur, expoſueram, quibus cum non poſſim non morem gerere, prius hoc libro ab his exordiar, quæ ad Logicam ſpectant, mox de his ſermonem habebo, quę ad Philoſophiam pertinent, ex quibus Galenomaſtici, nacti occaſionem, Galenum contumelijs inſectari non erubeſcunt.

Oſtenditur quoſdam coniugationes quartæ figuræ eſſe utiles Cap. 2.

QVòd itaque ad primum attinet, polliceor me oſtenſurum, quòd quarta ſyllogiſmorum figura, qua primum quidem medio, medium uerò tertio ſubiicitur, quam ferunt à Galeno fuiſſe excogitatam nō ita rideri, ut nonnulli putant, meretur, ſiquidem qua ratione ſecundę, & tertię figuræ quaſdam coniugationes utiles eſſe monſtrauit Ariſtoteles, ſimiliter huius quartæ quaſdam eſſe utiles non eſt difficile oſtendere, quod in una, & al-

tera declarare sufficiat, si enim a. primum in toto fuerit b. medio b. uero medium in toto b. vltimo, necesse erit a. non quidem omni sed alicui eorum quæ sunt c. inesse, si quidem in terminis notis huiusmodi efficietur syllogismus, omnis homo animal, omne animal substantia, igitur aliqua substantia homo, cum enim transpositis propositionibus in prima figura sequatur omne. a. esse. c. necesse est quoque ut aliquod c. sit a. affirmatiua enim uniuersalis in parte conuertitur: insuper & ad incommodum deductione ostendi potest: si enim ponatur nullum c. esse a. quia in secunda assumebatur propositione omne. b. esse. c. in prima sequetur figura, nullum. b. esse. a. quare. nullum a. esse. b. conuertitur enim in seipsam uniuersaliter priuatiua, assumebatur autem omne. a. esse. b. similiter si. b. nulli. a. inerit, c. uero omni. b. necesse erit. a. alicui. c. non inesse, ut in terminis notis, si nullus lapis est animal, & omne animal est substantia, necesse est, ut aliqua substantia non sit lapis, ambabus enim propositionibus conuersis, uniuersali quidem priuatiua in seipsam, uniuersali uero affirmatiua in parte, eadem in prima figura deducetur conclusio, & ad impossibile deductione sic, si enim ponatur omne c. a. esse, cum de omni b. c. prædicetur, necessarium erit omne. b. esse. a. quare & aliquod. a. esse. b. suppositum uero fuerat nullũ. a. esse b. Ex ijs potest (ut arbitror) facile deduci, huiusmodi coniugationibus quartę figuræ syllogismi definitionem in primo priorum resolutoriorum ab Aristotele traditam competere, quæ est oratio, siue ratio, in qua positis quibusdam alterum quid à positis necesse est contingere: quare non videtur Galenus esse deridendus, quòd quartam statuerit syllogismorum figuram, cui nullam aliam alicuius speciei argumentationis definitionem conuenire is facile intelliget, qui earum singulas diligenter examinauerit, quam tamen sub aliqua argumentationum specie contineri necesse est, cum (ut superius ostensum est) ex illa terminorum habitudine alterum quid necessariò eueniat: neque etiam quispiam terminos poterit inuenire, quibus in prædictis, & id genus huius figuræ coniugationibus ultimo primum inesse, & non inesse contingat, qua ratione Aristoteles coniugationes in omnibus figuris non necessariò concludentes inutiles esse monstrauit.

Caput

Caput tertium, continens quartæ figuræ impugnationem ab Auerroe excogitatam.

SEd aduersus hanc quartam figuram Aueroes in primo priorum resolutoriorum uolumine insurgit scribens, figuram quartam, de quameminit Galenus, non esse syllogismum, super quem cadat naturaliter cogitatio, quod declarans subdit, quando quidem si quæratur an.a.in.c.sit, atque ad id ostendendum fiat syllogismus a.est b.& b.est.c. erimus inter duo, aut ut dimisso eo, quod prius quærebatur, inferamus quod ex illa sequetur compositione, uidelicet a. esse.c. quod nimirum quæsitum non est, sed eius conuersum, aut ut ex illa compositione propositum quæsitum concludamus, quod est c.esse a. opinantes eius subiectum per naturam subiectum esse, atque eius prædicatum per naruram esse prædicatum cuius quæsiti subiecto in syllogismo medius terminus subiicitur, prædicatur autem de quæsiti prædicato, qua ratione fieri syllogismum in quarta figura imaginandum est: secus enim non quarta, sed prima esset figura, aut proprium quæsitum, aut illius conuersum concludens: uerum si imaginabimur eo modo quartam constitui syllogismorum figuram, cum.b.medium.c.subiecto quęsiti subiiciatur, prædicetur antem de.a.eiusdem quęsiti prædicato.b.quidem de seipso quodammodo prædicabitur, quod ait Auerroes absurdissimũ esse, & ob id satius esse asserere eum syllogismum esse primæ, non quartæ figuræ, in quo facta sit præmissarum transpositio, cuius immediata, & naturalis conclusio sit a. est.c.

Caput 4. ostendens quartæ figurę necessitatem, ex eaque minime consequi conclusionem primæ figurę, ut Auerroes commentus est.

LIcet enim is liber, in quo Galenus de quarta meminit figura (opinor enim illum de ea in eis libris tractasse, quos in Logica edidit) nec Græce, nec Latine impressus extet, ex quo non pauca fortasse, quæ pro Galeni defensione in medium afferre potuissemus, colligi ualuissent, non tamen desistam id scribere, quod mea sententia posset Galenus, si uiueret, in sui defensionem adducere Dico itaque quod cum Galenus syllogismi definitionẽ examinasset, ex qua patet, nexu, & terminorum, atque propositionum complexione quid alterum euenire, tot arbitratus est esse syllogismorum figuras, quot modis propositiones, & termini ita necti,

cti, atque adinuicem componi possunt, ut quid alterum ex iis necessariò eueniat, cum autem non tantum ex tribus illis, de quibus Aristoteles meminit, sed etiam ex quarto terminorum nexu inuenisset necessariò sequi conclusionem, opinatus est non esse absurdum quartam concedere syllogismorum figuram, in qua (ut in superioribus diximus) non quidem uniuersalis conclusio, sed particularis, & determinata, atque immediata concluditur. Quod autem Auerroes & eius sectatores aiunt. c. esse a. per quartam figuram non concludi, sed potius. a. esse. c. per primam, cum facta sit præmissarum transpositio, nihil efficit, quemadmodum enim per primam figuram. a. esse. c. immediate uniuersaliter infertur, ita per quartam figuram potest c. esse a. immediate particulariter concludi: neque enim temerè (ut ait Alexander) syllogismus fit, sed eius generatio à quæsito incipit, quippe quo proposito ad id probandum syllogismus efficitur: quare proposito quæsito, aliquod animal risibile, si ad id ostendendum medium hominem assumpsero, atque hunc in modum syllogismum constituero, omne risibile homo, omnis homo animal, non utique in prima sequetur figura omne risibile animal, ut ii uolunt, quando id quæsitum à principio propositum non est, uerum potius in quarta propositum quæsitum, uidelicet aliquod animal risibile consequetur: uerum cum omnes facile intelligant, quantum ualeat consuetudo, ut etiam ipse Auerroes autumat, non mirari oportet, si assueti conclusionem inferre ex prima figura, quam cognoscunt, & amplectuntur. cum hanc quartam ignorent, & renuant, ex prædicta coniugatione potius in primo modo primæ figuræ, quàm in quarta figura conclusionem sequi asseuerare non dubitant: quod his præsertim contingit, qui potius hęretici, & suarū sectarum acerrimi sunt defensores, quàm ueritatis amatores, nempè ut ait Galenus, qui alicui sectæ addicti sunt, ueritatem inspicere aut nequeunt, aut nolunt, quòd utique his non contingit, qui ab hac animi pestilentia penitus seiuncti sunt: præterea hunc syllogismum nullum. a. est. b. omne. b. est. c. minime potest affirmari esse primæ figuræ, ac transpositas habere propositiones: eas enim coniugationes primæ figuræ inutiles esse declarauit Aristoteles, in quibus minor est negatiua, siquidem sumptis terminis notis facile esset declarare, quòd ex ueris potest falsum syllogizari, ut omnis leo animal, nullus ceruus leo, igitur nullus ceruus animal, qui tamen syllogismus per quartam figuram particularem negatiuam necessariò, & immediate concludet, ut nullus

Primo Meth. medē. & primo đ pot. natur. & alibi.

Primo priorum resolutoriorum.

lus ceruus leo, omnis leo animal, igitur aliquod animal ceruus non eſt.

Explicat in quarta figura concluſionem naturaliter, ideſt immediate conſequi, qualisque ſit quartæ figuræ euidentia. Cap. 5.

CVm uero aiunt in quarta figura nullam concluſionem poſſe naturaliter concludi, ab ijs quærendum eſt, quid per naturalem concluſionem intelligant, quippe ſi naturalem concluſionem eſſe dicant, quæ quidem ex terminorum compoſitione immediate conſequitur, & ob id ab artificiali diſtinguitur, quæ tametſi ex eodem terminorum nexu neceſſariò ſequitur, non tñ immediate, qua ratione cũ in prima figura uniuerſalis affirmatiua ac priuatiua uniuerſalis neceſſariò concluduntur, eas quoque non immediate, ſed artificialiter inferri neceſſe eſt, in quas illæ conuertuntur, ſciant in quarta figura concluſionem naturalem, ideſt immediatam, & concluſionem etiam artificialem, ſiue mediatam, perinde ac in alijs neceſſariò concludi, ſiquidem ex hac terminorum complexione, omnis homo animal, omne animal ſenſile, in quarta figura immediate cõſequitur, igitur aliquod ſenſile homo, mediate uero, & artificialiter multæ poſſunt inferri, uidelicet igitur aliquis homo ſenſilis, igitur aliquod animatum, aliquod corpus, & id genus homo eſt. Nec valet (ut aiunt nonnulli) quòd cùm ex his propoſitionibus, omne.a.b.omne.b.c.immediate, & naturaliter ſequatur, omne.a.c.non poſſit immediate, & naturaliter, ſed artificialiter aliquod c.a.conſequi, ſiquidem cum ex his propoſitionibus omne.b.a.nullum.c.a.in ſecunda figura duplex ſequatur concluſio, uidelicet nullum.b.c.quæ eſt primi, & nullum.c.b. quæ eſt ſecundi modi concluſio, itidem & in tertia cum ex his aliquod.b.a.omne.b.c.tertii modi aliquod.c.a. & quarti modi aliquod.a.c.concluſio inferatur, quarum alteram immediate, & naturaliter, alteram uero artificialiter ſequi nec Ariſtoteles, nec Auerroes diceret, quando tametſi eiuſdem figuræ, diuerſorum tamen modorum, concluſiones exiſtunt: eodem pariter modo nec dicendum eſſe arbitror ex prædictis propoſitionibus in prima quidem figura unam concluſionem, in quarta uero figura alteram concluſionem immediate, & naturaliter conſequi non poſſe, cum diuerſarum figurarum, nedum modorum, concluſiones ſint: adde quòd ex antedictis propoſitionibus in ſecunda figura (ut teſtatur Alexander) altera prædictarum concluſionum ea, ſ. quæ paucioribus indi-

indiget, ut ad primam figuram reuocetur, euidentius consequitur, quod similiter in tertia figura ueritatem habet, tamen non ob id dicendum est, alteram quidem naturaliter, alteram uerò artificialiter inferri: quare nec idem in prima, nec in quarta figura dicendum est, quãquã enim ex dictis propositioni bus euidentius primæ figurę sequatur conclusio, non tñ id obstat, quin figuræ quartæ conclusio immediate, & naturaliter consequi ualeat, neque enim quod obscurius aut album est, aut sensile, nec album, nec sensile simpliciter dicendum est: hi igitur audiendi non sunt, qui negant quartæ figuræ conclusionem euidenter consequi posse, quandoquidem ex eisdem propositionibus in prima figura euidentissime infertur conclusio, neque enim reor quemquam tam rudis (ut aiunt) mineruæ esse posse, cui non satis manifestè appareat, si omne, quod est in risibili, in homine est, & oẽ, quod est in homine, est in animali, quòd etiam aliquid, quod est in animali, risibile est, quinimo si baiulus quispiam probare niteretur, aliquam sextertij partem assem esse, non utique sciret aliunde commodius probationem petere, quam dicendo, as in dupondio est, & dupondium in sextertio, aliqua igitur pars sextertij as est, quasi figuram quartam instituens. Constat itaque tantam esse figuræ huius euidentiam, & naturalem nexum, ut uulgares, & ignari inscii in ea sæpius syllogizent, si inscios posse syllogizare dicere licet.

Caput sextum, in quo declaratur non consequi, quòd ex nexu terminorum in quarta figura idem de seipso prædicetur, & ob id conclusionem non esse naturalem.

SI uero dicant in quarta figura naturalem conclusionem non concludi, qñ qđ in præmissis subiicitur, in quæsito prædicatur, quod uero est quæsiti subiectum, est in præmissis prædicatum, ex quo sequitur idem de seipso prædicari ut deducit Auerroes, eis respondebitur, quod facile est declarare, eandem rationem aduersus Arist. militare, cum primo prio. resolutoriorum tertiæ figuræ coniugationes utiles ad primæ figuræ utiles modos per transpositionem, & præmissarum conuersionem reducere tentat, enimuero cum huiusmodi syllogismus, aliquod animal homo, omne animal corpus, igitur aliquod corpus homo, ad tertium primæ figuræ modum hac ratione reuocetur, omne animal corpus, aliquis homo animal, igitur aliquis homo corpus, cum uero in seipsam particu-

ticulariter affirmatiua conuertatur, sequitur aliquod corpus hominem esse, patet inquam maiore ac conclusione prioris syllogismi conuersis id quidem prædicari, quod prius subiiciebatur, id uero subiici, quod prius prædicabatur, quare idem sequetur de seipso prædicari. Aio itaque non inconueniens esse, nec innaturale ita ut inde consequi necesse sit, idem tanquàm diuersum de seipso prædicari, ut quod medio subiicitur, de medij eiusdem prædicato in parte prædicetur, quemadmodum nec Aristoteles arbitratus est inconueniens, ac innaturale esse, ut affirmatiua uniuersalis in parte, particularis uero in seipsam conuertatur, atque idem de eo prædicetur, cui prius subiiciebatur, cũ aliarum figurarum utiles cõiugationes ad primę figuræ modos reuocauit: neque enim (ut opinor) quis posset arbitrari, quòd Aristoteles ad ostendendam aliarum figurarum utilitatem ea innaturali fuerit usus prædicatione, qua necessariò consequatur idem ut diuersum de seipso prædicari: non tamen inficias eo prædicationem illam magis esse naturalem, qua medij prædicatum de eisdem medii subiecto prædicatur, quæ ut actu in prima reperitur figura, ita in aliis uirtute tantum reperitur, quod quidem sufficere perspicuum est, cum (ut superius dictum est) per primam figuram aliarum figurarũ utilium coniugationum necessitas ostendatur, neque enim in secunda figura, neque in tertia dicta prædicatio actu reperitur, quandoquidem in secunda medium de vtroque prædicatur extremo, in tertia autem subiicitur: quare tametsi ea prædicatio in quarta figura actu non reperitur non tamen omnino reijci, cum illam uirtute, perinde ac secunda, & tertia contineat, nec eius authores reprehendi merentur: sic itaque constare arbitror, quòd si propositiones non indeterminate, ut Auerroes, sed suis cum signis vniuersalibus, s. uel particularibus proferantur, nullam penitus poterit hæc quarta figura suspicionem parere, quòd aliquid idem per se tanquam de seipso prædicetur. Verum cum Auerroes propositiones indefinite protulisset (quod non recte animaduertenti potest suspicionem efficere, quòd uniuersaliter intelligantur) pluribus alioquin eruditis uiris aberrandi dedit occasionem.

Cap. 7. docens prædicationem, qua inferius de superiori prædicatur, uel quod in præmißis subijcitur, in quæsito prædicetur, non adeo esse innaturale, ut tollat syllogismi ratione.

SI quis uero dixerit in quarta figura conclusionem inferri, in qua de superiori inferius prædicatur, quod omnino est innaturale, respondebitur idem quoque in aliis figuris posse contingere, ut in hoc syllogismo tertiæ, aliquod animal homo, omne animal est substantia, aliqua igitur substantia homo: similiter & in hoc primæ, omnis homo animal, aliqua substantia homo, igitur aliqua substantia animal: huiusmodi autem syllogismos cum tanquam inutiles non reijciat Aristoteles, neque etiam illi quartæ figuræ reijciendi sunt, nempè syllogismi forma, atq; materia alia, & alia res est, nec materia formæ, quin bona sit, impedimẽto esse potest, quando peripatetici omnes fatentur, falsitatem propositionum non tollere, quin syllogismi forma & figura bona sit: quod si propositionum falsitas id efficere non ualet, minus ea prædicatio efficiet, in qua superius in parte inferiori subiicitur, tametsi in recta prædicamenti linea innaturalis sit: quare conclusionem inferre, in qua inferius de superiori particulariter prædicetur, non ita est innaturale, ut syllogismi rationem tollat. Insuper etiam quod aiunt nonnulli esse innaturale, ut in quæsito id prædicetur, quod in præmissis subiicitur, quod uero in præmissis prædicatur, in quæsito subiiciatur, constat nihil efficere, qñ hoc (ut dictum est) non tollit syllogismi rationẽ, licet incessum in recta prædicamenti linea naturalem eẽ prohibeat, quemadmodum ẽt tertia figura, ubi maior quidẽ particularis, minor uero est uniuersalis, tametsi id est quæsiti prædicatum, quod in particulari, id uerò subiectum, quod in uniuersali assumitur de medio prædicari, tamen syllogismi rationem admittit: Is enim modus inter utiles illius figuræ coniugationes ab Aristotele numeratur. Ex prędictis itaque satis patere arbitror, quòd licet id quod de omnibus aliis in propositionibus prædicabatur, in conclusione subiicitur, id tamen à propositionum nexu syllogismi rationem non abigit, nisi maius extremum de minori uniuersaliter affirmatiue in quęsito prædicari debeat.

Cap.

Cap.8. ostendens quartam figuram non esse reiiciendam, quia nulla figura mathematica illi proportione respondet.

NEc etiam ualet, quod aiunt nonnulli uiri, quamuis clarissimi, nullam posse figuram mathematicam inueniri, quæ huic quartæ figuræ possit inseruire, cum medium, ut de maiori prædicatur ex uno latere extra sit extremitates, ut uero minori subiicitur extra sit ex altero latere: propterea quòd syllogismi formas, & figuras non ex figuris mathematicis, sed ex terminorum, & propositionum nexu, atque digestione assumere oportet, ex quibus quid alterum sequi necesse sit, neque enim in definitione syllogismi, seu formæ, aut figuræ syllogisticæ reponi quispiam inueniet oportere ut unicuique formæ, uel figuræ syllogisticæ aliqua figura mathematica proportione respondeat: quòd si quis etiam id sibi dari obstinate contenderit, hunc non ignorare oportet, quòd si rē diligenter examinauerimus, quemadmodum in prima figura à minori incipientes extremo, atque ad medium, postremo ad maius extremum ascendentes medium inter extrema collocari comperimus, ut in hoc syllogismo, omne animal substantia, omnis homo animal, igitur omnis homo substantia, similiter in hac quarta figura opposito modo à maiori incipientes extremo, deinde ad medium, postremò ad ultimum procedentes facile inueniemus medium inter ipsas extremitates collocari, ut unusquisque ex hoc syllogismo facile potes colligere, omne animal corpus, omne corpus substantia, igitur aliqua substantia animal, corpus enim medium inter animal, & substantiam reponitur, quare non ex utroque latere extra erit extremitates, vnamque quartam.s.non duas (ut illi autumant) constituet figuras: quæ quidem medij locandi ratio licet nō ita naturalis sit, perinde ac in prima figura habetur; non tamen, ut ex superioribus colligi potest, ob id quarta figura, quemadmodum nec secunda, nec tertia à syllogismi ratione ita abhorrere uidetur, ut omnino explodi mereatur. Non igitur Galenus deridendus est, nec uere quis potest asserere uias disciplinæ illi non fuisse compertas, ut Auerroes, & alii sensisse uidentur, cum hanc figuram quartam à Galeno inuentam, ab omnibus autem aliis explosam in dialecticorum scholis necessariò admitti debere ostensum sit: quod unusquisque potuisset manifestius cognoscere, si extarent libri, quos Galenus in Logica composuit.

Cap.9.explicans Galenum callere eam Philosophię partem, quæ Medico est necessaria.

QVod uero ad Galeni Philosophiam attinet, censeo illam nō ita rudem fuisse, ut nonnulli quidem innuere uidentur, quidam uero apertisime profitentur, euippe si de illa Philosophiæ parte, ex qua medicina dependet, & ob id Medico maxime necessaria est intelligant, cum omnes Galenum optimum fuisse Medicum testati fuerint, ipsum quoque optimum fuisse Philosophum fateri necesse est, uno enim tractatu Galenus diffuse declarauit optimum medicum necessario optimum esse philosophum: atqui cum paruus error in principio in fine maximus efficiatur, ut ipse Aristoteles docuit, qui Galenum in ea philosophiæ parte ab errasse defendi potest, nisi in medicina grauius adhuc eum deliquisse concedatur? tantum enim abest Galenum in ea philosophiæ parte fuisse parum exercitatum, ut multa ipsum diligentius inuestigasse, ac inuenisse, necnon de eis rectius, atque Aristotelem scripsisse, non solum alii non pauci, sed &
2. collig. lib. cap. 19. Auerroes maximus Aristotelis fautor tandem fateri coactus sit: de septo enim agens transuerso, quod Aristoteles dixit fuisse à natura productum non ob aliud nisi ut naturalia membra à spiritualibus essent segregata: Galenus autem, ut eo principaliter thorax moueretur, Aristotelem defendere nulla alia ratione nixus est, nisi quod multi sunt decepti, opinantes Galenum in multis huiusmodi particularibus Aristoteli contradixisse, quinimmo eis, quæ Aristoteles scripsit, multa Galenum addidisse, quando sectionis ratio, quæ tempore Aristotelis erat diminuta, à Galeno fuerit perfectè tradita.

Caput decimum declarans Galenum non esse reprehendendum, quòd fassus sit ignorare se, quænam sit animæ substantia.

AT in ea philosophię parte, quæ medicinæ conducibilis non est, Galenum parum fuisse exercitatum uiri etiam eruditisimi senserunt: Ioannes enim ille Picus Mirandulanus uir sua tempestate nemini secundus, in eo libro quem aduersus Astrologos edidit uolumine tertio, capite sextodecimo, ubi de diebus decretoriis disputat, scripsit philosophicum iudicium in Galeno desiderari, propter quod cum reprehendere uisus est,

quòd intelligere non potuerit, quænam sit animæ substantia: Verum non minorem quidem reprehensionem, uel etiam maiorem non pauci non euitare potuerunt, qui apud eum subtiles, acuti, & acres philosophi habiti sunt, siquidem Galenus in tract. de subst. uirtu. natur. siue alius illius libri author, de ipsius Galeni sñia scripsit, nolle se eos imitari, qui sibi ipsis magis quàm decet tribuẽtes, ea se scire profitentur, quorũ nullã habent demõstrationem, enim uero non pauci de ipsius animæ substantia persuasibilia loquentes putant de ea se demonstrationes afferre: ast ego, inquit Galenus, licet multorum habere demonstrationem mihi persuadeam, tamen quæ nam sit animæ substantia, fateor me nunquam demonstratione consequi ualuisse, & propterea de ea solum persuasibilia scribi posse uoluit Galenus: quod nũquid ueritate careat, eò facile cognosci potest, quòd antiqui philosophi, qui ante Aristotelem claruerunt, de animæ substantia diuersi diuersa sensere: Democritus enim & Leucippus, nonnullique Pythagorici animam ex corpusculis indiuisibilibus constare opinati sunt: Empedocles autem ex elementis: Diogenes uerò eam esse aerem, Eraclitus uaporem, Critias sanguinem, aliique aliam esse animæ substantiam imaginati sunt, ut in primo de anima uolumine Aristoteles testatus est: insuper quæ fuerit ipsius Aristotelis de anima opinio (de intellectiua enim loquor) ita est ambiguum, ut lis adhuc sub iudice sit, nempe si Græcos ipsius expositores perquiremus, Alexandrum Aphrodiseum aliam, Themistium aliam, aliosque multos alias, si Latinos, Thomam aliam, Ioannem Scotum aliam Aristoteli de anima opinionem ascripsisse inueniemus, nec minus Arabes inter se de Aristotelis opinione certarunt. Quòd si quispiam quæreret, unde nam hæc opinionum diuersitas inter expositores Aristotelis originem duxerit? Responderem non quidem ex alio, mea sententia, nisi quia omnes quædam sibi persuasibilia scribentes, illisque perinde ac demonstrationes essent, fidem habentes, id credidere, quod astruxerunt, Aristotelis placitum fuisse: neque enim de hoc quispiam mirari debet, quandoquidem Aristoteles de anima scribens ita obscure, & (ut aiunt) problematice loquutus est, ut omnes inde aliquam suarum opinionum occasionem sumpserint. Quòd si de tot, tantisque uiris liceret me in hac re sententiã ferre, dicerẽ hos nimium sibi ipsis tribuentes auræ cuiusdam cupiditate illud se scire ostentare, quod Galenus, ut pote ueritatis amator, & quem demonstrationis notæ non latuerunt, certa ostensione non

2. de sympt. caus. c. 5. ita facile cognosci posse fatetur, scripsit enim Galenus: **Etenim** animæ essentiam in alia quapiam tractatione definire, audax fortasse facinus putabitur, in hoc uero opere præter audaciam etiam superuacaneum uidetur: Qui igitur Galenum reprehendere conati sunt, satius fecissent, si prius inuestigassent, nunquid ipsi reprehensione carerent.

Caput undecimum, quòd Galenus asserens bruta uniuersales notiones comprehendere, iniuste reprehendatur.

QVare neque Picus eum accusasset, quòd uniuersales notiones ab intellectu non tantum nostro, sed etiam à brutis comprehendi arbitratus fuerit: quod experientiam docere declarauit Galenus in secundo methodi med. cap. septimo. Asinus enim animalium omnium stupidissimus, hominem conspicere insuetus eo conspecto fugit, timetque, si uero quempiam uidere consuescat, non amplius propter consuetudinem fugit, quanuis alium atque alium ipsi hominem, quem prius non uiderit, ostendas, at si suum curatorem inspexerit, auribus micans, & caudam quatiens, rudensque, ac lasciuiens ei manifestissime blandiri incipiet: quare communi notitia eos prius agnouisse, hunc autem particulari notione apprehendere liquidò constare uidetur. Quòd si quis dixerit (uti ferè communiter dici solet) Asinum, & alia bruta quibusdam particularibus indiciis hunc hominem illi similem esse apprehendere, non autem uniuersali notitia, quæ soli intellectui inhærere potest, quo bruta carent animalia, is utique sciat hunc communem modum hanc euadendi difficultatem, nonnihil ambiguitatis habere: Aristoteles enim uolens ostendere communem notitiam particulari priorem esse, illud indicio ex pueris sumpto (ut Auerroes in expositione testatur) probare nixus est, pueros inquiens imprimis omnes uiros patres omnesque fœminas matres appellare, postmodum autem cum magis intellectus uiget, proprios parentes ab alijs secernere, quòd si ferè communis ille respondendi modus abundè dubitationem tolleret, prædictam quoque Aristotelis probationem satis imbecillem redderet, posset enim ei Galenus respondere, ita pueros indiciis particularibus omnes homines inter se similes esse cognoscere, & ob id omnes appellare patres, ut de brutis dictum est, & propterea nulla erit Aristotelis probatio. Quòd uero à plerisque dici solet Aristo-

1. de phys. auditu contex. 5.

telem

telem loco citato ostendisse confusam cognitionem distinctam precedere, indicio ex pueris capto, qui prius omnes homines patres, & omnes fœminas matres confuse uocitant, deinde proprios parentes à reliquis distingũt, quod ẽt brutis cõtingere põt, q prius particularibus indicijs confuse oẽs homines similes ẽẽ apprehendentes, postmodum (ut superius diximus) suum curatorẽ à cæteris secernunt, neque enim bruta res intime penetrantia earum substantias, sed solum cortices, & quæ extrinsecus sensibus obiiciuntur, attingunt, illud inquam minime dubitationem remouet, propterea quòd cum Asinus (ut exemplo proposito innitamur) omnes homines inter se similes esse agnoscat, fateri necesse est, eum quidem id consequi non posse, nisi quid unum apprehendat, in quo omnes homines conueniant, siue illud substantia sit, siue accidens, quod utique unum, haud esse unum numero dicendum est, quando quidem illud est pluribus commune: erit igitur uel unum specie, uel unum genere, quare Asini cognitio omnino erit uniuersalis: Non sum nescius plura pro utraque hæresi in hac materia hinc inde dici posse, quibus facile dignosceretur, nullam harum sectarum posse certam in hac re demonstrationem afferre: & ob id Galenus Menodoti filius in principio cuiusdam libelli, siue orationis, qua homines ad artes liberales capescendas hortatur, scripsit. An animantia, quæ dicuntur bruta, prorsus expertia sint rationis, non dum satis liquet. Sed satis sit hęc nobis tantummodo scripsisse, ut ostenderemus Picum, & alios, ut in alijs, ita in re proposita Galenum inconsulte reprehendisse.

Caput duodecimum, quo ostenditur Galenum malè à quibusdam reprehendi, quòd multum quidem de ramis, parum uerò de radicibus philosophiæ tenuerit.

QVo fit, ut illi etiam haud laudari mereantur, qui Rabi Mosis authoritate moti Galeno uitio dant, quòd multum quidem de ramis, parum aũt de radicibus philosophiæ tenuerit, qui utique, mea sententia, ignorant quid per ramos, quidve per radices Rabi Moses intellexerit: quod me quidem declarare non pigebit, ut facilius cognosci possit, nunquid Galenum in hoc recte reprehenderint: nempe cum Galenus de pilorum palpebrarum, ac superciliorum utilitatibus pertractans, suam, ac Platonis & aliorum grecorum de Creatoris prouidentia opinionem ab illa 11. de usu part. c. 14

Mosis

Mosis differre scripsisset (quandoquidem Moses omnia Deo pos-
sibilia esse arbitratus est, etiam si ex cinere equum, aut bouem
quamprimum procreare uoluerit) ipse autem, ac Plato censent,
quędam à Deo, quæ naturæ impossibilia sunt, non attentari, sed
ex possibilibus id eligi quod melius est, hanc Galeni opinionem
Rabi Moses reprobauit inquiens, quòd cum prædictæ dubitatio-
25. part. suorum aphor. nis, quemadmodum & aliarum quamplurium in philosophia de-
terminatio ex alterius ueritate dependeat, nempè quòd Deus ex ni
hilo materiam procrearit, ex qua mundum fabrefecit, quod Gale
nus, vtpote veræ fidei carens lumine, ignorauit, proinde radicem
ignorans de ramis nimirum multa loquutus est. Verum si hac ra-
tione putant Galenum de ramis quidem philosophiæ plurimum
fuisse loquutum, cum tamen radices ignoraret, atque ob id repre
hendendum esse, sciant uelim opus esse eadem ratione eos fateri
Platonem, & Aristotelem, atque alios præcipuos Philosophos, qui
ex nihilo nihil, & non quodlibet ex quolibet, sed determinatum ex
determinato fieri autumant, eandem reprehensionem mereri:
quare ob id Galenus ex præcipuorum Philosophorum cœtu, perin
de ac prædicti Philosophi, excludendus non est.

*Caput tertium decimum, docens Galenum perperam increpari à pleris-
que, quòd senserit affectiones quasdam in corpore adeò exi
guas esse posse, ut sensum effugiant.*

NEque etiam (ut à plerisque fit) increpari meretur, quòd sen
serit in corpore quasdam affectiones adeo exiguas consiste
re posse, ut sensum effugiant, & consequenter mutationes
quasdam insensibiles esse posse, ut in secundo de tuen. sanit. affir-
mat omnino contingere, si quis in calicem temperatum, aut nata
tionem temperatam frigidæ pusillum iniecerit, qua de causa muta
tur quidem exquisita illa temperies, sed ea mutatio adeò exigua
est, ut sensum nostrum lateat, quod Aristoteli aduersatur ubi ne-
8. de phys. aud. cõtex. 23 gat motum insensibilem esse posse, propterea si Galenum perlegis
sent ubi scribit, nunquam deficientis affectionis dogma ualente
demonstratione non carere, & alibi, eum inuenissent illud ualidissi
3. de temper. c. 4. & 1. de loc. affect. cap. 2. mo argumento comprobasse ex aqua desumpto, quę longo tem-
poris tractu guttatim cadens lapidem excauat: Etenim si detur a-
quam stillatim cadentem, saxumque ferientem, nec uno, duobus-
ve, aut tribus, uel quatuor ictibus, nec etiam sequentibus ad millesi

mum usque, sed ipso millesimo sensibiliter saxum excauasse, etiam ictus millesimum præcedentes aliquid (licet non appareat) in lapidem effecisse necesse est, quando si primus nihil egerit, fieri non potest, ut alter aliquid faciat, qui eandem, quam primus habuit, ad saxum rationem retinet, cum nec in passo (in saxo scilicet) neque in causa in ipsum agente (in aquæ uidelicet stilla) ulla mutatio facta sit, quare necesse est saxum ipsum, ut in primo ictu, ita etiam in secundo illæsum seruari, si autem hoc, in tertio quoque eadem erit ratio, & non secus in quarto, quinto, sexto, septimo, & reliquis omnibus usque ad millesimum, quoad enim saxum eodem modo se habuerit, si eadem causa incidat, nihil amplius efficietur: necesse est igitur, si millesimus ictus lapidem sensibiliter afficiet, præcedentes adeò illum mutasse, ut omnino talis sit, qualis ab initio fuerat, quare ante millesimum ictum facta erit in saxum mutatio, cum autem ex dato millesimus ictus primus sit, qui sensibilem affectum in saxum efficiat, erit igitur mutatio millesimum ictum præcedens insensibilis. Quod uerò Aristoteles loco citato dixit, lapidis inquam sensibilem excauationem tractioni nauis similem esse, quando sicuti nec ab uno solo homine, nec duobus, nec tribus, nec sequentibus ad quadragesimum nonum usque, sed à quinquagesimo superueniente nauis trahitur, qui utique solus nauem trahere nequiuisset, trahit autem suo & præcedentium conatu, tametsi præcedentes nihil antea tractionis operati fuerint: ita etiam à millesima gutta, sua, & præcedētium uirtute lapis sensibiliter excauatur, quem non excauasset, nisi illę præcessissent, quæ tamen nec totam cauitatem, nec eius partem aliquam prius effecerant, hoc inquam nihil efficit, propterea quòd quis dicere posset ab hominibus quinquagesimum pręcedentibus nauis tractionem non fieri, quę à nobis sensu percipiatur, fit tamen ab his tractio sensum nostrum effugiens, vel saltem concussio: sed si etiam Aristoteli concedatur, pręcedentes quinquagesimum hominem nullam penitus nauis tractionem neque sensibilem, neque insensibilem effecisse, non consequitur, quòd neque etiam stillæ millesimam præcedentes nihil penitus cauitatis causauerint, eo quoniam quinquagesimus homo, suo & præcedentium conatu nauem trahens, eodem tempore cum præcedentibus tractionem molitur, quare licet præcedentes nihil tractionis effecerint, potest tamen is cum pręcedentibus nauem trahere pluribus nempè conatibus simul coeuntibus: cum uerò millesima gutta saxum feriens, & sensibiliter excauans non eodem

tempore, quo pręcedentes, operetur, non possunt, ut in trahentibus nauem, plures conatus simul coire, quibus eodem tempore fiat simul saxi sensibilis excauatio, propterea necesse est, quòd si millesimus stillæ ictus in saxum sensibilem cauitatem effecit, ut etiam præcedentes ictus quidpiam prius operati fuerint. Quòd si quis dixerit (ut plerique faciunt) millesimum ictum sensibilem cauitatẽ efficere, quæ est substantiæ remotio, quæ uerò mutatio millesimũ ictum præcedit, quandan esse præparationem, qua saxum aptum redditur, ut à millesima gutta excauari queat, is non ignoret, non ob id se rationem adductam dissoluisse, propterea quod saxum pręparatum redditur, ut à millesimo ictu excauetur, uel quia impetu guttarum præcedentium pars remouenda concutitur, & dimouetur, uel quia pars eadem stillarum humiditate mollior, & tractabilior fit, uel utriusque ratione, quorum utrum datum fuerit, necessariò consequetur, ut saxum non omnino tale sit, quale ante præparationem fuerat, quod nihil aliud est, nisi in eo ante excauationem factam esse mutationem, quam si dixeris à centesima stilla, exempli gratia, lapidem feriente sensu cœpisse percipi, cum primis ictibus nihil mutationis in lapide appareret, duorum alterum dicendum erit, aut quod in eo insensibilis mutatio sensibilem præcesserit, quod id est, quòd probandum suscepimus, aut quòd saxum ad sensibilem usque mutationẽ tale perdurauerit, quale ab initio fuerat, antequam à stillis feriretur, quòd si hoc concedatur, cum etiã eadem causa (ut superius dicebatur) incidat, non etiam hęc centesima gutta plus, quàm præcedentes efficiet: sumebatur autem saxipartem à millesima gutta remouendam à centesima cœpisse sensibilem præparationem, mutationemve suscipere: quare quicquid dixerit, omnino fateri cogetur, quòd insensibilis mutatio sensibilẽ præcesserit. Quod uero nonnulli etiam comminiscuntur, mutationem scilicet, quam Galenus insensibilem appellat non actu esse mutationem, sed potentia, quæ uerò à nobis sensu percipitur actu mutationem & esse, & dici, nihil efficit, quandoquidẽ mutationes quędam aquilæ, & lyncis uisum non effugientes, uisum nostrum omnino latere possunt, propterea quòd si cum aquila & lynce comparemur, omnes male cernimus, ut etiam reliquis sensibus quędã bruta nobis omnino uegetiora existunt, quòd si quæ à nobis sentiri nequeunt, non actu essent, sed potentia, utique neque etiam ab aquila, & lynce cernerentur, quòd enim cerni debet, actu sit necesse est: si uero adhuc cõtendentes dixerint lyncis quidem & aqui

læ comparatione eas mutationes actu esse, quia ab illis cerni ualēt, nostri uero comparatione non esse actu, sed potentia, quoniam à nobis cerni nequeunt, ex hoc profectò ij nihil aliud sibi uelle uidebuntur quàm quòd mutationes prædictę lynci quidem & aquilæ sensibiles sunt, nobis uero insensibiles: quare de nominibus tandem hæc contentio existet. Quamobrem, ut Galenus illis gratis concederet, ut mutationes sensum nostrum effugientes potentia tales appellare ualeant, ita & ipsi Galenum permittant has mutationes insensibiles nominare, infinitis enim ferè locis Galenus nos admonet, ut post habita de nominibus contentione (quemadmodum aliàs sæpe explicauimus) rerum scientiam perquiramus. Ex his itaque, ut hi egregij uiri discant uelim, nunquid hoc placito Galenus (ut ipsi profitentur) ludibrio haberi mereatur,

Caput decimum quartum, continens Galeni argumentationem aduersus temporis definitionem ab Aristotele traditam, & primę responsionis Themistij redargutionem.

SEd his post habitis ad eos noster festinet sermo, qui Themistij lucidissimi philosophi, & Aristotelis interpretis testimonio, atque authoritate excitati de Galeni philosophia obloquentes aiunt eum sæpè Aristoteli adeo sine ratione fuisse molestum, ut de eo illud Vergilianum dici possit,

Arma amens capio, nec sat rationis in armis, Verum ut hi agnoscant Galenum non ut amentem arma cœpisse, quinimmo sibi sat fuisse rationis in armis, non grauabor eius rationem hoc in loco examinare, quam aduersus temporis definitionem ab Aristotele traditam (eo enim in loco Themistius carpit Galeni argumentationem) in medium attulit. Cum itaque Aristoteles temporis de finitionem in hunc modum assignasset (tempus est numerus motus secundum prius & posterius (hanc nimirum definitionem redarguit Galenus, utpote tempore per tempus definito, neq; enim definitiones uitio carentes definitum in suijpsius definitione admittunt. Quòd autem prædicta temporis definitio tempus includat, conatus est Galenus patefacere, enumeratis enim omnibus prioris & posterioris modis, de quibus etiam Aristoteles meminit in quinto metaph. contex. decimo, nullum alium, inquit, posse temporis definitioni congruere, quàm prius & posterius temporis, quare erit temporis definitio, numerus motus secundum prius & poste-

4. de phys. aud. contex. 101.

rius temporis. Hanc Galeni obiectionem Themistius nitens duplici responsione diluere, Sciendum esse, inquit, prius & posterius, quæ in motu sunt, non habere à tempore, ut prius & posterius sint, sed econtrario potius efficere, ut prius & posterius adsint in tempore: quòd autem prius & posterius in motu est, dictum est à priori & posteriori in magnitudine proficisci, unde & continuitas nasceretur, atque hoc euidenter Aristoteles indicat, prius inquit, & posterius in loco primum habent, inibique positu constant & situ, sed cum ea in magnitudine afferantur, necesse est in motu quoque easdem rationes afferri. Hæc Themistius. Quæ inquam refelli posse uidentur, non enim uidetur Themistius rectè dicere, prius & posterius motus à priore & posteriore magnitudinis oriri, cum potius contra esse uideatur, etenim si motus in a.b. magnitudine ab a. incipiat, & in b. desinat, in ea quidem magnitudine pars ipsi a. proxima prius existet, pars uero ad b, accedens posterius, si uero contra motus a b quidem incipiat, in a uerò desinat, quod in priori motu erat in magnitudine prius, in hoc erit posterius, & quod in eo erat posterius, in hoc prius efficietur, quamobrem rationi consentaneum magis esse uidetur, cum ex motus uariatione etiam in magnitudine prius & posterius uarietur, ut prius & posterius in magnitudine à motu potius originem ducat, quàm contra. Quòd si etiam Themistio concedatur prius & posterius in motu ex priore & posteriore in magnitudine haberi, à qua etiam motum, & à motu tempus continuitatem recipere uoluit Aristoteles, non tamen prius & posterius, quo tempus definitur, illud est, quod motus à magnitudine suscipit; propter quòd non ignorare oportet, duplex esse prius & posterius in motu, ut Simplicius inter Græcos Aristotelis expositores primarius declarat, alterum quidem à loco & magnitudine, alterum uero à tempore sumptum, cum enim motus inter locum & tempus medius sit, ab utroque mensuram & numerum prioris & posterioris assumit, sed à loco, & magnitudine secundum positionem, à tempore uerò secũdum essendi productionem, prorogationemve, & temporaneam durationem, quare numerus prioris & posterioris à magnitudine, & loco sumptus localis dicitur, quatenus eius distantia, & successio positionem habet, qui uerò à tempore temporaneus nuncupatur, quatenus eius substantia in fluxu consistit, quippe si motus solam haberet, positionem, tempore minimè indigeret, quemadmodum si solum haberet fluxum, locum & magnitudinem non exposceret. Cum igitur ab his duo

4. de phys. aud. contex. 99.

bus

bus prius & posterius motus numeretur, à loco quidem & magnitudine, quatenus locus numerus est prioris & posterioris dist antiæ secũdum positionem, à tempore verò quatenus tempus ipsum est numerus prioris & posterioris secũdum fluxum motus, cumque prius & posterius secundum positionem motui per accidens insit, prius verò & posterius extensionis secundũ fluxum per se illi conueniat (propterea quòd ob eius quidem positionem quod in ipsa mouetur distantia, videtur motus distare, & positionem habere, extensio verò secundum fluxum quædam motus substantia existit) iure meritò prius illud, & posterius motus in temporis definitione positum non quidem erit secundum positionem sed secundum fluxus extensionem, quod inquam prius & posterius & motui & tempori per se competit: Et propterea Simplicius recitata prima Themistij responsione, de qua superius meminimus, in Galeni defensionem eum longe eruditissimum appellans scripsit: Adhæc verò diceret Galenus prius & posterius, quod est in motu, quod sequitur prius & posterius, quod est in magnitudine circa positionem maxime esse, tale enim fuit etiam quod est in magnitudine prius & posterius, aliud vero quod est in tempore (ut dictum est prius) quod una cum eo, quod est in motu priore, & posteriore existit, non secundum positionem tamen prius & posterius habet, sed secundum existendi productionem, aliud existens ab eo, quod circa positionem est, quę ex magnitudine motui contingit.

Caput quintum decimum, redarguens secundum Themistij responsionẽ, docensque Galenum non temerè aduersus Aristotelem arma cœpisse.

HAc itaque de causa Themistius cum forte suspicaretur primam illam responsionem superius positam Galeni dubitationem non tollere, secundam solutionem inducens scripsit in hunc modum: Sed concedatur Galeno prius & posterius motus nihil aliud significare quàm prius & posterius temporis, quid tum postea? Neque enim ferè nos aliud dicimus, nam cum tempus esse prius, & posterius in motu dicamus, necessariumque sit, ut idem afferant definitiones, & nomina, quæ definiuntur, nihil certè aliud fuerit prius in motu atque posterius, quàm prius & posterius temporis, quamobrem hoc illum latuit, qui definitionem oppugnat, & mehercule tutius fuerat illam admittere. Hæc Themistius: Cõtra quam secundam Themistii solutionem Simplicius quoque surrexit inqui-

inquiẽs, Ad hoc etiam Galenus diceret, quòd ſi prius & poſterius, quod eſt in motu unum eſſet, illud ſcilicet tantummodo, quod eſt ſecundum tempus, rectè diceretur tempus, eſſe prius & poſterius quod eſt in motu, & nequaquam tempus per ſe ipſum definiretur, ſed ſi aliud eſt prius & poſterius, quod eſt ſecundum poſitionem, & non eſt temporarium, & aliud eſt prius & poſterius, quod eſt ſecundum tp̃s, neceſſe eſſet in temporis definitione dicere, tp̃s eſſe illud prius & poſterius in motu, quod eſt ſecundum tp̃s: His Themiſtii reſponſionibus impugnatis, aliam deinde ſolutionem Simplicius attulit, aſſerens quod ſi quis in temporis definitione prius & poſterius ſumpſerit, quod eſt ſecundum exiſtendi productionem ſiue ſecundum ſuæ eſſentiæ extenſionem, & non ſecundum poſitionem, tempus quidem ſignificabitur, & non per ſe ipſum declarabitur, nec eius nomen cum priore & poſteriore abſolute idem erit, ſed cum tali priore, & poſteriore, quod eſt in definitione, dicens enim tempus eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius, quod eſt ſecundum exiſtendi productionem, ſiue ſecundum extenſionem, uel prorogationem ſuæ eſſentiæ, ſiue ſecundum fluxum, & non ſecundum poſitionem, nec tempus per tempus definit, nec dicit tempus cum priore, & poſteriore abſolute idem eſſe, cum determinet, quod nam prius & poſterius motus idem cum tempore ſit: Hæc eſt Simplicii ſolutio, quam quidem Galenus poſſet facile impugnare, quandoquidem ſi Simplicium interrogaret, quid per prius & poſterius ſecundum exiſtendi productionem, uel ſecundum ſuæ eſſentiæ extẽſionem intelligat, neſcio quo nam pactò illud definiret, niſi temporis nomine uteretur: ſuperius enim diximus de ipſius Simplicij intentione, motum prius & poſterius ſecundum exiſtendi productionem habere à tempore, & propterea temporariũ nũcupari: Cum aũt ratio loco nominis in alicuius definitione poſita illam reddat (ut Ariſtoteli placuit) expreſſiorem, ſi ratio prioris & poſterioris ſecundũ exiſtendi productionem loco nominis in temporis definitione poneretur, tp̃s omninò per ſeipſum manifeſtaretur: quare Galeni obiectio in ſuo ad huc robore conſiſteret, eam enim definitionem Ariſtoteles ſexto Topico. allegato uituperat, in qua tametſi non manifeſtè, idem tamen latenter in ſui ipſius definitione recipitur, quod ait facile deprehendi ſi loco nominis in definitione poſiti eius rationem ſumamus, quippe ſolem definiens ſtellam eſſe, quæ in die conſpicitur, facile inueniet Solem in ipſius definitione ſe clam accepiſſe, ſi quid dies

ſexto topicorum.

dies eſt declarauerit, quod etiam Simplicio per prius & poſterius ſecundum exiſtendi productionem tempus definienti contigiſſe manifeſtum eſt. Non me latet hac in re plura tum pro Ariſtotele, tum pro Galeno dici poſſe, ſed ſat ſint, quæ hactenus ſcripta ſunt: hæc enim in medium attuli, ut qui Galeno conuiciari delectantur, intelligerent eum non temerè (ut Themiſtius autumat) fuiſſe Ariſtoteli in pleriſque omnibus moleſtum, & importunum, quinimo eius obiectionem tanti fuiſſe roboris, ut præcipuos Ariſtotelis expoſitores inter ſe digladiari coegerit: Quare Ioannes Damaſcenus, & Raſis in ſuis aphoriſmis dixere: In quibus Ariſtoteles, & Galenus diſſident, difficile eſſe ueritatem inuenire: Adde quòd cum liber quem Galenus de demonſtratione compoſuit, hac noſtra tempeſtate non extet (in eo enim libro, ut omnes affirmant, quæ aduerſus Ariſtotelem de tempore non ſentire uiſus eſt, ſcripſit) ob id ex eo non poſſumus, ueluti ex fonte pleraque haurire, quæ fortè in hac materia de ipſius ſentẽtia ſcribi poſſent. Quamobrem neque etiam poteſt nobis eſſe manifeſtum, qua ratione Galenus Ariſtotelem reprehenderit, eo quòd opinatus fuerit (ut ei Themiſtius imponit) Ariſtotelem ſenſiſſe tempus ſine motu non eſſe, quia ipſi moti demum intelligimus, & tempus, quod Themiſtius ait Galenum Ariſtoteli temerè impoſuiſſe uellicandi, contra dicendique ſtudio: Sed ſi etiam demus Galenum eo in loco ueram Ariſtotelis ſententiam non improbaſſe, non debuit tamen profectò Themiſtius id ſcribere Galenum temerè feciſſe, quod nullus de Ariſtotele ſcripſit, quem non pauca Platoni præceptori ſuo aliiſque antiquis philoſophis adſcripſiſſe (tamẽ nunquam illa ſomniauerint) atque ea impugnaſſe, nõ pauci uiri eruditisſimi credidere, tenentes Ariſtotelem à Platonis placitis non diſceſſiſſe, & ob id nõ Platonem, ſed falſas potius eorum quæ à Platone ſcripta fuere, interpretationes reprehendiſſe, licet nullibi niſi de Platone meminerit, ac ſi eum non alios redarguerit.

Caput ſextum decimum quòd opinionum ueritas à teſtimonio non dependeat.

Ex his itaque hactenus expoſitis ſatis patere arbitror Auerrois, Rabi moſis, ac Themiſtij teſtimonium aduerſos Galenum nihil efficere, quem ſi eius detractores in philoſophia reprehendere ſtatuerant, certè ut Galenus in libello, quòd animi

animi mores corporis temperaturam ſequantur ſcripſit, ſe Hippocrati non ut teſti credere, ſicuti alij plerique faciunt, ſed quòd ſolidas eius demonſtrationes eſſe inuenit,(neque enim opinionum ueritatem à teſtimonio,ut nonnullorum mos eſt,pendere putandum eſt) ita quoque eorum erat non tantum Auerrois, Rabi moſis,& Themiſtii teſtimonium aduerſus Galenum in medium afferre,ſed etiam rationibus Galeni placita refellere, & ipſius Galeni argumenta imbecillia eſſe,uel captioſa manifeſtare: Quod cum non fecerint,neſcio qua perfricta fronte tam temerè, tamque arroganter de tanto medico, tantoque philoſopho nunquam ſatis laudato illud Vergilianum(de quo ſupra)dicere auſi fuerint, Quoniam uerò hactenus a nobis ſermo de his habitus eſt,ex quibus potiſſimum hi uiri egregii Galenum calumniandi occaſionem ſumpſerunt, propterea huic libro finem imponam, in altero autem libro,qui poſt hunc ſequetur, nonnulla alia recenſebimus, in quibus, perinde atque in prædictis fecimus, Galenum Ariſtoteli non ſine ratione aduerſari oſtendemus.

Finis Primi Apologiæ Libri.

ODDI

ODDI DE ODDIS APOLOGIAE PRO GALENO

LIBER SECVNDVS.

Libri propositum, & à quibus probationes scientificæ pro diluendis problematibus desumantur. Cap. I.



VM inter cętera, quæ inter Aristotelem, & Galenum minime conueniunt, illud præcipue habeatur, quo de membrorum principatu contendunt, propterea in hoc secundo uolumine ab illo auspicari decreuimus, siquidem placuit Aristoteli unum tantum esse membrum, cor scilicet principatum obtinens, à quo uirtutes omnes corporis originem traherent: Galenus autem ea quatuor esse contendit, uidelicet cerebrũ, cor, iecur, & testes, cerebrũ siquidẽ animalis facultatis, cor uerò uitalis, iecur aũt naturalis, uel sanguifactiuæ, testes insup generatiuę principiũ esse affirmauit. In qua q̃dẽ re quis nã illorũ rectius sentiat, haud difficile cognoscet, q̃cũque propriis seclusis affectibus utriusq; fundamẽta rationesque diligentissime perpendat, nã cum ex Galeni sententia quatuor sint rationis species, ratio scilicet scientiam pariens, quæ ex rei substantia propositiones assumit, insuper topica, rhetorica, & cauillatoria, quæ ex propositionibus extrinsecus aduenientibus constant, his tribus ultimis posthabitis, solis his pro uiribus est innitendum, quæ ex propriis, & rei substantia sumptis propositionibus conficiuntur. Verum non possumus proprias assumere propositiones ex propria membri substantia, utpote cordis, cerebri, hepatis, ac testium, quæ constat calidi, frigidi, humidi, & sicci temperie, cùm partes hę internę nec tactui, nec uisui nostro subiiciantur, qua etiam ratione dixit Galenus ex permutatione eorum, quæ substantialiter insunt, non pos

3. de dogma. Hippo. & Plat.

2. art. med. 75.

se sumi indicia, cùm partes laborant, quæ tactum, & uisum effugiunt, præterea nec demonstratiuę propositiones habeantur, quæ ex membri quantitate, aut numero, situvè eliciuntur, reprobat.
2. de dog. Hipp. & Plat. 3. de part. anim. c. 4. enim Galenus Aristotelis rationem, qua probat cor esse omnium principium, quoniam in medio pectore collocatum est, siquidem hæc ratio non magis demonstratiua esse censetur, quàm si quis dicat, In homine caput est, sicut in uniuerso cęlũ, sed cęlũ est deorum domiciliũ, igitur cerebrum est mentis & rationis domiciliũ: sunt enim probabiles rationes, ex colligantia saltim, ac cauitatibus (quod reliquum est) proprię, ac demonstrationi ęquipollentes rationes à nobis sunt colligendę Quocirca nulli mirum esse debet, si in quibusdam quidem conueniunt Arist. & Galenus, in aliis uerò inter sese discordes existunt, si quidem ambo ex his, quæ membris hisce sunt adiuncta, proprias sibi demonstrationes astruẽtes, suas, quas ueras esse putarunt, opiniones tutari conati sunt.

In quibus concordent Ar. Et Gal. Et in quibus discordent de ipso cerebro. Cap. 2.

FVerunt itaque in hoc concordes, quòd uirtus uitalis, ac arteriæ ob colligantiam oriantur à corde, dissentiunt autem, quoniam Aristo. asserit uirtutẽ quoque sensus & motus (de hac enim imprimis agere intendimus, mox & de aliis) perinde ac reliquas omnes ab ipsomet corde, Galenus uerò à cerebro originem trahere; quod cum unusquisque eorum nititur probare, eandem maiorem propositionem assumunt, nempè Illud esse principium uirtutis sentiendi & mouendi, quod est principium uię, & organi illius uirtutis: differunt autem in minori, nam Galenus minorem subsumit, sed cerebrum est principium uię & organi huiusmodi facultatis, ergo est etiam principium ipsius facultatis, quam quidem minorem comprobat, quia à cerebro nerui oriuntur, quibus ligatis aut sectis sensus & motus aboletur, ut ait
2. & 7. de dog. Hipp. & Plat. & li. de puls. usu. Galenus frequentius, item compressis cerebri uentriculis aut ex uulneratione euacuato spiritu animali statim animal corruit, cùm uerò iterum colligitur, reuiuiscit, ut idem 7. de dogm. Hippo. Et Plat. attestatur: Aristoteles autem sub illa maiori, in qua conuenit cum Galeno, minorem hanc subinfert, sed cor est principium uiæ, & organi uirtutis sensus & motus, ergo est etiam principium uirtutis, quam minorem corroborat, propterea quòd ut idem ait 3. de

de partibus animal.cap.4.à corde nerui originem ducunt, in eo namque neruorum copia apparet, præterea in corde uitalis spiritus generatur, quod animę instrumentum existit. 3.de part anim.4.

Auerrois iudicium aduersus Galenum, & confutatio rationis ipsius Auer. ex ipsomet Galeno. Cap. 3.

AVerrois Aristotelis insequens opinionem, eamque existimans ex uerioribus ac magis demonstratiuis sumptionibus confectam esse, Galeni rationem superius expositam dissoluere conatur, inquiens, Neruos non esse primum, sed secundum sensus & motus instrumentum, nam licet sentiendi, mouendique uirtus mediantibus neruis ortis à cerebro per corpus transmittatur, eam tamen cerebrum mediante primo instrumento in corde genito, qui spiritus uitalis est, à corde suscipit, & ob id asserit ipse propositionem illam maiorem hunc in modum esse intelligendam, quòd ubi primum oritur organum, ibi facultatis principium adsit, at primum sentiendi, mouendique organum iuxta illius sententiam est spiritus uitalis in corde genitus, necessariò igitur cor, non autem cerebrum uirtutis principium esse consequitur. Verum responsionem hanc argumentique contorsionem reprobauerat, dissolueratque Galenus, ubi reprobat Chrisippum, qui uidebatur contra se unum tangere, fieri scilicet posse, ut ex pectoris partibus emittatur oratio, & tamen caput ipsis initium motus præstet, sicuti quoque ut nerui exortum è capite habeant initio facultatis motricis à corde sucepto, nam uidendum est (inquit Galenus) quæ & quot ea sunt, quę cordi cerebrum coniungunt, quod ubi patuerit, deinde sigillatim his ipsis ad collum uel præsectis, uel collisis, uel laqueo interclusis animaduertendum, qui affectus, casusq; ex ea re animalibus accidat: cor cerebro tria uasorum genera connectunt, ex ijs inquam, quæ toti corpori communia habentur, uenę quę iugulares appellantur, arterię, quæ carotides quasi tu soporarias dicas, & nerui, qui his arteriis annexi, atque associati sunt: Et cum declarasset quomodo uenę & arteriæ secandæ sunt, subdit, neruos siue collidas, siue laqueis, aut digitis comprimas siue seces ex his omnibus lęsionibus unum eundemque casum accidere animali conspicies, mutum quippè statim efficietur, nullaque functio, neque tunc illicò, neque post aliquanto noxam aliquam contrahet, si uerò arterię uel interceptę laqueis,

2.colli.c. 11.& 3.de part.anim. c.de corde

2.de dogma. Hipp. & Plat.uer sus finem.

uel eo quo dixi modo abſciſſę fuerint, alia neque ſopitum, neque mutum euadet, id, quod plerique, qui poſt Hippocratem diſſectione male uſi ſunt, memorię prodiderunt, ſed tantum efficietur, ut omnes, quæ ſupra tantum uulneratas partes fuerint arterię, pulſu omni priuentur, uenis uel laqueo cōprehenſis, uel qua docuimus ratione præſectis functionem euidenter interire nullā deprehendes. Ex his ita ſenſui expoſitis facile (inquit Galenus) ratiocinari, probareque poſſumus, quòd neque cor ad pulſuum motum cerebri opera aliqua indiget, neque cerebrum cordis, ut alia poſſit & ſentire, & officio ſuo per uoluntatem fungi. Quòd enim cor cerebro non egeat, inde conſtat, quòd ligatis uenis, arterijs, & neruis, & cor & omnes arterię per totum corpus animalis diſtributę non ceſſant à motu, licet ſolę eę, quæ ſupra laqueos ſunt, pulſare deſinunt, quarum etiam partes inferiores uſque ad cor pulſum nō ammittunt: quòd autem prima origo facultatum cerebri non ſit in corde, eò conſtat, quòd neruis eiſdem præciſis, uel laqueis compresſis, alia ſolummodo mutum efficitur omnibus aliis functionibus integris exiſtentibus: inſpirat enim & expirat, ambulat, brachia, & totum corpus commouet, audit, uidet, & reliquos omnes ſenſus integros habet, ſola uox interit, ut dictum eſt, quo fit, ut medicos illos, ac philoſophos erraſſe dicendum ſit. qui cum ex præſectione, aut coarctatione arteriarum prædictarū alia ſopiri, ideſt ſenſu & motu priuari arbitrarentur, quia mutum efficiebatur, cor primam ſenſus & motus originem præſtare, cerebrum autem uim à corde ſuſceptam ut quaſi magni regis præfectum in totum corpus per neruos diſtribuere crediderunt, ſed cum res alio modo ſe habeat, ſiquidem non tantum ligatis uenis, aut arteriis, quinimmo nec etiam ſectis neruis alia ſopitum redditur, ſed ex neruorum duntaxat ſectione (uti dictum eſt) mutum efficitur, eos bifariam peccaſſe dicendum eſt, primo quidem quia ligantes arterias ſimile etiam neruos, qui arteriis ſunt annexi, colligabantur, quodque neruis erat aſcribendum, arteriis aſcribebant: ſecundo autem, quoniā animal fieri mutum conſpicientes, ſopitum fieri quod eſt ſenſu & motu priuari putabāt, ꝙ idē alibi cōfirmabat etiā Gal. inquiēs, quòd ſi ipſas, quæ ſunt in collo arterias uinculo excipias, nullam ob id euidentem noxam animali afferes, tametſi cor cum cerebro princeps, ſcilicet inſtrumentum actionum uitalium cum principe hę continuant animalium. Conſtat itaque ex dictis reſponſionem illam Auerrois Galenum reprobaſſe, propriamque confirmaſſe,

lib. de uſu Pal. à principio.

quòd

quòd scilicet mouēdi, sentiendique uirtus à cerebro originem ducit, neruique illius primum, non autem secundū sunt instrumentū.

Euasio Auerrois & instantiæ aduersus euasionem Cap. 4.

CAEterum huic forte respondens inqnies, ut & ipse Auerrois asserit, quòd ligatis arteriis sensus & motus non confestim, sed aliquod post tempus deperditur, siquidem spiritus uitalis à corde ad cerebrum delatus erat ui secum sentiendi, mouendique sublata, quam demum cerebrum in totum corpus distribuere debebat uitali spiritu prius in cerebro alterato, sine qua quidē alteratione uis illa dispensari non potest. Veruntamen hæc responsio non est secundum Aristotelis placita, qui uirtutem sensus & motus non per arterias, sed per neruos ad cerebrum deferri putauit, siquidem ab eo hæc scripta sunt uerba, Copia quoque neruorum in corde est, idque recta ratione, hinc enim motus oriuntur, qui intendendo, remittendoque efficiuntur, itaque ministerio tali, & robore opus est. Hæc Aristoteles. Insuper si uitalis spiritus uim hanc ad cerebrum deferre potest, quid prohibet, quòd eandem quoque uim ad cæteras corporis partes deferre non ualeat? Qua ratione in apoplexia membra aliquo saltem sensu & motu, si non exacte, adhuc sentire, mouerique possent, cum in totum corpus arteriæ sint dispensatę, in quibus uitalis spiritus ex Auerrois sententia primum animalis uirtutis instrumentum reconditur. Quòd si spiritum uitalem, quò uirtutem ad omnes corporis partes (ut prius dictum est) deferre possit, alteratione quadam à cerebro suscepta indigere dicas, illud planè nihil efficit, quandoquidē (uti diximus) si à corde ad cerebrum uirtutem deferre potest, quid prohibet, quòd ad alias etiā corporis partes deferre non possit? spiritus namque uitalis per te est proprium, primumque huiusce uirtutis instrumentum, ergo huiusmodi spiritus per arterias delatus secum pariter facultatem conducit, & licet tibi daretur ex alteratione quadam in cerebro suscepta uitalem spiritum partibus corporis uim sentiendi, atque mouendi commodius communicare posse, non tamen consequitur id absque illa alteratione fieri non posse, ubi namq; primum alicuius facultatis adest instrumentum, idque recte, non autem præter naturam dispositum, consentaneū sanè est, quòd ibidem facultas etiam ipsa reperiatur. Præterea si natura cū uult quippiā aliquo in loco alterari, tanto ei diuturniorē moram

2. de partī. anim. cap. ā cerebro.

3. de par. anim. cap. 4.

moram comparat, quanto exactius id alterari, & confici exoptat, ut ex Galeno colligitur exemplo sumpto alterationis, coctionisque materiæ, quæ in lac, aut sperma conuerti debet, nulli dubium esse potest, cum natura plexum retiformem uariciformi, in quo sanguis & spiritus ad spermatis generationem præparantur, magis inuolutũ fabrefecerit, spiritum uitalem exactiori egere coctione, præparationeque, ut in animalem conuertatur, quàm sanguis & spiritus, ut sperma efficiantur, quemadmodum loco præallegato optime declaratur Galenus, quòd si tam longo tempore, exactiorique indiget coctione, præparationeque, necessariò consequitur uitalem spiritum in corde genitum non esse primum, ac proprium uirtutis sensus & motus instrumentum: neque enim tanta illi elaboratione, alteratione, & coctione opus esset, quandoquidem licet spiritus uitalis sit materia, ex qua animalis conficitur, non tamen uitalem spiritum primum sensus & motus instrumentum esse cõsequitur: eadẽ enim ratione quispiam dicere posset primum eius uirtutis instrumentũ nõ esse spiritum uitalem, sed potius uel sanguinem in epate genitum, uel chylum in uentriculo cõfectum, quorum unusquisque est materia, ex qua spiritus uitalis gignitur, licet sanguis materia magis proxima, quàm chylus existat: Insuper sumpto eo, quod habent libro de usu pulsf. Galenus, ubi declarans quòd non eadem est utilitas pulsibus & respiratione, quia respiratione sublata statim animal moritur, at si à multis particulis, ut manibus, & cruribus moueatur pulsus nõ magnopere animal ledītur, solum enim arteriæ ligatæ motum amittunt, membra autem neque motum, neque sensum, subdens dicebat, at si neruos funiculo religes immotus prorsus, insensibilesq; particulas extemplo reddas hunc in modum aduersus Auerroim argumentari possumus, quòd hisce stantibus si arteriæ sensum & motum præstarent, deberẽt proculdubiò, ubi eæ perinde ac nerui essent affectę, quod in singulis membris ante contulissent utile, ab eo protinus desistere, quemadmodum etiam ligatis arterijs, quæ ultra ligaturam sunt, partes motu dilatationis constrictionisque, & ligatis neruis eędem motu ac sensu confestim priuantur: at cum id non fiat, necessariò consequitur, quòd nec etiam à corde per arterias uis sensus & motus ad cerebrum transmittitur, quod erat Auerrois aduersus Galenum maximum fundamentum, quo quidem destructo, eius quoque rationes quàmfacillime corruant necesse est.

4. de usu. part. & 9. eiusdẽ non longè à principio

Con-

Confutatio fundamenti Aristotelis. *Cap. 5.*

NEc minus etiam ex his, quæ hactenus sunt declarata, Aristotelis fundamentum haud difficile dissolui posse existimamus, quando minorem illam sub ea mitiori, in qua conuenit cum Galeno, desumpsit, utpote quòd cor est principium uitę, & organi uirtutis sensus & motus: ab eo namque (ut ipse arbitratur) nerui originem ducunt, neque uerum est, quòd nerui oriantur à corde, nam licet in corde neruosa quidem corpora reperiantur, quæ cum neruis similitudinem habere uideantur, nō tamen ea (ut uoluit Arist.) neruos esse, nec neruorū functiones obtinere ualidissime probabat Galenus, in quē propemodum errorem Auerrois quoque incidisse uidetur qui hæc & ligamēta quęque sub neruorum nomine constituens ossa per neruos colligari, & alibi neruos & ligamenta eadem esse affirmauit. 2. de dogm. Hippo. & Plat. ppe finem.

Rationes ex Aristoteles desumptę, ac eorum confutatio. *Cap. 6.*

PRoinde cum Arist. & eius sectatores tum ut propriam tueantur opinionem, tum ut illam Galeni destruere conentur, multas alias rationes fuerint machinati, non grauabor nonnullas ex his ac magis firmas in medium proponere, easque dissoluere siquidē ex ipsorum dissolutione cuique facillime conspicuum esse poterit, Galenum non sine rationibus, ac ueriori fortassis fundamento cerebrum membrum esse principale putasse. Fuit igitur altera Aristotelis ratio, quòd cum ipsum cor primum generetur, & deinde ab eo reliqua omnia, nil aliud possumus, quàm ipsum esse totius, ac omnium membrorum principium affirmare, quam quidem rationem non sibi constare uoluit Galenus in libro de fętuū format. quinimo inquit ipse, quòd licet in libro de semine eodem tempore cor, hepar, & cerebrum generari dixerit, probabilius attamen dicendum uidetur, quòd iecur prius generetur, quàm cor, quòd si etiam cor prius generari concederetur, non aliud ex eo nisi cor motus pulsatiui, non autem motus uoluntarij principium esse consequeretur. Non igitur ualet ratio à generationis exordio desumpta, siquidem ex Gal. sententia libello illo de fętuum form. dum aliorum philosophorum, ac medicorum placita de fætus generatione dispensationeq; comprobat, rectius uenę, arterię, ac nerui præcipua membra forent, ex quibus cerebrum, cor, ac iecur conficien-

3. de natu. anim. cap. 5. & 2. de part. anim. cap. 9. 2. de anima.

2. de gen. ani. cap. 4.

ficiuntur, ut ex uirgultis, atque radicibus plãta, uerum hæc non nisi principia duntaxat generationis existunt, quinimmo cum fœtus non solum plantę, sed & animalis operationes exercet, quæ prius exordii partes erant, proprio munere frustrantur, ac eorum uices subeunt tria illa membra ueluti trium diuersarum uirtutum fontes, atque principia. Neque etiam ualet ratio illa, quòd cùm cerebrum cordis aut arteriarum calore, actioneque, ut melius operetur, indigeat, cor igitur est cerebro principalius, atque præstantius, quemadmodum nec etiam ualet, cor cerebro indiget, & operatione facultatis à cerebro delatæ, qua pectus mouetur, sine quo motu cordis calor extingueretur, ergo cor à cerebro uim suscipit, & cerebrum eo magis præstans, principaleque existit, quóniam licet cor egeat cerebro, & cerebrum corde, non tamen ut illud quidem ab eo uim pulsandi suscipiat, hoc uerò ab altero sentiendi, mouendique facultatem, ut ex Galeni sententia superius dictum est, hunc enim in modum facultates inter sese habent, quòd earum qualibet

9. meth. cap. 10.

deperdita (ut recte asserit Galenus) reliquæ quoque unà pereant necesse est, sibi namque inuicem uirtutes huiusmodi, & spiritus quoque, quibus eæ utuntur, consentiunt, & ob id timentes multotiens tremore affici cõtingisse conspicimus, quandoquidem ob timorem uitali spiritu ad cor retracto, per cõsensum animalis etiã spiritus ad cerebrum retrahitur, quod pariter in dormientibus, & uigilantibus cum horũ spirituũ motus adinuicem se consequũtur, haud difficile uidere licet. Verum si quis denuo dicat, ꝙ cerebrũ sua frigiditate uitalem cõtemperat spiritum, ut pro sensu & motu congruam caloris mensuram obtineat, quod sanè fuit Aristote-

2. de part. ani. cap 7. & 2. collig. cap. 21.

lis, Auerroisque placitum, asserentium, quod cerebrum cordi hoc præstat utile, ut eius caliditatem contemperet, ac cum frigiditas ad naturę opera nonnisi per accidens secundarioque concurrat, quod etiam Gal. confirmat, frigiditatem nulli functioni

4. metheo. 6. de acc. & mor. cap. 3.

utilem esse inquiens, relinquitur, quòd cerebrũ per se ad sensum & motum non concurrit, sed per accidens & secundariò, ut cordis calorem contemperet, sed cum cor per se & primariò cerebro utilitatem præstet, necessariò erit & præstantius & principalius illo, hoc nihil efficit, propterea quòd quemadmodum ossa, & reliquæ partes frigidę in sanguinem calidum agunt, eum alterando, ut illo nutriantur, uerum non sua per se frigiditate, sed proprio naturali potius calore, qui eo magis remissus est in sanguine reperto, ita & cerebrum non frigiditate per se, sed proprio calore uitalem

uitalem ſpiritum alterat, qui cum ſit calore in ſpiritu uitali conclúſo languidior, in animalis ſpiritus ex uitali generatione eum minus calidum reddit.

Rationum Chryſippi ac Zenonis, necnon aliorum dilutio. Cap. 7.

PORRÒ rationes illas Chryſippi, Zenonis, ac aliorum quicumque cum eorum ſectatoribus diſputaturus eſt, ex Galeni placitis, ac fundamentis quàm facillime diſſoluet: imprimis namque ſi quis illorum diceret Chryſippum imitatus, quòd ubi animi affectus ſunt, ut ira, triſtitia, & timor, ibi etiam eſt mens, cogitatio, & ſenſus, ac motus, ſed in corde eſt ira, triſtitia, timor & alia id genus: igitur in corde eſt mens, cogitatio, ſenſus & motus, is profectò nihil haberet, cum maior propoſitio falſa ſit, & nullibi à Chryſippo comprobata, ut Galenus aduerſus eum in libris de dogm. Hippo. & Plat. ac pręſertim in 3. diffuſius digreditur oſtendens poetarum authoritates, & aliorum, quas Chryſippus adducebat ut teſtes, nihil eorum quod intendebat, comprobare, at potius nonnunquam eius placita diluere. Inſuper ſi quis (ut Zeno) argumentatus fuerit, ſicut uox ita oratio per guttur procedit, quòd ſi à cerebro emitteretur, non per guttur emitteretur, oratio autem à mente, cogitatione, ac uoluntate procedit, mens igitur cogitatio, ac uoluntas non in partibus ſuperioribus, in capite ſcilicet, erit, ſed in inferioribus nempè in corde gutturi proximo, unde procedit oratio, collocabitur: hæc ſanè ratio nihil ualet, etenim captioſa eſt, quemadmodum nec ualeret, ſi quis diceret, urina per penem procedit, deiectio autem per ſedem, quòd ſi unaquæque dictarum à corde emitteretur, nequaquam per penem, aut ſedem exiret, ſed unaquæque dictarum à uoluntate noſtra emittitur ergo uoluntas in corde non collocatur, rationem autem captioſam eſſe deprehendimus ex diſtinctione præpoſitionis, quæ in ratione eſt aſſumpta, quæ pro ex, & pro ὑπὸ .i. a, uel ab, ſummi ſolet, quòd ſi primo modo deſumatur, ex uaſe continente, ſin autem ſecundo à facultate, & uirtute emitti ſignificat: Vnde ἀπο ſumpta pro ex, uerum eſt, cum dicitur ſi ex cerebro tanquam ex uaſe oratio emitteretur, id non per guttur efficeretur: falſum autem eſt, quòd oratio ex mente, cogitatione, ac uoluntate, tanquam ex uaſe procedat, ſumpta uerò ἀπὸ pro a uel ab, falſum eſt cum dicitur, quòd ſi oratio à cerebro tanquam à facultate, & uirtute emitteretur, id

non per guttur efficeretur, ut ex his, quæ de urina, deiectionibusque diximus, facilime constat. Quemadmodum etiam nil probat altera Chrysippi ratio, de qua sicut & de superiori meminit Galenus: dicebat namque Chrysippus cùm ἐγὼ dicimus manu admota pectori nos ipsos monstramus dicentes tibi hoc ego dico, ad me hoc pertinet, & alia istiusmodi, quasi nostram ibi esse mentem asseuerantes, item cum ἐγὼ pronunciamus in prima syllaba, quę est ἐ os & mentum in partem inferiorem quasi ad pectus retrahimus, ibi esse animę ipsius principatum significantes, hęc sanè ratio nihil ualet, nam (ut inquit Galenus) solent etiam plerique homines manu nasum tangentes dicere tibi hoc ego dico, ad me hoc pertinet, non tamen propter hoc in cerebro animę principatum esse arguendum est: quare manus admota pectori non magis in corde esse animę principatum, quàm admota naso in capite, siue cerebro significabit. Quod etiam de ἐγὼ pronunciatione dicendum est quinnimo ait Galenus uerisimilius est, ut quod primum in nobis annuentibus membrum moueatur, in eo esse animę principatum existimemus, quàm in alia parte, ad quam membrum, quod mouetur, feratur, atque inclinet: Et obid ea ratio nihil efficit, sicut neque aliquid efficeret, si quis diceret, quòd cum quis aut aliquid respuit, aut assentitur, id ostendit caput mouendo, ergo in capite animę principatum existit. Possem (si uellem) innumeras huiusmodi rationes in medium adducere, uerum cum uanę sint, & futiles, utpote ex assumptionibus ex rei substantia desumptis nō constantes, sed aut cauillatorię, aut rhetoricæ, aut topicę, hic con, sultò silētio eas inuoluā, at cū Arist. & Gal. ex colligantia rationē illam, in cuius maiori ambo conueniunt, construxerint, Aristotelis autem fundamentum infirmius existat, ac à Galeno ualidissime desolatum, illud autem Galeni & firmius, & solidius, quod sanè ab Auer. & aliis haudquaquam dirimi posSit, non nisi & rectius, & magis diserte ab eo opinionem suam deffensam proculdubiò fuisse, est asserendum,

2. de dog. Hippo. & Plat.

De nutritiua uirtute, num ea in hepate ut membro principali collocetur.
Cap. 8.

DE nutritiua autem siue naturali, sanguifactiuave uirtute inter Aristo. & Galenum non parua quoque lis est, cum Aristoteles huiusmodi facultatem ex corde, Galenus autem

ex

ex hepate originem habere sentiant, qui pariter conueniunt in maiori propositione id nempè esse generandi sanguinem, nutritiuęque facultatis principium, quod uenarum initium est: dissident autem in minori, quando Aristo. hanc minorem suscipit, cor est principium uenarum, ergo cor ipsum (quę sanè conclusio ex pręmissis necessariò consequitur) facultatis generatiuę principium existit. Galenus autem alteram diuersam subsumit, hepar est uenarum principium, ergo & principium sanguifactiuę facultatis. Vt autem eorum quisque suam comprobaret propositionem altera ex parte quàmplurimis rationibus Galenus 6. de decr. Hippo. & Plat. ex altera Aristoteles in libris de partibus animalium, nec non & Auerrois eius interpres in commētarijs super eosdémet libros, ac suo collectaneum uolumine id perficere conati sunt: quę quidē rationes tametsi ex rei substantia nequaquam deprompte sunt, attamen si quis pacato animo illas utriusque recte perpendat, Galenum non absque ratione aduersus Aristotelē arma sumpsisse haud difficile cognoscet, siquidem eius rationes licet demonstratiuę nō sint, quibusdam tamē illarum nullam hucusque perfectam resolutionem audire ab ullo potui. Quo fit, ut uel maxime admirer eorum impudentiam, qui tanti uiri sincerum animum haud perpendentes, aduersus eum tot calumnias dicere non erubescunt. Sed iam unde nostra discessit oratio reuertamur, rationesque utriusque, quò unusquisque facile intelligat, uera horum recta fuerit opinio, diligentissime examinemus.

Prima Galeni ratio pro sua tutanda sententia. *Cap. 9.*

GAlenus itaque (ut ab eo primum exordiar) loco pręallegato multis rationibus suam minorem nititur corroborare, eamque Aristotelis diluere propositionem, inter quas est una, quòd si uirtus sanguifactiua, uenęque orirentur à corde, eadem profectò facultas uenis perinde ac arteriis communicaretur, siquidem arterię nulla alia de causa pulsant, nisi quòd ab illo eadē plane pulsandi uis tunicis earum communicatur, at cum uenę non pulsent, neque etiam à corde ortum habere poterunt: At si quis pro Aristotele dicat, rationem hanc nullam esse, quandoquidem uena arterialis oritur à corde, & tamen non pulsat, & ob id ratione hac non conuinci, quòd si uenæ orirentur à corde, pulsum haberent, sicut & arterię: Huic facile instare possemus, quòd si ue

na arterialis à corde initium sumeret, non in his duntaxat, quę pulmone prędita sunt, sed in omnibus semper reperiretur animalibus: uerum cum sit uenæ magnæ pars, quæ in animalibus dextrum uentriculum habentibus per illam cordi partem transiens sanguinem magis subtilem, ac congruum defert pulmoni, nulli mirum esse debet, si ei pulsandi uis, quemadmodum arteriis non demandatur, sed illa solum, quę à iecore communicatur, tametsi unam tantummodo tunicam possideat, cuius quidem causa aliàs tum à Galeno, tum à nobis diffusius est explanata.

Secũda & tertia Galeni ratio, & Auerrois responsiones ad utrãque, unà cum instantijs ad uersus Auer. responsiones. Cap. 10.

INsuper Galenus ibidem duabus alijs ualidioribus cõprobat rationibus inquiẽs, si cor sanguinis & uenarum esset principium, duas planè ad sanguinis generationem uenas habuisset, quarum altera humorem in hepate præparatum introduceret, altera uerò in totum corpus traduceret, sicut facile conspicimus, quòd ex arteriis altera quidem spiritum introducit, altera uerò educit, sed ad cor uena duntaxat caua peruenit, quæ sanguinem introducit, nulla autem reperitur, quę ad totum corpus sanguinem traducat: uena enim quę sanguinem elaboratum in dextro cordis sinu ad pulmonem educit, ut eo nutriatur sanguinem ad uniuersum corpus deferre non ualet, ut satis cuique ex ipsa corporis dissectione conspicuum esse potest. Quod autem non possit quis dicere per eandem uenam posse sanguinem retrocedere ex Galeni placitis, & anatomicis administrationibus facillime declaratur, nam cum quatuor sint in corde, orificia duo quidem in dextro, duo autem in sinistro sinu, in orificio quidem uenę cauę dextri sinus tres sunt membranulę, sagittis similes, in sinistro autem sinu orificium arterię uenalis duas habet membranulas eandem figuram habentes, per quę duo materia introducitur: per alia autem duo orificia materia ad pulmonem, aut magnam arteriam educitur, & illorum unumquodque tres habet membranulas C litterę similes: Ex dictis autem membranulis, quę uasis inhęrent materiam introducentibus, deforis introrsum uergunt, ut à materierum impetu impulsę & resupinatę cordis aperiant orificia, & aditum materiebus, quę attrahuntur, liberum pręstent, quibus intromissis dictę membranulę uasorum oscula claudunt, neque quod ingressum est, regredi permittunt: Cum igitur sanguis dextrum cordis

sinum

ſinum ingreſſus, neque per idem orificium, neque per aliud ex dextro aut ſiniſtro ad uniuerſum corpus traduci ualent, neceſſario conſequitur, ut ſanguis, ex quo totum corpus nutritur, non in corde, ſed in iecore generetur: pręterea ſi idem eſt naturę rei, & doctrinę principium, quod etiam apertisſime oſtendi poteſt, ſi quis enim aquę alicuius inductitię in urbem exponere diſtributionem cuperet, is non aliunde, quàm à primo aquę ingreſſu narrationis exordium ſuſciperet, atque neceſſe prorſus eſſet, ut loco prius explanato, ubi aqua intro influxit ab eo omnem hiſtoriam contexeret, ſed nullus ex anatomicis, qui de uenarum ſectione conſcripſit aliud doctrinę principium idoneum præter iecur facere potuit: uidetur igitur, quod iecur potius, quàm cor uenarum principium exiſtat. Primę quidem ex his rationi conatus eſt reſpondere Auerrois, inquiens, Ariſtotelis fuiſſe ſententiam, quod nutrimētum omnium membrorum ex duplici ſanguine cōſtitutū eſt, uenali ſcilicet, ueluti materia & arteriali, qui eſt forma, uenali complementum, coctionemque tribuens, & licet totus ſanguis in corde non perficiatur, in uenis tamen à ſpiritu, & ſanguine arteriali ob uirtutem ſuſceptam à corde perficitur, ſiquidem uenę per corpus in ramos diſſeminatæ ſunt, quemadmodum & arterię, nonnullique meatus reperiuntur, qui à uenis ad arterias, & ab arteriis ad uenas pertranſeunt, ut etiam ipſemet Galenus in lib. de uſu pulſuum, & alibi ſępius clarisſime confitetur, ſecundæ autem rationi, Auerrois, aliiſque Ariſtotelis fautores reſpondere poſſent, quod uerum eſt Galeni aſſumptum, attamen non ob id concludendum eſt in hepate ſanguinis profectiuum adeſſe principiū, ſiquidem hepar imperfecti duntaxat ſanguinis initium eſt, ac ueluti quædam præparatio illius, quod à corde & rectius concoqui, & ad perfectionem deduci debet. Aduerſus has reſponſiones duæ Galeni adſunt inſtantię, quarum prima demonſtrabat ſanguinem in iecore, non autem in corde, neque arteriis perfectam recipere coctionem, namque uaſa ordinaſſe repurgatoria excrementorum, quaſi ſanguis perfectam & abſolutam, conuenientemque formam in hepate adeptus fuerit, ſiquidem præparauit lienem quidem melancholicam ſuperfluitatem, ueſicam felleam, flauam bilem, & renes aquoſum expurgantes humorem: quod cum non fecerit in corde, neque minus in ipſis arteriis inditium eſt euidentisſimum in his ſanguinem aliam ab ea, quàm in iecore, formam, atque perfectionē non ſuſcipere: Vnde ſanguis & in dextro cordis uentriculo

2. Colli.c. 8. & 3. de par. anim. c. de cord.

culo, & uenis omnibus contentus, non ab eo dissimilis est, qui hepatis uirtutem ac formam susceperat, quando qui in dextro cordis sinu detinetur ex ea parua mora ibidem nihil eximium acquisiuerit, quique in uenis continetur, nihil prorsus ab arteriarum uirtute fuerit immutatus: alia autem instantia declarans Galenus sententiam quorundam dicētium, iecur quasi ministrum ad magnum quoddam opus à natura cordi adiunctum esse, quo uidelicet ipsi materiam præpararet, sicut ipsum à uentriculo præparatum accipit, ostendebat, quod uerisimilis quidem ratio est, non tamen uera: clare namque apparet non tanquam ministrum cordi materiam præparare, sed eam ut principem distribuere, quandoquidem omnia membra aliis materiam præparantia totam & integrã eam reseruant illis, quibus præparant, & non partem quidem distribuunt, partem uero reseruant, siquidem in pulmone cordi aerem pręparante nullus alius est meatus aliorsum tendens quàm ad cor unus, pariter ex uentriculo & intestinis nullum aliò foramen permeat quàm ad hepar, neque explexu retiformi nisi ad cerebrum meatus ascendũt, neque ex uasis semen præparãtibus testes patet aditus, uerum iecur non totum seruat sanguinem cordi, sed eum per diuersas corporis partes distribuit, quod clarissime constat in illa sanguinis distributione, quæ ad inferiores partes efficitur, quòd si in ipso iecore non fuisset perfecte concoctus, non eum distribueret, priusquã in corde perfectam suscepisset concoctionẽ.

Quarta Galeni ratio & comprobatio. *cap.* 11.

NEque his contentus Galenus rationibus, alia adhuc eodem libro ad suam firmandam minorem propositionem utebatur ratiocinatione, nam si cor esset uenę etiam cauæ, sicut arterię magnę principium, maxima profectò uenę pars, quæ cordi continua est, conspiceretur, at cum uena hęc ab hepate exiens ea parte, qua hepati continua est, maior existat, quàm ea parte, qua cordi est continua: igitur in hepate uenarum adest principium. Dicet forte quispiam hoc Galeni dictumnon esse perpetuò uerum, aliquando enim nonnulla ubi oriri incipiunt, quàm aliis in locis minora esse uisum est: insuper non ita manifeste constat, sicut autumat ipse, cauam uenam maiorem esse ea parte, qua oritur ab hepate, quàm ea parte, qua cordi continua est. Hæc utique ad Galeni rationem, euasio nulla est, si quidem

dem non probat ipse quæque aliis in locis, quàm in eorum principiis esse angustiora, sed propterea quòd uenę, & arterię ab eodem principio ex Aristotelis sententia producuntur, sicut arteriarum principium à corde prodiens eo in loco, quàm alibi maius est, ergo & uenarum principium ibidem maius esse deberet, non enim maior ratio de uno est, quàm de alio, at cum in hepate ramus ab eo exiens maior sit, ergo uerisimilius est, quòd etiam ibidem, non autem in corde illius adsit principium. Quòd autem dubium non sit uenę partem in hepate maiorem quàm alibi esse, is ex anatomicis dissectionibus, si uolet, facillime addiscet.

Quinta Galeni ratio, & corroboratio. *Cap.* 12.

SEd iam ad aliam accedamus Galeni rationem, quæ talis est, si uenæ orirentur a corde, nullus ramus ortus ab his, quæ ex eo ortũ haberent, retrocedens cordi nutrimentum deferret, sed caua uena unus oritur ramus cordi deferens nutrimentum, ergo a corde uena non oritur caua, sed ab ipso iecore: Maiorem declarat Galenus, siquidem nullum arteriæ orientis à corde ramum ad ipsum, pariter neque ullum ad cerebrum, neque uenã ad hepar retrocedere conspicimus. Posset quis dicere rationem hanc nullam planè esse, propterea quòd reperitur quidam arterię ramus, qui unà cum uena prædicta reflectitur ad cor, ob id tamen ne ullus quidem cor ipsum arteriarum non esse principium diceret. Fateor equidem (ut antea dixi) huiusmodi rationes, atque hanc præcipue demonstratiuas non esse, eam tamen à Galeno uel optime, si illius uis recte à nobis perpendatur, posse tutari existimo, nam etsi arteriæ ramulus quidam exilis circa extimam cordis partem reflectitur, ratio tamen ipsius de ramis uenæ magnę insignibus, quæ non solum externæ, sed & internæ cordis substantię nutrimentum afferunt, concludit, quasi dicat hunc in modum erigens rationem, sicut ad cor non reflectuntur insignes arteriæ rami, & intrinsecus ad dandam uirtutem uitalem non impelluntur, pariter nec nerui ad cerebrũ, nec uenæ ad hepar, propterea quòd & corde arteriarum, & cerebro neruorum, & hepate uenarum principio existente, uasa illa in eorum partibus disseminantur, neque necesse, ut ipsorum fiat refractio, sed in partibus internis disseminata ad externas propelluntur, ita etiam uenę si à corde originem ducerent, in eius,

substantiam

ſubſtantiam uenarum rami tam extrinſecus, quàm intrinſecus, inſerti eſſent, ut neceſſarium non eſſet eos ad ipſum retrocedere, & intra illius partes internas introcludi.

Sexta Galeni ratio & corroboratio aduerſus Ariſto. *Cap.* 13.

ADhęc nitebatur ad huc ibidem Galenus propoſitum alia ratione confirmare, ſuppoſito fundamento ab ipſomet aliàs, & præſertim in libris de por. natur. diffuſius comprobato, & ab omnibus fermè medicis philoſophisq; cōceſſo, nēpè ꝙ oē qđ nutrit in nutriti naturam & ſubſtantiam commutatur, ſiquidem in uentriculum cibus ingreditur, quem arcte cōplectitur, commutat, ac ſibi colore ſimilem reddit, ut eo ſaturetur, idem autem poſtea ad hepar traductus, ſubſtantiæ & carni hepatis ſimilis efficitur, ita ut ſi ſanguinem in hepate, & uenis ſpectauerimus, nulla profecto eſt ſubſtantia magis ſimilis, quàm hepatis caro, quod ſi ſanguis ad hepatis naturam uel maxime conuerſus eſt, nonne clariſſime confiteri debemus & ab eo ſanguificationis principium, necnon ibidē uirtutem nutritiuā collocandā eſſe? Neque quiſpiā dicere pōt cor eſſe ita ſanguini ſimile, ſicut iecur, quod quidem eſt corde humidius, rubicundius, atque mollius, cor ſiquidem ſiccius fuit, atque calidius iecore, ut eſſet durius, duplicique motu cieri poſſet, quemadmodum & arteriæ, ex hac autem duritie robur quoddam, ac denſitatem adeptus eſt, quo aſſiduum illum motum ſufferret. Proinde quanto cor calidius hepate, tanto ſanguis cordis fuit flauior, hic namque color ſanguinis ſiccioris proprius exiſtit, ſicut rubor humidioris. Hepar igitur principiū eſt ſanguinis humidioris, rubriorisque cum eius caro illi maxime ſimilis ſit, ut non niſi ſanguis coagulatus uideatur: unde non ſine ratione 4. de uſu partium ſicut & eo libro de dogm. Hippo. & Plat. Galenus ſcriptum reliquit nihil poſſe pro ſanguinis generatione quàm hepatis carnem, quæ ei maxime proxima eſt, cōuenientius imaginari: Neq; poteſt ad huc quiſpiam dicere membra ſanguine ſolum arteriali nutriri, nam cum uenę ſanguinem in hepate genitum, ac craſſum deferant, & fruſtra in totū corpus fuiſſent à natura diſtributę, & oīa fermè mēbra excepto pulmone ut pote ex ſubſtantia craſſa confecta, non ſibi ſimili craſſo ſanguine nutrirentur, ſed ſanguine arteriali, qui eis conueniens nutrimentum non eſt: Sanè uerò maximum eſſet abſurdum, ſi quis has in medium filaterias proferre auſus eſſet,

Septima ratio Galeni ex plantarum ſimilitudine deſumpta. Cap. 14.

POſtremò eandem roborabat propoſitionem Galenus deſumpta à plantis ſimilitudine, in quibus eſt in aere truncus in plures ramos diuiſus, & in terra radix multas in partes diſſecta, quæ quidem omnes partes ex uno ſeminis grano originem trahunt, nam ſicut in plantis omnia hæc reperiuntur, ſimili quoque ratione conſpicimus ex hepate, ut ex grano ſeminis oriri portę uenam, quæ eſt ueluti radix in plures diuiſa à uentre & inteſtinis, ut radices ex terra nutrimentum exhauriens: ex alia autem parte eſt uena chyli, ut truncus plures in ramos diſperſus: Quòd ſi ab hepate tãquam ab uno principio hæc oriuntur omnia, erimus ne tam pertinaces, ut à corde, non autem ab hepate uenas originem trahere exiſtimemus? Sed dicet forte quiſpiam, quòd argumentum à ſimilitudine deſumptum nullum eſt, eo quòd uenę ex corde genitæ ad hepar demiſſę eo modo diuidũtur, in hepate namque ſanguis gignitur imperfectus, qui demum (ut dictum eſt) à corde perficitur. Contra hoc inſtare poſſet Galenus inquiens, uenam cauam non ſolum oriri à partibus iecoris gibboſis, ſed & alteram, quæ porta dicitur, ex concauis eius partibus, quæ diſtribuitur ad omentũ inteſtina, uentrem, aliasq; partes diuiſam adhuc & in alias, quarum nulla eſt, quæ ſpectetur cordi continuata, item uenę fętum matrici alligantes, atque in membrana fœtum inuoluente diſſeminatę omnes tandem ad hepar annectuntur, neque ullam cum corde habent communionem, non igitur uenę à corde ad hepar demandantur, neque minus cor eis tribuit perfectionẽ. Proinde ad hoc fortaſſe dices, quòd uena arterialis pulmoni ſanguinem defferens cordi duntaxat annectitur, cui quidem nulla prorſus cum hepate, alijsque uenis annexio conſpicitur, quod idem etiam Galenus 6. de uſu partium cap. 11. aſſerere uidetur: & ob id aſſumptum uerum non eſt, quo ab hepate uenas omnes originẽ ducere aſſeuerabamus. Hanc quidem rationem, ut etiam ſuperius diximus ex Galeni placitis oppugnare poſſemus, quòd ſi uena arterialis à corde originem traheret, in omnibus planè reperiretur animantibus, at cum uena illa uenę magnę pars ſit, nulli dubium eſſe poteſt eam cum hepate non modicam habere cõnexionem. Quocirca cum Galenus ex corporum diſſectione cognouiſſet, quòd ſi uenę à corde ortum haberent, à dextro eius uentriculo, non à ſiniſtro principium ſumerent, cum à ſiniſtro Ahortę prin-

cipium reperiatur, conatus eſt comprobare uenam magnam à dextro cordis uentriculo originem non ducere aduerſus Ariſtotelem, ratione meo quidem iudicio ualidisſima, nam ſi multa ſunt animalia, quæ dextro cordis carent uentriculo, in quibus tamen magna uena adeſt, à qua nam cordis parte ortum habebit? non potes utique dicere eam à ſiniſtro eiuſdem oriri ſinu, quandoquidem Ahortę principium conſpicitur: minus autem negare potes, quòd in quibuſdam ſiniſter tantum adſit cordis uentriculus, ſiquidem hoc idem aſſerit Ariſtotelis inquiens, in corde magnorum animaliũ tres reperiri uentres, in mediocribus duos, in paruis uerò unum duntaxat: Galenus autem apertisſime demonſtrare contendit, ab Ariſtotele tamen diſcors, quòd hanc animalium diſtinctionē iuxta hos tres cordis uentres non cõſtituit, ſed ſiue animal magnum ſit, ſiue paruum, dummodo pulmonem habeat, dextrum etiam cordis uentriculum habere uoluit, quòd ſi pulmone careat, dextro etiam cordis ſinu uacare ab ipſo repertum eſt, natura namque in huiuſmodi animalibus talem uentrem effinxit, ut uena magna per ipſum tranſiens ſanguinem ibidem elaboratum pro pulmonis nutritione defferret, quod quidem in aliis pulmone carentibus reperiri haud neceſſarium erat, at cum ex aduerſo in omnibus ſemper ſanguine, uenisque præditis hepar adſit, atque ab eo quæque effluant uenę, neceſſariò concludendum eſt, uenas omnes ab hepate, non autem à corde principium ſibi uendicare. Hę ſunt pro Galeno potiores rationes.

3. de part. ani. c. 4.

6. de uſ. par. cap. 9. & 7. de ad miniſt. anatom.

Ariſt. rationis confutatio. *Cap.* 15.

ARiſtoteles autem ſuam & ipſe confirmat minorem propoſitionem, utpote quòd cor ipſum, non autem hepar ſit uenarum principium, atque hac imprimis ratione, nam ſi in nullo membro præterquam in corde extra uaſa ſanguis reperitur, cor autem ipſius eſt conceptaculum, ac fons, ubi autem ſanguinis fons, ibi etiam principium eiuſdem, cor igitur uenarum ac ſanguinis principium exiſtit, ſicut enim uidemus in fluminibus diuerſos habentibus riuos, quòd hi tandem omnes ad unum, à quo oriuntur, fontem deducuntur: ita etiam in animali ſanguis intra uenas ueluti riuos recluſus per ſingulas corporis partes diſſeminatus, ad cor tanquam ad fontem deducitur. Hæc quidem ratio facillime à Galeno diſſoluitur, falſum namque eſt, quòd in ſolo

3. de part. ani. cap. 4.

9. de uſ. part. c. 6.

ſolo corde ſanguis extra uenas inueniatur, ſiquidem, inquit ipſe, ſanguinem in torculari, quod eſt in ſumitate cerebri, contineri, non tamen ob id torcular ipſum ſanguinis eſſe fontem, ac principium dicendum eſt. (ut autem in hepate, ſicut in corde natura unum magnum non fecerit conceptaculum, ſed uenas per ipſum diſſeminauerit, rationem asſignabat Galenus dicens, hoc feciſſe naturam, ut humor attractus, & in hepate cõtentus, melius alterationem ſuſciperet, ac ſanguinis generatio exquiſitior efficeretur, quod non contigiſſet ſi in hepate magnam feciſſet concauitatem: ſola enim pars illa humoris, quæ iecur contigiſſet, alterata fuiſſet, quæ autem magis in profundo fuiſſet contenta, haudquaquam. Quam etiam ob cauſam natura earum uenarum tunicas tenuisſimas effecit, quò hepatis caro in materiam, quæ in ſanguinem uerti debebat, commodius ageret, at in corde unum magnum receptaculum efformauit: ibi namque ſanguis, neque magnam ſuſcipere alterationem, neque diutius ut alteraretur, commorari debebat, ſed ſat erat, ut quòd congruo pulmonis nutrimento, ſubtiliaretur, ac paulopoſt partim quidem ad ſiniſtrũ cordis ſinum, partim autem ad pulmonẽ per uenam arterialem trãſmitteretur. 4. de uſ. par. 13.

Auerrois rationis confutatio. *Cap.* 16.

AVerrois etiam alteram pro Ariſtotele rationem conſtituit, ſi cor in uirtute nutritiua principatum non obtineret, nullo pacto principale membrum foret, ſed hoc quidem conſequens eſſe non poteſt, ergo falſum etiam eſt, quòd nutritiuę principium non ſit, conſequens autem facile demonſtratur, nam cum in animali ex Auerrois ſententia, præter nutritiuam, atque animalẽ nulla ſit uirtus, cumque ex Galeni decretis (ut ſuperius explicatum eſt) cor non ſit animalis principiũ, ſi nutritiuæ quoque principium non erit, ergo nec etiam abſolute principium, cum præter illas duas nec ulla quidem uirtus concedatur. Quod ſi quis dicat, quòd cor uitalis uirtutis eſt principium, quæ ipſum & arterias cit motu dilatationis, atque conſtrictionis, quę ſanè facultas nutritiua nominari non debet: contra, inquit Auerrois, ſicut uidemus uentriculum, & cæteras partes facultatem habere attractiuã, contentiuam, & expultricem, quibus mouẽtur ad attrahendũ, cõtinẽdũ, & expellẽdũ, que quidẽ uirtutes ideo naturales dicũtur, quia, nutritioni deſeruiunt: pariter etiam de cordis facultate dicendum 2. colli. 9. & 3. de part. ani. c. de corde.

 uidetur,

uidetur, qua unà cum arteriis constringitur, ac dilatatur, ut calor naturalis conseruetur, sine quo, & eius conseruatione nutritio fieri non posset: sic enim uirtus hæc perinde ac illę uidentur nutritioni deseruire. Huic responderet Galenus non esse eandem rationem de uirtute cordis, & aliarum uirtutum nutritioni deseruientium, hę namque non semper operantur (ut cordis uirtus, qua ipsum & arterię semper alternatim dilatantur, atque constringuntur) sed statutis quibusdam temporibus, siquidem contentiua certo tẽpore, sed nõ semper cõtinet pariter & attractiua expultrixque facultas, ob id licet cordis facultas quatenus naturalem conseruat calorem, nutritioni sit utilis, non tamen dicendum est, eam esse naturalem perinde ac nutritiua, cuius manifestum inditium est, quoniam plantis, in quibus sola, secundum Aristo. nutritiua est, alię prædictę nutritioni deseruientes ut pote contentiua, attractiua, alteratiua, & expulsiua insunt uirtutes, quę tamen plantę cordis uirtute deficiunt. Manifeste igitur constat uirtutem cordis à nutritiua ualde distingui, atque ob id Auerrois argumentum à Galeno quàm facillime dissolui posse.

Aristotelicarum rationum dissolutiones. *Cap.* 17.

Altera pręterea est Aristotelis ratio idipsum corroborans, quam eius interpretes sectatoresque hunc in modum conficiunt, venarum origo, & uenę ipsę eiusdem naturę esse debent, sed nullum membrum est, quod sit eiusdem naturę cum uena, nisi cor, ergò ipsum earum principium est: maior quidem propositio ab eis ostenditur, uidemus namque surculos, & ramos arboris eiusdem esse naturę cum arbore, a quo oriuntur, minor autem manifesta est, si quidẽ uena dura est perinde, atque cor, quam tamen duritiem non possidet hepar. Ratio sanè hæc falsa est, quoniam si ob hoc cor uenarum principium foret, dubio procul trium etiam naturarum esset, & quemadmodum diximus de similitudine cum uenis, ita & ratio de neruis procederet: prætetea hac eadem ratione renes ipsarum esse principium comprobare possemus, nam uenę renibus ualde similes esse uidentur. Est & altera ratio, quam ex Aristo. ijdem quoque colligunt, quæ talis est, illud est uenarum origo, à quo omnia membra nutrimentum rectè accipere possunt, sed cor est in medio situm, ut commode ex eo cibus hauriatur, ergò principium est omnium, solet enim

enim natura rem nobiliorem in locis nobilioribus collocare, nisi quid aliud impediat: quod quidem confirmatur, siquidem oportet unum esse principium, ubicunque fieri potest, aptissimus autem locorum omnium medius est, medium enim unum est, ac satis aptum, ut cæteris uires impartiatur. Huic quidem rationi respondet Gal. inquiens, falsum esse cor in medio repositum esse, sed umbilicum, ut quisque facile commensuratione dijudicabit: item quemadmodum non ualet, cerebrum est in capite, ut in arce instar magni regis sensus omnes, ut satellites habens circuniectos, ergò omnium est principium: adhuc si dicas, quod in uniuerso est cęlū, idem in homine est caput (uti superius dictum est) & ut id est deorum domicilium, eodem propè modo non ualet ratio ex cordis situ desumpta, hę namque rationes ex persuasorijs, non autem demonstratiuis assumptionibus constructę sunt. 2. de dog. Hippo. & Plat.

De testibus, num membrum sint principale, Aristo. sententia. Cap. 18.

QVòd uerò ad testes attinet, num membrum sint principale, si Aristo. Galenique rationes æqua lance perpendamus, Galeni placita, quàm Aristotelis tutius defendi posse, facile deprehendemus: nam cum sentiat Arist. unum duntaxat esse principale membrum, cor nempè, à quo cęterę partes originem ducunt, testes non ob aliud à natura genitos esse existimauit, nisi ut uasa ipsa tendantur, ex quibus semen à corde per arterias, & uenas delatum defluat: quòd autem natura testes animalibus indiderit non quidem ut ad generationem necessarios, & quorum munus sit semini perfectam essentiam impartiri, quando pleraque sunt animalia, ut serpentes, & pisces testibus carentia, quæ tamen & coeunt, & meatus seminis genitalis refertos habent, sed solum alicuius utilitatis gratia, probat Arist. siquidem quemadmodum animalia, quibus rectum est intestinum, edaciora, auidioraq́ue sunt, ita etiam quæ aut natura sine testibus, aut eos intus habent ad uenerem propensiora, citatioraq́ue reperiuntur, at in his animalibus, quæ continentiora esse debebant, ut intestini, sic & meatus seminarii inuolutionem, anfractusq́ue natura fabrefecit, ne uehementius, ac crebrius, quàm par erat, libido excitaretur, quod quidem testibus replicationem seruantibus optime factum est, qui utique testes talem uasis seminariis usum præbent, qualem 1. de dog. cap. 4.

quæ pondera textrices distentis telis annectunt: quare his exectis, eoque meatibus intro se retrahentibus cessat generatio, quod utique non efficeretur, nisi intro se uasa retraherent: quare (inquit Arist.) taurũ quẽdã cũ statim à castratione iniisset, impleuisse, qm̃ nondum retracti essent meatus. Quod itidem aliis exemplis demonstrationes à signo conficientibus corroborat, quandoquidem si ex animalium maribus testes abscindãtur, dubiò procul ea in fęminas mutantur, atque similem fæminis uocem emittunt, quoniam uires neruosę (inquit ipse) in suo originali principio laxantur: laxatio uerò similis fit, ut si quis fides intendens pondus adhibuerit, quod annexum reddat contentiores, quomodo textrices faciunt, quæ cum stamina distenderint, annectunt, quas leuas uocant: ita enim natura quoque testium annexa meatibus seminalibus depen det, qui meatus ex uena tendunt, cuius origo è corde est iuxta ipsum principium, quod uocem moueat. Quamobrem meatibus seminalibus immutatis ad eam, quę semen excernere possunt, ætatẽ, pars illa quoque unà cum iis immutatur, qua immutata uox etiam mutatur maxime scilicet maribus, sed fęminis etiam idem accidit quanquã obscurius: Et paulò post subdens ait, causa hæc quamob rem execta mutentur in fęminam tum uoce, tum etiam reliqua forma: quoniam ita accidit, ut principium laxetur, ex quo intensio corporis est, non ut quidam existimant, quòd testes ipsi copula sunt multorum principiorum, sed paruę mutationes causam afferunt magnarum mutationum non sui ratione, sed cum euenit, ut principium unà cum his ipsis mutetur: principia enim quanuis magnitudine parua sint, tamen facultate sunt magna, hoc est enim principium esse, ut ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa. Hęc Aristo. Si igitur testes ad generationẽ necessarii nõ sunt, sed cuiusdam solum utilitatis gratia, ergò mem bra principalia esse non possunt.

5. de gener. ani. c. 7.

Galeni opinio contraria Aristotelis sententię. Cap. 19.

GAlenus autem econuerso libro de semine sentiens in ipsis testibus & semen generari, ac perfici, aduersus Aristo. ualidis admodum rationibus ostendit, testes non à corde uirtutem suscipere, sed eam his esse connatam, atque pręcipuam: Et ob id testes seminariis uasis, non ut telis planulas appensos esse, sed ut maxime ad seminis generationem accõmodatos: nam cum

arterię

arteriç ac uenæ à dorſo per ilia deorſum latæ ad epididimidem illum appendicem, ſiue teſtium inuolucrum tortuoſe quodammodo pertingant (quod ſanè teſte Gal. à natura fabricatum eſt, ut ad uenę, arteriæque duritiem, ac teſticulorum mollitiem ueluti quoddam medium ſit) & ex eo multæ fiſtulę feroſo quodam humore repletæ ad teſtes per uarios quoſdam anfractus permeent, tanta utique uaſorum reuolutio haudquaquam neceſſaria fuiſſet, ſi teſtibus nulla generatio ſeminis adeſſet: Verum cum in ipſis ſanguis ille per uenas & arterias demandatus, & in tranſitu ab his quodammodo dealbatus elaboretur, ut pro ſui nutritione ad ſui ſubſtantiam, quæ alba eſt, conuertatur, quodque teſtibus pro ſui nutritione ſuperfluum eſt, ibidē coaceruetur, donec in coitu ex ipſis in uterum eiaculetur, quis eſt, qui non intelligat, ſemen ipſum in teſtibus & generari, & exquiſitam perfectionem adipiſci? ſatius enim extitiſſet, ſi nulla in his generatio adeſſet, ut è directo & uaſa tenderent, & ſemen, quoad breuius fieri poterat, à corde genitum, ad teſtes deduceretur: præterea ſi cuipiam teſtes abſcindantur, ita ut nullum uas ſeminarium afficiatur, ac epididimides membrum intactum derelinquatur, is utique non tantum ſeminis in uiris generandi facultate priuabitur, ſed & uirilitate omni, ac maſculitate, in fęminis uerò non ſolum coitus appetitu, uerum & fęminea natura, ut in ſuibus fæminis caſtratis apud nos uidere licet, etenim mares, ac fęminę inſiti caloris origine, qui in teſtibus reperitur, deſtituuntur, ac ueluti ſenes euadunt, ac tandem his frigidus, ac imbecillius redditur corpus, uiroſa quippe ac graui quæ è teſtibus per totum animalis corpus diſſeminabatur, parte ſemota.

1. de ſom. propè calcem.

Galeni rationes aduerſus propria Ariſto. fundamenta. Cap. 20.

VErum quoniam huic dicet Ariſt. (quemadmodum ex eius quoque ſententia dictum eſt) quòd uires in huiuſmodi animalibus, quibus teſtes abſciſi ſunt, imbecilliores redduntur, propterea quòd neruoſę partes in ſuo originali principio exoluuntur, & ſicuti fides laxę diuerſum à primo ſonum emittunt, ac figura, & uiribus euariantur, eodem propè modo uaſa quibus teſtes annexi ſunt, cum remittuntur proprium principium imbecillū reddunt. Et ob id homines hi tum uoce, tum forma, tum etiā robore cōmutantur: Gal. aduerſus hanc Ariſto. diſſolutionē pro

5. de gen. ani. cap. 7.

priis

priis fundamentis eo libro de ſem. præcitato conſurgit, oſtendens ipſum pugnantia quidem, ac ſibi inuicem contraria in medium attuliſſe, nam ſi ab eo membrorum firmitatis, ac roboris uel inſitum calorem, uel ſpiritum innatum, uel bonam temperiem cauſam eſſe alibi demonſtratum eſt, ipſe autem (ut illius eo in loco ſonant uerba) ſolam ex annexis ponderibus tenſionem firmitatis, & roboris cauſam exiſtere affirmat, igitur illum pugnantia & pro priis dogmatibus contraria dicere nemo eſt qui non uideat: adde, quòd tenſio hæc uiolenta & præter naturam foret, cum extrinſecus adueniat, quemadmodum in fidibus perſpicue uidere licet, ſiquidem rumpuntur, ſi paulò longiori tempore intenſę ſeruentur: teſtes igitur tenſionis gratia à natura conſtituti non ſunt, ſed ob alium ualde ſanè neceſſarium uſum, nempè ut ſemen in his generetur, ac ex his & maſculi, & fęminę natura dignoſcatur. Futile quinetiam eſt Ariſto. dictum, cum ut propriam aſtrueret opinionem, exiſtimauit teſtes ueluti telis ſtamina cordi appenſos eſſe, nam ſi cor non ex propria natura uim hanc obtinet, ſed externo indiguit auxilio, nempè teſtibus ipſis, qui cor ipſum, ueluti pondera deorſum extendant, quò firmitas, ac robur corpori paretur, melius utique & accõmodatius natura poterat ualidis uinculis ad ſpinam dorſi & ſupra & infra cor, uenam cauam alligare, quibus cohibita, atque intenta ad ſeſe totum cor uiolenter attraheret. quod itidem maxime commodum erat, ſi cor ipſum per neruos, uenas, atque mẽbranulas alligaſſet, ex quibus nullũ adeo prompte, quemadmodũ teſtes, à corporibus noſtris euelli poteſt: præterea in uaſis magna reuolutio eſt, ergò teſtes tenſionem nõ admittunt: quę enim intendi debent, oportet ut dirigantur, tantus autem eſt ante teſtes uaſorum anfractus, ut ſi uaſa recta dirigerentur, ad media uſque fæmora pertingerent, atque hoc pactò contingeret, ut quibus ob imbecillitatem, ut in ſenibus teſtes laxi ſunt, atque diſtenti, robuſtę uires adeſſent, quemadmodum quibus retracti ſunt teſtes; ut iuuenibus debiles, atque deprauatę: quod quidem quàm ueritati diſſonum ſit, non eſt, ut longiori utamur ſermone: adhęc in quibuſdam animalibus teſtes ſunt intus dorſo alligati, nõ igitur penſiles, ut planulas eos habent, cuiuſmodi inter quadrupedes ſues, & inter aues uniuerſum fermè genus, quibus intra abdominis membra natura iuxta præcordia in ipſa ſpina teſtes ſũt collocati: Inſuper ſi ab ãnexis membris deorſum trahi cor aſſeruerimus, rectius utique à nobis dicendum erit renes, lienem, uentrem,

uentrē,& quoduis aliud huiuſmodi,multo magis quàm teſtes detrahere, cum uenæ & arteriȩ in omnia hæc pertineant, & uiciniores cordi ſine uulla media reuolutione ſint: quòd ſi nullum aliud ex his erit, neceſſe autem erat, ut cor ex acquiſititia, & præter naturam tenſione robur acquireret, id quidem non à partibus longinquis, neque à particulis quibuſdam exiguis tanta reuolutione petendum erat, ſed à proximis & magnitudine ſibi conſimilibus, inter quas eſt ipſum hepar, quod quidē ſui magnitudine, uicinitate, firmitate, ac rectitudine cor ipſum tendere uel optime poterat.

Rationum Ariſtotelis diſſolutiones. Cap. 21

CVm igitur hæc ita ſint, Ariſto. quoque rationem ex experientia deſumptam uenam eſſe, & ueritati alienam nemini dubium eſſe poterit, nam ſi ab inductione ſcientiȩ demonſtratiuȩ conſtitui non poſſunt, multo minus ab exemplo eas conſtare dicemus, etenim quòd taurus cum ſtatim à caſtratione inijſſet, uaccam impleuit, apud multos dubium eſſe poteſt, & præſertim medicos, qui ſoluta continuitate dolorem procreari autumant; quo quidem exiſtente taurum etiam appetitu illo coeundi priuatum extitiſſe tutius credendum eſt: uerum dato quòd ita illi tauro acciderit, dicere poſſumus iuxta Galeni placita, quòd uaccam impleuit, ſiquidem ſemen erat in uaſis delatoriis, quod antea in teſtibus genitum erat, quòd ſi poſt octo, decemve dies coiiſſet, neque implere, neque ſemen emittere potuiſſet: Neque etiam ratio illa Galeni ſententiam conuincit, quòd nonnulla ſunt animalia, quæ teſtibus ſunt deſtituta, nam in imperfectioribus, quoniam eorum ſemen perfecta non indiget coctione, teſtes non adſunt, ſed uaſa ſeminaria, & quoddam teſtibus proportionatum, quod tamen ſecus ſe habet in animalibus natura perfectioribus, ea nam quę teſtibus, ut membro pręcipuo, quemadmodum & corde, & hepate, & cerebro perfruuntur. Cæterum dicet fortasſis ille, qui Ariſto. partes tutatur, quòd Gal. ipſe 6. de uſ. part. tandem ueritate conſtrictus teſtes inter partes principales haud eſſe connumerandos diiudicauit, etenim ibidem docens regulam, qua facile dignoſcas, quæ nam ſint partes principales, quæve ignobiles ac non principales dicebat, quòd triplex in nobis eſt partium utilitas, aut enim pars pertinet ad uitam ipſam, aut ad bene uiuendum, aut ad generis conſeruationem, quæ quidem ſunt utiles ad uitam (in-

cap. 7.

quit Gal.) principales partes sunt æstimandę, utpote cor, hepar, & cerebrum, siquidem vulnerato corde, eorumvè altero, aut statim, aut per modicum temporis spatium uitam deperdit homo, reliqua uerò duo genera non sunt principalia, sed ignobiliora: qua de re cum testes ad uitam utiles nō sint, sed aut ad beneuiuendum, aut ad generis conseruationem à natura propagati, ex eius quoq; sententia concludendum est, ipsos inter partes præcipuas iure censendos non esse. Huic quidem facile satisfacere possumus ex ipsomet Galeno, si pacato is animo ipsius uerba perpendere uolet, eo namq; in loco loquitꝰ de esse & agens de cordis partibus, cū eas tres protulisset, aliam quidem ad ipsius basim uasorum originibus addictam, aliam autem utraque ex parte ad ultimam usque oram, quasi latera quędam, uentriculorum generationi destinatam, & postremam inferiorem oram, fortem, ac densum processum, ueluti uentriculis operimentum, atque inter sese tres dictas quoad dignitatem, atque præstantiam comparans statuisset, postremam quidem hanc ignobilissimam esse, & abiectissimam, priorem autē duabus præstantissimam, mediam uerò medio quodammodo, ne quis suspicetur per abiectissimam eam simpliciter talem existere, subdit id intelligendum esse facta ad priores duas duntaxat comparatione, at ne quis in posterum aberret, regulam quandam subiungit, qua partes nobiles, atque præcipuas ab ignobilibus & non præcipuis seiungat, cum enim partes in triplici se habeant genere, ut alię faciant ad uitam, alię ad commodiorem uitam, atque alię ad duorum horum conseruationem, atque salutem, hę utique solę principes censendę sunt, quæ faciunt ad uitam, reliquę uerò ab hac præstantia non parum discedunt, ut in cordis partibus, nam quę ex his uitam toti animali conseruant, magis principes censendę sunt, utpote duorum uasorum orificia, quàm quę orificia hęc custodiunt, ut ora ipsius cordis inferior, ueluti ipsis uentriculis operculum, ac totius cordis propugnaculum, ne in uehementissimis moribus incidens propositis Thoracis ossibus impediatur, aut quæ ad uitam commodiorem efficiunt, ut exempli gratia, ampla utrinque propè hanc oram latera, si enim paulò sint stricta, cor quidem suas etiam actiones ædet, at si ampla, commodius uitam traducet, cum & plurimum sanguinis ac spirituum ibidem contineatur. Gal. igitur non comparat partes facientes ad uitam cum his, quæ ad generis conseruationem pertinent, ut ratio aduersarii intendebat; sed (ut dictum est) eas inter se cum ad uitam

aut

aut commodiorem uitam, aut duorum dictorum cuſtodiam referuntur: atque ob id de ſola indiuidui, partiumque conſeruatione loquitur, ſecus autem ſe habet, ſi indiuidui ſalutem, atque cuſtodiā cū ea ſpeciei cōparemus, nā ſicut indiuiduum ſpeciei imperfectius eſt, ita & indiuidui cōſeruatio ad ſpeciē abiectior dicet, & erit cū aūt teſtes: humanā naturā reparēt, tāto corde erūt pſtātiores, quāto ſpecies indiuiduo: Vnde primo de ſem. poſtquam dixit Gal. quòd totum corpus à teſtibus alteratur, cuius ſignum eſt ipſa caro uictimarum caſtratarum, quæ ſuauior eſt, quàm non caſtratarum, quinimmo qualitas carnium integrarum præ ſe fert quid ſimile qualitati teſtium graue, &, ut ita ut dicam uiroſum ad odorem uſque ſimilitudine porrecta, & quòd mirum eſt Ariſto. hæc ignoraſſe, qui ſępe dixit paruas particulas eſſe in cauſa maximarum toti corpori alterationum, quibuſdam tandem inter poſitis ſubdebat, quòd ſi teſtes abſciſſi incitationem ad coitum auferunt, ex eis erat animalibus generis ſucceſſio, atque hoc profectò tertium cor pręſtare non poteſt, eſt enim id uiuendi tantum, teſtes uerò beneuiuendi principium, quanto autem melius eſt beneuiuere, quàm ſolum abſolute uiuere, tanto in animalibus teſtes corde præſtantiores ſunt. teſtes igitur non tantum beneuiuendi principium ſunt, uerum & ipſius uitę, ſiquidem ipſorum defectu humana uita deperditur: & ob id ratione totius ſpeciei inter partes præcipuas non immerito connumerantur, & cæteris tribus præſtantiores exiſtunt: Hæc ſunt, quæ de teſtibus pro Galeni patrocinio dicenda uidentur, licet multò adhuc plura in medium afferri poſſint, quæ breuitati ſtudens omittenda eſſe duxi, ut (quod reliquum eſt) de ſemine, ac genitura hominis ſequenti libro tandem aggrediamur ſermonem.

Finis ſecundi Apologiæ libri.

Finis secundi Apologiæ libri.

ODDI DE ODDIS APOLOGIAE PRO GALENO

LIBER TERTIVS.

Aristotelis opinio de semine, & sanguine menstruo. Cap. I.



VPERIORI libro arduam sanè prouinciam suscepimus, ut Galeni de membrorum principatu sententiam meremur, quod quidem negotium, duntaxat maxime necessaria tangentes, tandem absoluimus : reliquum modo est, ut præsenti uolumine de semine, ac genitura hominis uerba faciamus, cum & hac in re non exigua inter Aristo. & Gal. sit controuersia: ut autem recto procedamus ordine imprimis Aristo. sententiam recensebimus, mox illam Galeni subdemus, nec non & ipsius ualidas rõnes, quas aduersus Arist. pro sua tutáda opinione attulit, aut afferre potuisset, ac postremo, quæ potiores aduersus Gal. rationes proponuntur, earum diluere conabimur. Aristoteles itaque primo de anim. gen. cap. 17. & 18. cum declarasset uiri genituram, ac mulierum menstrua utilia esse excrementa, ac talem esse sanguinem menstruum in mulieribus, qualis in maribus genitura, quandoquidem eadem ętate mares genituram emittere incipiant, & fęminis menstrua erumpant, uox mutetur, ac mammę intumescant, atque desinente ætate deleatur generandi uis maribus, fęminis uerò menstruorum profluuium, sed genituram excrementum esse alimenti sanguinei, quod ultimum in membra digeritur, quamobrem magnam ei uim inesse, menstrua uerò minus esse concocta, cum fęminę calor imbecillior sit, eoque menstrua cruenti humoris secretionem esse sanguineam, subintulit, fęminam, ut mas genitale semen non emittere, cum ei menstrua secernantur, neque enim fieri posse uidetur, ut cum menstruum,

& ſemen eiuſdem ſint excrementa eo tantum diſcrimine ſeiuncta, quòd alterum ab imbecilliore, alterum à ualidiore calore generatur, fœmina & ſemen edat genitale, & menſtrua: inditio autem eſſe inquit ſemen, quod à fœminis non tale quale, quod à maribus egreditur: & quod non rarò euenit fœminas citra eam, quæ per coitum fit, uoluptatem concipere, uel ſi cum ea ipſa uoluptate, parique utriuſque profuſionis concurſu concipiant, id nimirum non efficitur, niſi menſtrua talia, tantaque ſint, qualia, quantaque ad generationem neceſſaria ſunt: Inſuper cum non omnes fœminę illum emittant humorem, ſed eę tantum, quę ſanguine conſtant, neque etiam omnes hę, ſed quæ uterum ad ſeptum tranſuerſum non habent, nec ex ouo pariunt. Proinde non uidetur rationi conſentaneum, ut fœmina ſemen conferat ad generationem, quando & fœmina, ut fœmina, patiens eſt, mas uerò mouens & agens. Reliquum eſt igitur, ut fœmina corpus tantum, & materiam conferat, menſtrua ſcilicet, quę in generatione ad maris genituram eandem habet rationem, quã in lactis concretione lac ipſum ad coagulum: Quoniam enim ex eodem nutritio fit, & generatio, ut Ariſt. ait: nutritio autem ex ſanguine fit, ex eodem igitur fiet & generatio. Verum cum ex hominis genitura, non ut ex materia, ſed ut agente tantũ animal generetur, ut ſtatim declarabitur, relinquitur ſanguinem menſtruum eſſe cõceptus materiam: fœmina igitur materiam tantum, & corpus ad generationem confert. Quòd uerò maris ſemen non ſit conceptus materia tum ratione, tum factis declarat Ariſtoteles, ſiquidem cum fœmina, qua fœmina patiens ſit, mas uerò qua mas agens, & unde mouendi principium, atque in uniuerſum animo complectenti nihil ex agente & patiente, atque ex eo, quod mouet, & quod mouetur, ita unum conſtitui uideatur, ut agens in eo inſit quod patitur, atque conſtituti pars ſit: non igitur ex mare, & fœmina, ſiue ex maris genitura, & fœminę ſanguine menſtruo ea ratione poterit unum generari, ſed ut ex fabro & ligno fit lectus, aut ex cera, & forma globus. Eſt itaque manifeſtum nihil ſeminis maris partem, aut materiam eſſe conceptus, ſed ex eo ut ex motus principio & forma, quemadmodum qui à medicina ſanus effectus eſt, quod gignitur, procreari: Cui quidem rationi facta etiam adſtipulantur, quandoquidem nonnulla ſunt animalia, quæ imperfectum conceptum, ut pote uermiculum pariunt, in quorum fœminis mares nullum membrum indere conſpiciuntur, ſed contra potius in maribus fœminę

4. de anim. gener. cap. primo.

fęminę ab eis non quidem genitale semen, sed solam uirtutem recipientes, & simile facientes, ueluti si quis materiam ad opificem apportet: Insuper eidem assentiri uidentur, quæ auibus, piscibusque ouiparis euenire conspiciuntur, quippe subuentanea, seu zephyria uel gręce hypenemia oua fecunda efficientur, si priusquam ex luteis in alba mutentur, auis ea ferens coierit, quòd si ex coitu oua concipiantur, ac eis adhuc luteis cum alio mare auis concumbat, pulli omnes eius similes nasci uisuntur, quo cum posteriore concubuit. quamobrem non pauci studentes, ut gallinę generosę procreentur, admissarios mutant: insuper ouiparorum piscium fęmina prius oua producit, dein mas semen spargit, à quo quæcumque oua tanguntur fæcunda, quæ non tanguntur, euadunt infecunda, quæ omnia facile uidentur ostendere marem non quantitatem quidem, aut materiam, sed qualitatem, aut principium motus præstare in conceptus generatione.

In quibus Arist. & Gal. consentiunt, & in quibus discordes sunt. Cap. 2.

HAec sunt Aristotelis placita de sanguine menstruo, & genitura ex libro de generatione animalium breuiore hac formula excepta, quorum nonnulla inter ipsum Aristotelem, & Galenum conueniunt, qui tamen in plurimis tota, ut aiunt, diametro dissident. Quòd enim mulier menstruum, ut materiam, mas autē semen ut agens cōferat ad generationē non Aristo. modo, sed & Galenus affirmat, uerum Galenus Hippocratem imitatus semen non tantum effectiui, sed etiam materialis principii rationem subire aduersus Aristotelem disputauit: insuper fęminā non modo menstruum, sed etiam semen fætui exhibere, quod fætus ipsius materia, & opifex sit.

Semen in fęminis & retineri, aduersus Aristotelicos. Cap. 3.

VT autem quæ Galenus aduersus Aristotelem attulit queat unusquisque facilius intelligere, Galeni seriem imitatus, quam in libro de semine obseruauit, ab ijs auspicabor, quæ ex rei quæsitę experientia sumuntur, quippe ex illa sumptiones, quas demonstrationes admittunt, etiam Aristoteles, ut ait Galenus, accipiendas esse opinatus est: Imprimis autem accurate cōsiderādum esse scripsit Galenus, nunquid fęminis, quæ concepturę sunt,

ſunt, intus ſemen detineatur, an uerò excernatur. Quod intus remaneat, tripliciter ſe inueſtigaſſe, atque inueniſſe autumat, primum in brutis, in quibus tum aliorum ſibi inuicem conſentientiũ confirmatione, tum in pluribus animalibus facta experientia deprehendit ſemen quidẽ omnia excernentia minime, omnia uerò illud continentia concipere, altero modo ex omnium mulierum conſenſu ſibi ipſis conſtantium, quæ idem affirmantes dixerunt, quòd ubi ſemen conceperint, quandam in vulua motionem ſentiunt conuulſioni ſimilem, qua in ſeipſam vulua ſe contrahere uidetur: Et hinc dicit Galenus putandum eſt, quòd hoc nomen conceptio à mulieribus fuit impoſitum, tertio modo id deprehendiſſe ſe ait Galenus ex librorum lectione eorum omnium medicorum, qui hęc ſcripſerunt, quorum etiam nonnulli diligentiores de illo motu meminerunt, quo uteri ad ſemen contrahuntur, ut ipſum undequaque complectantur: Quod uerum eſſe, deprehendiſſe ſe ait ex multorum animantium utero gerẽtium diſſectione: Quod etiam confirmat Platonis teſtimonio, aſſerentis uterum quaſi animal eſſe quoddam procreationis appetens, & ob id ſemen ad ſeſe attrahere, atque circunquaque comprehendere. Propter quod accidit ut uiri cum mulieribus coeuntes, quo tempore ceſſarunt menſes (tunc enim præcipue illas concipere omnes fatentur) euidenter ſentiant à vuluis cucurbitulę medicę modo penem intro ualenter attrahi. Quòd etiam Ariſtoteles uoluerit fęminis concepturis intus ſemen detineri adducit Gal. in eo primo de ſem. aduerſus nonnullos, qui ſe peripateticos appellabant, Ariſtotelis authoritatem, ubi dicit, ſequitur: ut & dubitemus, & dicamus ſi in ijs, quæ ſemen emittunt in fęminam, nulla pars cõſtituendi conceptus ſit, quod ſubierit, quo nam uertat corpulentia eius, quando ipſum facultate, quam in ſe cõtinet, agit. Diffiniendum igitur prius eſt, utrum quòd in fęmina cõſtituitur, accipiat aliquid ab eo, quod ſubierit, an nihil accipiat, & poſt modum ſubdit, Corpus autem geniturę, in quo ſemen animalis principii contentum unà prouenit partim ſeparabile à corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt, quæ mens appellatur, partim inſeparabile, hoc inquam geniturę ſemen diſſoluitur, uerſumque in ſpiritum euaneſcit, cum naturam humidam, aquoſamque habeat, quamob rem an ſemper id foras exeat, quærendum non eſt, neque an pars ulla ſit formæ conſtitutæ: Quomodo nec de ſucco, à quo lac cogitur, quæri tale quod conuenit, nam is quoque mutat, & nulla

2. de gen. anim. cap. 3. propè initium.

poſt medium capitis.

pars

pars constitutę magnitudinis est,&c.

Semen in spiritum non dissolui aduersus Arist. sententiam. Cap. 4.

ET quoniam ex eo, quòd intus semen remanet in his, quæ concipiunt, consequitur, ut semen uiri pars conceptus efficiatur, quod Aristoteles negabat, sed uersum in spiritum euanescere dicebat: Ideo Gal. hoc Aristotelis placitum refellere conatur, inquiens, quòd si in prima conceptione, ita semen in spiritum dissolui dixerit Aristo. sicuti musti humor in spiritum conuerti conspicitur, maxima quidem aeris copia ex minima humidę substantię quantitate generabitur: id, quod in uentis etiam facile est uidere: Quare ut uenter cum flatibus infestatur plurimum tumidus & distentus apparet, & dolet, ita etiam utero in prima ea conceptione eueniret, cum tamen oppositum conspiciamus, nam eo tempore uterus non solum sine dolore & tumore ac distentione existit, sed etiam contractus, & circunquaque fætum comprehendens apparet, ut animalis dissectio utero gerentis manifestissime declarat. Quòd si quis pro Aristotele dixerit flatum ex semine genitum per muliebrem cunnum exeuntem prohibere, ne uterus tumidus, atque distentus dolore affligetur, nihil efficit, quandoquidem dicit Galenus, ut ructus, & crepitus per inferna expirantes ostendunt flatus ex uentre euacuari, & ob id tumorem eius remitti, ita etiam si per muliebrem cunnum flatus exirent, & id quidem perciperetur, & tumorem ob id remitti appareret. Quare constat Aristotelem ne minimam quidem probabilitatem habere, cur in spiritum semen dissolui coniectari debeat. Sed quoniam pro Aristotele posset quis obstinate dicere semen in spiritum difflari, & sensim, ac latenter exire, propterea Galenus nititur alia ratione Aristo. opinionem refellere, petens, nunquid menstruo in uteri concauitate collecto semen occurrens præstet prius motionis principium, deinde per uteri ceruicem excernatur, an uerò quo tempore fęmina mari copulatur menstruum ipsum per uasa ad uterum pertinentia semini obuiet, cupiens ab ipso uim illam recipere: Quòd si primum responderetur, animal non ex sanguine, sed ex concreto sanguine (thrombon græci dicunt) generaretur, quando sanguis è propriis uasis excidens in aliquam cauitatem statim concrescit: neque enim sanguinem excepto corde in aliis membris, nisi in ue-

3. pe dar. ani c. 4. nis contineri uoluit Aristo.ipse insuper cum semel in uteri cauitate semen cum menstruo sanguine permixtum fuerit, non posse uidetur probabilis quispiam modus excogitari, quo semen quidē excernatur, menstruum uerò retineatur: si uerò secundum diceretur utique necesse erit, ut in orificiis uasorum seminis sanguis occurrat, atque cum eo permisceatur, quod duobus modis fieri excogitari potest: uno quidem modo, ut quot sunt receptaculorū orificia in tot partes semen diuidatur, atque cum menstruo ea ratione uniatur, quod præter id, quòd seminis leniori non congruit etiā aliā quandā causam postulat, quæ præsidens semen ipsum diuidat, atque singulas eius particulas ad singulorum uasorum orificia traducat: altero uerò modo, ut semen suam seruans continuitatem cum menstruo copuletur: quod præter id, quòd seminis naturæ longe est familiarius, nulla alia tertia indiget causa præter uteri attractionem, & seminis iniectionem, quando ut uentriculus cibos appetens fundo ad gulam retracto ea ipsa gula quasi manu quadam utitur, ita etiam uterus semen appetens, totus ad cunnum recurrit, & collo, gulaque utens sua ueluti manu quadam semen intro traducit: si uerò semen ad ora uasorum cum sanguine coierit, & rursus in aerem conuersum exhalauerit, quærendum est, dicit Galenus, quod nam sit prægnationis principium, primum siquidem causam inuenire oportebit, propter quam sanguis in singulis uasorum orificiis cum sem ine commixtus in uteri cauitatem delabitur: deinde alteram totum illud corpus in unum aceruantem, demum tertiam, qua membrana totum hunc sanguinem extrinsecus obducat, experientia enim comprobatum est, quòd cum mulier abortit siue pluribus, siue paucioribus à principio diebus semper conspicitur membrana fætum circunquaque comprehendēs, in cuius rei confirmationem, Gal. recitat abortus historiam, quem sexto post die Hippo. uidit, de quo ipse Hippo. meminit in libro de pueri, fætusvè natura non longè à principio, ita scribens. Quomodo uerò genituram sexto post die uiderim narrabo, mulieris ancilla psaltria quędam erat insignis, quæ ad uiros uentitabat, quam quidem non oportebat in uentre concipere ne ignobilior redderetur, audierat autem hæc psaltria id quod dicere inter se mulieres consueuerunt, ubi uidelicet mulier conceptura est, non amplius exire uiri semen, sed intus contineri, hoc igitur cum audiuisset, animaduertit, semperque obseruauit, & forte ubi sensit semen non exiisse, herę manifestauit: quod cum usque

ad

ad aures noſtras perueniſſet, iuſsimus ipſi in terrã deſilire, at illa ſepties ferè id fecit, & genitura non ſine ſtrepitu quodam excuſſa in terram defluxit, quam cum mulier uidiſſet, inſpexit, atque admirata eſt: Qualis autem fuerit, ipſe dicam. Perinde erat ac ſi quis crudi oui exterius putamen detraheret, ut per interiorem membranulam interior humiditas pelluceret,, & quæ ſequuntur. Quibus uerbis Hippo. teſtari uidetur ſemen, & intus detineri, & membrana obduci, quæ qnidem membrana ea ratione generatur, quod cum omnes uuluę partes ſimili modo ſemen appetant, illud attrahunt, quo fit, ut ſemen ipſum cum lentum eſt, multum, & craſſum dilatetur, & extendatur, atque uuluę internam ſuperficiem extrema ſua parte contingat, quæ ſeminis pars exterior ipſius uuluæ caliditate, cui adhæret, indureſcit non aliter quàm pulſis aliquantulum liquidę ſupra inſtrumentum aliquod latum, & calidum extenſæ exterior pars illud inſtrumentum contingens cruſtulam quandam contrahit. Quòd ſi quis pro Ariſtotele dixerit, ſemen in utero exiſtens facultatem habens ſanguinis attrahendi, illum quidem attrahit, & inſuper cogit, cum ut dicit Ariſt. ſemen quidem coagulo, ſanguis uerò lacti proportione reſpondeat. Vnde fit, ut ea ſanguinis pars, quæ uterum contingit in membranam degeneret, quando à ſemine dealbetur, quod antequam exhalatione euaneſcat in ſanguinem ipſum agit, ut fætum componat. Dico illud quidem his aduerſari, quæ ſenſibus euidentia ſunt, quando quidem ut declarat Galenus in eo primo de ſemine. Vniuerſæ fætus fabricæ, in quatuor tempora diuiſę, primum tempus eſt, quo ſemen tantum membrana circundatum, & in abortu, & in diſſectione conſpicitur, hanc genituram Hippo. nondum conceptum nominat, ut eius uerbis conſtat ſuperius recitatis: ſecundum uerò tempus eſt, quo ſemen ſanguinem, & ſpiritus attrahit, quibus cor, & iecur, & cæterę partes carneæ conſtitui debent, atque fætus ſubſtantia non amplius ſiminalis, ſed carnea conſpicitur, quo tempore prædictæ principes partes, cor ſcilicet, iecur, nec non & cerebrum, quod ex ſeminali ſubſtantia fit, inſignem quidem magnitudinem, ſed quandam tantum coagulationem, & quaſi delineationem oſtendunt: Et tunc quidem conceptus non amplius genitura ab Hippocrate nominatur. Tertium autem tempus eſt, quo tria iam dicta principia euidentiora apparent, cætera uerò omnia membra obſcuriora, quæ ſolum deſcriptionem quandam habere uidentur, quo tempore, qui prius conceptus, ab Hippo. fætus di-

citur. Quartum tempus est, quo membra omnia distincta, absolutaque sunt, atque quod in utero est, palpitatur, mouetur que, & iam animal perfectum est: Vnde non amplius fætum, sed infantem eum appellat Hippocrates. Quę omnia in mare quidem triginta duorum diernm, in fęmina uerò quadraginta duorum dierum spatio perficiuntur, ut Hippo. dicit in libro de pueri, fætusvè formatione. Quare constat membranam fætum comprehendentem non ex sanguine, sed ex semine procreari. Neque enim primis diebus quod in utero continetur album solum appareret, deinde subsequentibus diebus magis, ac magis rubro inspersum, sed contrà potius. Quæ ratio eos etiam conuincit, qui ut Aristotelis placitum mordicus tueantur, commenti sunt, quòd ut alię superfluitates ita & semen, cum munus suum perfecit, cum illis permixtum seruatur toto eo tempore, quo fęmina gerit utero: cum uerò infans in lucem editur, simul cum aliis excrementis excernitur. Insuper quòd semen non solum motionis principium, sed etiam materiam pręstet generationi aduersus Aristotelem ualidissima ratione probat Gal. inquiens, quòd cum uena, arteria, & neruus communia instrumenta, quibus cæterę animalis partes reguntur, & ea debeant gigni materia, quæ alba sit, crassa, & lenta, atque ea membra reddat exanguia, qui fieri potest, ut ex sanguine generentur, qui rubeus est, tenuis, & liquidus: quo fit, ut suam seruans continuitatem neque intendi, neque in modum fistulę perforari ualeat, quales nimirùm & uenas, & arterias esse cernimus, quæ etiam sanguine inanito & albę & exangues esse manifeste apparent: semen uerò quando album est, crassum, & lentum, aptissimum esse, ut ex eo pręd icta instrumenta procreentur, ita constat, ut nec rationibus, nec testimoniis comprobare oporteat. Verum qui Aristotelis patrocinium suscipiunt, rationem hanc dissoluere conantur, dicentes non fuisse Aristo. decretum, ut uenę, arterię, & nerui ex ipso sanguine generarerentur, seruante quidem suum ruborem, tenuitatem, atque liquiditatem, sed eo prius mutato ex rubro in album, ex tenui in crassum, & ex liquido in lentum. Hoc autem nihil efficit, propterea quòd mirum in modum accusanda esset natura, quæ omissa materia ad earum partium generationem maxime accomodata, alteram ex sanguine illi similem præparare contenderet: qua ratione coactus esset Aristoteles fateri naturam suorum innatorum motuum oblitam quidpiã statim in principio temerè, & frustra operari, atque per plura illud efficere, quod pe

pauciora

pauciora æquè commode facere posset, quibus in Arist otelis disciplina nihil absurdius excogitari posset. Præterea quòd Aristo. faciens uuluam semen quidem eiicere, menstruum uerò continere, operibus naturę aduersetur, ostendit Gal. eodem libro de semine, quandoquidem unaquæque animalis particula facultatibus naturalibus fuit donata, ut eo perfruatur, quemadmodum diffuse in libris de pot. nat. Galenus demonstrauit, quod etiam ab Aristotele conceditur: Cum itaque uterus in maris, & fæminę copula semen (ut superius dictum est) ad sese attrahat, & circunquaque arcte complectatur, id efficit, propterea quòd est ei familiare, & accõmodatum: pariter cum idem uterus singulis mensibus menstruum excernat, non illud peragit, nisi quia est ei alienum, necessariò igitur Aristoteles fateri cogitur, in fętus generatione uterum semen, quod familiare est, eiicere, menstruum uerò, quod est ei alienum detinere. Huic rationi, nonnulli pro Aristotele respondentes inquiunt, menstruum uel motionis principium, uel qualitatem à semine suscipere, qua utero proprium, & familiare efficitur: quo fit, ut quod antea, cum esset alienum, expellebatur, nunc redditum familiare, & accõmodatum retineatur. Sed hæc responsio facile refellitur, quandò cum menstruum aptitudinem illam, & qualitatem à semine recipiat, necesse est etiam, ut illam semen ipsum possideat, nihil enim alteri, quod non habet, tribuere ualet: quò fit, ut qualitatis illius ratione semẽ, quàm menstruum retineri magis mereatur, cum per se, & primo qualitatem illam habeat, non autem, ut menstruum, eam aliunde recipiat, neque sit semen, ut menstruum per se quidem utero alienum, per aliud uerò familiare, & accõmodatum: scripsit enim Aristo. ipse propter quod unumquodque tale, & illud magis, si ergò propter semen, quomodo declaratum est, uuluua menstruum retinebit, magis debebit semen retinere, cum pręsertim nec sensu, nec ratione quid appareat semini euenire, quo ex familiari, & accõmodato ita fiat utero alienum, quo tempore formatur fætus, ut tãquam odiosum excerni mereatur. 1. posteriorum annyticorum.

Pugnantia scripsisse Aristotelem, & sibi inuicem contraria. *Cap.* 5.

VIdetur etiam Aristo. sibi inuicem pugnantia scribere, qui plantam quidem ex semine generat non solum, ut ex efficiente, sed etiam ut ex materiali principio, propterea quòd manifeste

manifeste apparet plantam ex semine duplicem habere ortum, alterum quidem sursum in truncum, & surculos, & uirgas usque ad minutissima flagella, alterum uerò deorsum in radices magnas & minores usque ad capillamenta: cum uerò in utero fætum generat, à semine materiale principium remouet: quò fit, ut Aristoteles sibi constare non uideatur. Sed quispiam fortasse dixerit minime consequi Aristotelem pugnantia sensisse, cum ex uno semine planta producatur, quæ facultatem uegetalem solum habet, ex altero autem animal, quod præter uegetandi facultatem aliis etiã animali conuenientibus præditum esse debuerat: quare potuit semen plantæ & opificis, & materię principium in se continere, quod ob multitudinem, & perfectionem facultatum semen animalis consequi non potuit. Verum huic ita dicenti subeat Aristotelis fuisse decretum, quòd fætus in utero uita plantę prius uiuit, dein animalis uita, proinde quo ad uegetalem attinet uitam, natura seminis non alia facultate plantam, alia animal generat, & quod ad materiam attinet, quę in planta conspiciuntur, proportione respondent his, quæ in animalibus intueri licet, enim uerò ut fiat planta eius semen terra indiget, qua alatur, & augeatur, eisdem rationibus animalis semen, ut ex eo animal generetur, indiget utero, qui terræ proportione respondet, ex semine plantę radices producuntur, quibus ex terra planta nutrimentum attrahat, pariter membrana chorion appellata multas uenas, ut radices continet, quibus ut planta ex terra, ita fætus ex utero alimentum hauriat: plantę etiam semen truncum emittit, ex quo magni rami hinc inde scissi, & ex magnis parui exorti sunt, eodem pariter modo in animali truncos tres reperies, tribus ex principiis exortos uenã scilicet cauam, aortam, & spinalem medullam, ex quibus magnę, & ex magnis paruę usque ad minimas propagationes quasi rami producuntur, ita ut hanc sanguineam, uel carneam plantam appellare possis: Quæ omnia ob id ita se habent, quoniam eadem est uegetalis anima in utrisque, eo solo discrimine inter se differentibus, quòd planta exanguis debuit sola uegetali facultate esse contenta: quare frigidior existit, & unum tantum habuit truncum ex uno principio exortum: carneam uerò priorem facultatem uegetalem scilicet retinentem oportuit etiam alias suscipere, atque præter uegetandi principium duo alia principia est consequuta, cuius ratione tribus truncis ex tribus illis principiis ortum ducentibus donata fuit, quos trunco arboris proportione respondere diximus.

dicimus. Vellem equidem, ut Aristotelis acerrimi defensores pacato animo his optime prius pensitatis, ęqua lance deinde iudicium ferrent, utra opinio, Aristotelis ne, an Galeni uerior, uel saltem uerisimilior sit.

Oddus de Oddis hucusque de semine pro Galeni patrocinio conscripserat, cum intempestiua morte sublatus est: reliquum uerò, quod desiderabatur Marcus de Oddis eiusdem filius, ut perfectum opus in lucem prodiret, eadem serie absoluere curauit.

Rationis Aristotelis, ac factorum dissolutiones. *Cap. 6.*

VErum quoniam Arist. maris semen non esse conceptus materiam tum ratione, tum factis demonstrabat, propterea opere prętium esse duxi, ut ex Galeni placitis utrique respondeamus, rationi quidem, nam licet idem agens, & patiens esse non possit, quod quidem accidit ei, quod est unum, ac secundum sui partes simile, attamen si quod est secundum partes dissimile, naturæ non repugnat, quòd iuxta quidem alteram ipsius partem agens, & unde motus principium sit, iuxta uerò alteram patiens, ac substrata materia, quemadmodum uirili semini euenit, cuius quidem pars spirituosa agens, & unde principium motus existit, pars uerò crassa, materia, ac generationis subiectum: & ob id uanum est Aristo. dictum, cum fætum ea ratione ex semine, ac menstruo sanguine generari existimauit, ut ex fabro, & ligno lectũ, aut ex cæra: & forma globũ ex superioribus namque determinatum est, semen & in utero contineri, & membris simplicibus ualde familiarem, & accomodatam materiã existere, factis uerò facilime respondebimus, siue testimoniis (ut ait Auer.) desumptis tum ex nonnulis de insectorum genere animalibus, in quibus mares uisuntur nullum in coitu membrum immittere pro seminis effusione, sed contra potius fęminę in maribus ab eis non quidem semen genitale, sed uirtutem duntaxat suscipientes, tum ex auibus, piscibusque ouiparis, quæ oua quidem perfecta pariunt, non tamen apta, ut ex his pulli generentur, nisi mares ipsi cum fęminis coniungantur, uirtutem tantum eis, ac generandi principium tribuentes, à quo quidem principio quęcumque tanguntur, fæcunda, sicuti quæ non tanguntur, euadunt infæcundę, si recte perpendantur quę de ouorum generatione ab ipso met Aristo. scripta sunt, nonnulla etenim Galeni sententię mirum 3. de gen. ani. cap. 1. & 2.

mirum in modum fauere reperiemus, nam cum in ouo duę ſint extremitates, altera quidem rotunda, altera uerò oblonga, acuta, & dura, latus quidem acutum per membranulam quandam ueluti umbilicum utero adhęret, ac per hanc uiam dum Gallus ſemen in Gallinam ſpargit, oua ipſa & ſemen attrahunt, ac, ut augeantur, perficianturque nutrimentum ſuſcipiunt, nam in eiectitiis inchoatis ouis apparet, quòd ſi auis madefacta, aut alia ex cauſa algeſcens eijcit cruentus adhuc cernitur conceptus, habensque ſibi annexum appendiculum umbilicale, ueluti uenam, quæ utero adheret, ac ad oui auctionem augetur & ipſa, donec perfectionem adipiſcatur, tũc n. meatus hic ac unà membranula illa in corpore exiccatur, ac tandem ab utero diuellitur ouum, & cum propria cruſta è corpore egreditur, quæ cum mollis ſit, aeris frigiditate condenſata indureſcit, atque potisſimum ea parte, qua uterum contangebat: Hucuſque Ariſt. & Gal. conſentiunt, at quonam pacto poſt oui productionem pulli gignantur, non parum inter ſe diſentiunt, ſiquidem Ariſt. ſuſtinet, quòd pulli poſtmodum propagentur, non quidem ex uniuerſa oui ſubſtantia, ſed ex uitello ipſo duntaxat, cũ fæmina fouerit oua, ex quibus quidem prius motus principium, atque uirtutem adeptis abſque fęminę fotu pullus quoque produci poſſet, ſi calidus foret aer, aut ſaltim temperatus, ex quo propagandi uirtus, atque principium excitaretur, ex reliqua uero parte, quę oui albumen eſt, nutritur pullus, dum in cortice ipſius reconditur, natura enim ſimul, & materiam animalis, & loco lactis ſatis cibi ad incrementum in ouo repoſuit, at Gal. aliter ſentiens opinatus eſt, in ipſis ouis ſemen non ſolum uirtute, ſed & materiali ſubſtantia reperiri, propterea quòd poſtquam Galli cum fęminis congresſi ſunt, non ſolum albumen & uitellum, ut in aliis, in quibus congreſſus non affuit, uerum & aliud quid craſſum, uiſcidumque cernitur: inſuper membra quidem rubea animalis ex oui uitello confecta eſſe autumat, ſiquidem uitellum rubedinis quodammodo particeps eſt, ſicut exanguia, & alba ex ipſo albumine: quod quidem ratione comprobare poteſt Gal. nam ſi natura, quandocumque adeſt materia parata, ut membra ſolida & alba gignantur, hanc ipſam non reſpuit, ut alterum diſsimilem inquirat quẽadmodum ſuperius declaratum eſt, eodem propè modo in ouis materiam albam & craſſam pro membris exãguibus gignendis nõ reſpuet, ut uitelli ſubſtantiam ualde disſimilem, aptam, accomodatamque materiam reddat, id enim naturę uel maxime aduerſatur.

tur. Quocirca non parum accusandus est Aristo. qui sibi ipsi pugnantia multotiens proferat, nam cum alibi dicat ex eisdem animalia nutriri, ex quibus etiam generantur, si pullus ex uitello gigneretur, ex albumine uerò nutriretur, dubiò procul pugnantia hæc adinuicem forent, atque hac eadem ratione possemus & nos dicere haud esse inconueniens membra quidem in animali ex semine constitui, ex sanguine uerò & nutrimentum & incrementum suscipere. His itaque de ouis enucleatis admissis factis siue testimoniis quę quidem negare etiam possemus, ex Galeno facillime occurrimus, quòd dũ mares cum fęminis coeunt, semen in oua non solum uirtute, sed & materiali substantia eiaculatur, siquidem crassum quidam semen, & album à Gallis in Gallinarum uterum eiaculatum, mox & per umbilicalem illum meatum ad oui substantiam attractum uisitur, quòd si sola uirtus absque materiali substantia reperiri posset, materięque congrua quantitas in fęminis adesset, seminis utique materia, ut in piscibus ouiparis, fętus generationi non subseruiret: Verum quoniam in Gallis & semen crassum est, & conueniens materię quantitas pro omnibus fætus partibus gignendis desideratur, propterea necessaria est in his seminis materia, nam in imperfectis, ut piscibus, cum tanta materię copia haud opus sit, satis est, ut seminale principium superfundatur, & quemadmodum de testibus superius dictum est, quòd sicut non ualet ratio, testes in nonnulis animalibus non adsunt, ergò necessarii non sunt ad generationem, ita & hoc loco concludendum non est, in huiusmodi imperfectis animalibus sola seminis uirtus effunditur, ergò semen conceptus materia non est.

Feminam semen etiam fętui exhibere, & quòd uerè semen sit.
Cap, 7.

CAEterum, quòd fęmina non modo sanguinem menstruum, sed & semen fætui exhibeat (quod erat secundum discutiendum) aduersus Aristotelem, Atheneum, & reliquos medicos ualidissimo fundamento corroborat Gal. etenim si in muliere testes uuluę annexi à lateribus utrinque, parumque à marium testibus differentes reperiuntur, uasa insuper seminaria, arteriæque circa testes inuolutę, ac denique uasa semen in matricem deferentia, quis est, qui neget ab hisce uasis semen ipsum in matri-

Dd cis

cis ſinum haudquaquam eiaculari? quod ſanè ex anatomicis admi niſtrationibus facile oſtendi poteſt, quandoquidem in his uaſis, & teſtibus mulierum, ac earum potisſimum, quæ uenere abſtinuerunt, ſemen apertisſime cõſpicitur: accedit ad hoc, experimentum etiam multotiens comprobatum, ſiquidem in effuſione ſeminis primum in vuluam emittitur ſemen, mox ex ea, dum contineri non poteſt, foras egreditur, quemadmodum compluribus fęminis accidit, atque præcipue his, quæ ex longo iam tempore uiduę extiterunt, qualis erat illa à Gal. deſcripta, quæ cum præter cæteros malos affectus neruorum quoque diſtentione uexaretur, & dicente obſtectrice uterum contractum eſſe, reme diis ad huiuſmodi diſpoſitiones conſuetis uti decreuiſſet, oborta inter curandum titillatione quadam cum labore, ac uoluptate, ueluti per coitum uſu uenire ſolet, craſſum, plurimumque ſemen excreuit, atque ita priſtinę ſanitati reſtituta eſt: Si igitur in muliere hæc ita uiſuntur, quomodo Ariſto. & aliorum dicta ueritati conſona erunt? cum ſeminaria uaſa cornibus vuluę annexa quidem eſſe arbitrentur, ſed à lateribus tamen perforata, ob quam ſanè perforationem extrinſecus ſupra ipſam vuluam ſemen profundat, hoc etenim experientię aduerſisſimum eſt, quemadmodum ſuperius declarauimus: In quem planè errorem Auer. quoque lapſus eſt, exiſtimans & ipſe mulieris ſemen à natura conſtitutum eſſe, ut eo mulier duntaxat in coitu oblectaretur, licet enim (inquit ipſe) eadem ſint membra genitalia uiris, ac mulieribus, idem tamen utraque officium præſtare non debent, nam ut mamillę eędem ſunt uiris & fęminis, in mulieribus tamen lac generant, at non in uiris: eodẽ propè modo mulieres per teſtes ob delitias tãtummodo quandam emittũt humiditatẽ, uiri ãt ſemẽ optimũ, ac generationi proficuũ: quod tamen ex dictis falsisſimum eſſe demonſtro, nam ſi ob id tantum natura ſemen mulieri condonaſſet, dubio procul ſemen illud extrinſecus per matricis collum exiret, at cum intus ſuſcipiatur, ut declaratum eſt, alia ex cauſa ab ipſa genitum eſſe tenendum eſt, nempè ut & materia, ac principium fætus exiſtat. Quòd ſi quis ex Ariſto. & Auer. dicat, ſi ſemen fęminę generationi tam neceſſarium eſt, cur eſt, quòd nonnullę mulieres abſque ſeminis emiſſione concipiunt? nam (quemadmodum Auer. teſtatur) complures ſunt, quæ abſque delectatione concipiunt, ut cuidam ſuę uicinę contigit, quæ in balneum aquę calidę, in quo quidam ſceleſti homines ſemen emiſerant, ingreſſa, ob ualidam uuluę attractionem

1. de lo. affe.

2. ſuorum collect. c. 10.

ctionem semen illud intra uuluam suscepit, ac ulla absque delectatione, ulloque proprio concurrente semine utero gesſit, respondent quidam, quòd id Auer. exemplum fictitium eſt, atque uoluntarium, neque enim uerisimile eſt semen illud in balneo detentum, & à matrice attractum pro fœtus generatione satis fuiſſe, siquidem cum semen spirituosum ſit, atque aereum, eius planè uires quamfacillime diflari potuerunt: quòd uerò quædam ſint mulieres, quæ nullam titillationem percipientes utero concipiunt, dicunt hi, eſt in causa, semen, quod paulatim in matrice collectum adueniente uiri semine absque titillatione, & delitiis utero gerunt, quòd ſi unica uice congeratur, & delitias in mulieribus efficit, atque oblectamentũ. Verum miſſo Auer. exemplo iuxta Gal. placita rectius huic obiecto satisfacere poſſumus Galeni fuiſſe decretũ, semen mulieris concurrere non ut quid neceſſarium, sed ut utile, nam cum in semine uiri uirtus adeſt effectiua, atque materialis, quemadmodum superius determinatum eſt, ſi generatio ipsa fieri debet, opus eſt, ut semen id per totam matricis superficiem extendatur, at quoniã rarò euenit ut uirile semẽ tantę ſit quãtitatis, ut omnes uteri partes eo oblinantur, ob id utile fuit, ut dum uiri semen recta eiaculatione per uteri ceruicem in fundum, reliquasque partes delatum ad latera multotiens reflecti ob eius exiguitatem non poſſit, accedat aliud mulieris semen, quod cum humidius ſit, atque frigidius, eſt quaſi alimentum quoddam (ut Galeno placet) uirili semini craſſiori, ac calidiori accõmodatũ, quòd ſi semen uiri copiosum ſit, contingere poteſt, ut fœtus genitura mulieris semine non egeat, tuncque mulier ipsa neque semen emittet, neque ullas in coitu percipiet oblectationes. Fęmina igitur non tantum sanguinem menſtruum, sed & semen fœtui subminiſtrat. 2. de sem.

Solutio cuidam Auerrois obiecto, quòd semen fęminę non ſit fœtus materia, ſicut & sanguis menſtruus. Cap. 8.

PRoinde quòd id ipſius materia ſit, eisdem quoque rationibus facile conuinci poteſt Ariſto. quibus ipse ex his, quæ à nobis de Galeni mente exposita sunt, uirile semen fœtus materiam eſſe conuinctus eſt, quæ sanè cum denuò repetere superuacaneum ſit, id consultò ut comprobatum ex superioribus prætermittemus, illi duntaxat Auer. obiecto respondere tentantes, quo probare nitebatur, quòd ſi semen utrumque & sanguis menſtruus fœtus materia

teria forent, ex pluribus, diuersisque materiis unica forma constitueretur, quod quidem à ueritate ualde absonum uidetur. Quòd si dicas pro Galeno, quòd plures sunt materię, quæ unà iunctę perfectam geniturę materiam conficiunt, à fęmina tamen ob sanguinem menstruum originem trahentes, (siquidem animalis species à fęmina pendet, diuersa tamen iuxta distinctas materierum partialium cōiugationes, nam si canis vulpem inierit, vulpis gignitur, sed cani similis, pariter si caper ouem inierit, ouis duriori quidem lanitio, sicut capram aries, capra molliori pilo efformatur) aduersus hæc obiicit Auer. nam si ex duabus tribus vè materiis una tantum fit, aut ueluti ex elementis commixtis unum fiet, tanquā ex membris simplicibus unum membrum organicum, primum quidem esse non potest, quoniam ex seminis, & sanguinis menstrui commixtione, iuxta Galeni sententiam, membra nō generantur, sed simplicia quidem ex semine, alia uerò carnea ex sanguine menstruo: neque secundum statuendum est, nam si ita esset, darentur inanimata congregari nempè semen & sanguinem menstruū, ex quibus animatum efficiatur, ut statuit Empedocles, qui ex congregatione, disiunctioneque membrorum animalis, & omnium generabilium (quorum causa penès ipsum est amicitia & lis,) quę que ortum habere, & interitum opinatus est: quę quidem opinio cum alibi ab Aristo. & Auer. fuerit explosa, haud opus est, ut ea in præsentiarum incassum à nobis repetantur: non igitur secundum Auer. dicendum est primum, quod generatur, esse neruum, aut uenam, aut quid tale inanimatum, sed ex eadem materia cor ipsum quoad omnes sui partes, ut animę sit instrumentum, corpusque animatum, & uiuens constituatur. Verum non recte obiicit Auer. aduersus Galeni sententiam, si ipsius placita recte considerentur, etenim Galenus sustinet ex distinctis materiis diuersas corporis partes effingi, ex quibus tamen anima ipsa educi posit, non quidē ut diuersis, atq; inter se contrarijs, sed in unum conspirantibus, ita ut si hæc quidem pro una, hæc autem pro altera parte cō ueniens materia existit, omnes tamen in unam communem materiam coeunt: etenim cum fætus formatur, ex subtiliori quidem sanguinis parte calidissimum omnium uiscus gignitur: ex crassiori autem iocinoris forma, ac reliqua omnia carnea, ut ex fistulata seminis substantia, uenę, membranę, ossa, & huiusmodi, ita ut tandem omnes partes ex duabus hisce materiis constitutę in unum tamen conspirantes animal ipsum iam perfectum conficiant, cuius una

1. paraphrasi 1. de gen. anima.

communis est animata forma, & à communi materia educta, quæ postmodum diuersis in partibus diuersas exercet operationes.

Mulieris semen esse principium effectiuum. *Cap. 9.*

PRoinde ex his, quæ à nobis ab initio proposita sunt, superest ut mulieris semen principium quoque effectiuum esse demonstremus, quod quidem eo secundo de sem. ualidissime probat Gal. nam cum in animalis propagatione tres ad parentes similitudines esse possint: altera quidem, quæ ex totius substantię specie prouenit, quemadmodum cum homo ex homine, & equus ex equo producitur: altera autē ex forma, figura, & delineamentis, quæ in quibusque parentibus, siue agnatis reperiuntur, ac postrema ipsius sexus cum mas ad marem, & fęmina ad fęminam comparatur, prioris quidem similitudinis maiorem partem mater exhibere uidetur, siquidem ad tale animal generandum sanguis menstruus est & substantia, quæ generationi subiicitur, licet uiri semen etiam concurrat, ut superius demonstratum est, at in similitudine ex forma, & figura, uerum non est, quod ait Arist. uiri duntaxat semen, quippe motionis principium existit, similitudinem hanc impartiri, nam cū fætus quandoque patri, & quandoque matri, & nonnunquā utrique similis in lucem prodit, semen utique uiri ut principium tantum, & causa effectrix esse non potest, siquidem genitura mari semper similis conspiceretur, at cum modo huic, modo illi similis sit, id alteri attribuere non possumus, quàm cuidā & maris & fęminę communi principio, cum quandoque uiri principium præualet, nōnunquam illud mulieris, & aliquando partim quidem id uiri, partim uerò id mulieris tale autem principium nil aliud esse potest, quàm uiri semen, ac fęminę unà iunctum, in qua quidem coniugatione, dum in uiri semine uis, & facultas principatum obtinet, natus ipse patrem repræsentat, dum uerò fęmineum semen præualet (quod quidem ad ipsius robur, sanguinis menstrui uim, & facultatem sibi adiungit quæ nouē mensium tempore assidens tanto in inualescit quanto in primo congressu à maris semine superabatur) in fætu maris similitudo conspicitur. At Arist. huic obiecto occurrere intendens, rationem hiusce uarii effectus assignat, inquiens, horum omnium causam existere uirilis seminis potentiam, quę cum superat, & marem, & patri similem generat, cum uerò superetur, quod ei contrarium est efficit, & pro ea, qua non superarit facultate, defectum ostendit,

4. de gen. ani. cap. 3.

ostẽdit,qui quidem defectus,cum maior minorvè sit, prout magis, minusvè à propriò opere uirilis seminis uirtus aberrat,animal quoque simile,uel huic uel illi magis reddet, cum uerò fęminę similitudo propius ad marem,mox ea agnatorum, & remotius illa hominis tantum accedat, uirtus etiam hæc iuxta hos similitudinis gradus à scopo usque adeo procedendo per contrarium degenerabit, ut tandem ne hominem quidem, sed animal tantum aliquod gignet, quod quidem monstrum ab Arist.nuncupatur, Galenns aduersus Aristo.euasionem ualida admodum argumentatione obsistere potest, nam si natura,dum semen uincitur,figuram patris imprimere non ualet, eius autem oppositum imprimit, cum matris figura non magis sit patrís figurę contraria, quàm quælibet alia:cur est, quòd figuram aliam à matre potius non imprimet? cum tamen secus se habere comperiamus,siquidem maiori ex parte fætus aut patri,aut matri similis uisitur. Quòd si forte dicas pro Aristotelis patrocinio, huiusce rei causam esse,quoniam sanguis menstruus deciditur, ex quo maior ad maris figuram, quàm ad alium quemlibet hominem aptitudo comparatur, confestim ex Galeno obiiciam, sanguinem menstruum mollem esse, & ex consequenti ad quamuis figuram accomodatum, in quo si nulla causa (ut Aristo. censet) effectrix adest, necesse erit aliud agens concedere, quod quidem uiri semen superans hanc matris figuram delineet, atque producat:materia namque ex se agere non potest (idem enim secundum sui partes simile agens foret,ac passum, quod naturalibus principiis ab ipso traditis uel maxime aduersatur, à quibus quidem Galenus haudquaquam dissentit, quippe sustinet ipse & semen & sanguinem menstruum secundum diuersas partes,& principium efficiens, & materiam esse) hoc autem agens nil aliud esse potest, quàm mulieris semen, ergò id erit huiusce effectus causa productiua, & ex consequenti non tantum materia, sed & principium efficiens generationis,quod quidẽ cum uiri semen superat,matris figuram repræsentat, cum uerò utrumque & uiri & mulieris semen ęquipollet,nonnunquam fætus in aliquibus quidem matri, in quibusdam uero patri, aut quandoque dum ualida utriusque admixtio efficitur,neutri, sed aut agnato,aut homini duntaxat similis uidebitur. Quòd si quis aduersus Galenum obiiciat,quòd si in muliere semen gignitiuum adesset,superfluus foret uiri concubitus,siquidẽ in ea & semen,& sanguis menstruus ut efficiens, ac materia reperiretur, ex quibus fætus necessariò produceretur, huic quidem facile

cile occurremus, dicẽtes præter id, quod superius dictũ est, nempè semen mulieris fætus productioni non semper, sed ueluti semini uirili accomodatum alimentum quoddam ut plurimum concurrere, quòd imperfectum quoque est atque imbecillum principium, utpote quòd ex se nullo pacto fętum producere ualeat, nisi uiri semẽ, aut sanguis menstruus præstò sint, robur illi, atque uirtutem tribuentes, ut cum his iunctum fætus generationi substernatur. Qua etiam responsione Auer. rationi satisfacere possemus, probare nitentis, quòd si semen mulieris principium efficiens esset, ad unam formam producendam duo agentia adessent, quod quidem naturalibus principiis ualde alienum est, una namq; forma ab uno duntaxat principio efficiẽte producitur, quippe cum semen fęminę (ut inquit Gal.) motus principium habeat, omnino eiusdem cum mare motus habet principium, ipsumque oportet cum maris semine misceri, ac tum demum ueluti unum postea agere: constat igitur, quòd semen mulieris maris semen efflagitat, ut perficiatur, quòd si ita est, misceatur quoque necesse est, atque ita utrumque semen in unum motum conspirent, fieri namque non posset, ut si utrumque motu inter se discrepãte moueretur, in unius animalis propagationem conspiraret: quod quidem in gallinis perspicuum apparet, concipiunt etenim hę oua, quæ subuentanea nuncupantur, absque hoc quòd cum mare congrediantur, formã quidẽ omnem habẽtes, quã & alia oua, quæ cũ maris congressu genita sunt, sed ad perfectionem quippiam exoptãtes, ut animal ex ipsis gigni posſit, quam sanè perfectionem ex maris coitu adipiscuntur, cum imperfectum id motus principium in ouo positum, ab altero maris superueniente, in unumque conspirante perficiatur. 14. de us. part. c. 7.

Quænam sit in semine & sanguine menstruo uirtus formatrix dubia omnium sententia. Cap. 10.

CAEterum quæ nam sit in semine, ac sanguine menstruo uis hæc fætuum formatrix, cum Gal. accurate satis eam perquirere tentasset, tandem non parum dubitare uisus est: uidebat etenim summam in fętus formatione sapientiam ac facultatẽ, atque ob id non eam esse, quam Aristotelis sectatores uegetabilem nuncupant, aut ut Platonici, concupiscibilem, aut ut Stoici naturam ipsam, siquidem hæc nullius sapientię particeps est, sed omnino irrationalis: cum igitur eius essentia neque à Gal. neque ab

aliis

aliis philoſophis demonſtrari potuerit, nundum enim à quopiam (inquit Gal.) linealibus demonſtrationibus probatum inueni, an corporea ſit, uel incorporea, an omnino æterna, uel corruptibilis, nulli mirum eſſe debet, ſi & à nobis ut Dei arcanum ſilentio inuoluendum erit. Hæc ſunt quę de ſemine, ſi pater uixiſſet, perficienda erant breui admodum, quoad fieri potuit, oratione à nobis perſtricta, qui uerò in naturali medicaque facultate ſunt edocti, utriuſque rationes æqua lance perpendant, tutiores namque, ac ſolidiores Gal. quàm Ariſtotelis eſſe rationes proculdubio reperient.

Finis tertij Apologiæ libri.

ODDI DE ODDIS

DE COENAE ET PRANDII PORTIONE

Liber primus.

Procemium.



VM mecum sæpe animo repeterem, quòd licet idem, qui olim, nunc mundus sit neque Solis circuitus inuersus, nec ulla aliarum stellarum, siue fixarum, siue errantium, nec dierum ordinis mutatio facta sit, tamen perquam rarò hisce temporibus quempiam nasci cernimus, qui ad bonas artes perdiscendas, in quibus priscis temporibus tot claruisse liquidò cõstat, aptus esse uideatur, eoque neminem amplius talem euadere, qualem, uel Phidiam inter statuarios, uel Apellem inter pictores, uel Platonem atque Aristotelẽ inter philosophos, uel Hippocratem, ac Galenum inter medicos euasisse uidemus; id inquam non potui non uehementer admirari, cùm præsertim, ad bonas artes aditus nunc nobis facilior sit, quandoquidem, quæ antiqui longo tempore assiduis uigiliis, & laboribus parta monumentis mandarunt, breuiore nos tẽpore perdiscere ualemus: atq; cũ huius ego rei causam inuestigarem, id mihi tandem succurrit, quod plerisque in locis Galenus affirmat, ex recta uidelicet cibi, potusque ratione non bonam modò gigni corporis temperaturam, sed etiam animum reddi præstantiorem, ex praua autem & prauam corporis gigni temperaturam, & bonos animi mores corrumpi, mẽtemque a proprio distrahi munere, cùm itaque antiquorum illorum felicissimo sęculo rectam uiuendi rationẽ sibi homines instituissent, ut bonam corporis temperiem, ita bonos animi mores sibi compararunt, proinde non pauci extitere, qui eatenus fortunæ bona ex-

petenda esse iudicantes, quatenus ad suppeditandum corporis ne cessitatibus satis esse existimauerāt, nullis pepercerunt laboribus, ut in bonis artibus excellerent: at his temporibus ut ab illa prisca uictus ratione homines diuerterunt, ita quantum ab ea discessere, tantum in animi moribus facta est commutatio: Quare bonis artibus neglectis, nunc ut ditentur, seseque cibo, ac potu ingurgitēt, & ueneri, ac omnibus denique flagitiis, gulę quòd inseruiant, sollicitos esse conspicimus, quòd si quis aliquam artem discere incęperit, neque tantum perferre poterit, ut ad proprium artis finem perueniat, ueritus ne alii citius ditentur, quàm ipse in arte illa con sumatus esse posit: Neque enim homines nunc uirtutis amore ducti, & ut aliis opitulētur artes sibi discendas proponunt, sed ut, tam etsi forte fortuua diuites sunt, adhuc ditiores efficiantur: Itaque hac de causa existimaui paucos nunc tales esse, quales ueteres illi non pauci extitere Quare cùm ostendere cuperem, communē nunc uiuendi rationem ab illa uetere, & recta non parum declinasse, id ex prandii, cœnęque ratione mutata uno opusculo declarare constitui, ut inde posit unusquisque in cæteris quanta facta sit commutatio iudicium facere: quod opusculum in duo per quam breuia diuisum uolumina his longioribus noctibus elucubraui, quod ab Oratio admonitus, qui ne pręcipitetur æditio iubet, me cum intra priuatos parietes perdiu continere statueram, ut refrigerato tandem inuentionis amore tanquam aliena legens acrius iudicium adhiberem, seueriusque rem uniuersam perpenderem, sed a certa me sententia amicorum studia auerterunt, quia ditionem hanc contendere a me nunquā desinere, quoad in suam me, qui longè aliter sentiebam, traxere sententiam, atque eam imprimis afferebant rationem, quamobrem opusculum hoc quam primum publicum facere deberem, quòd opinio illa falsa profecto De cœnę & prandii portione, quæ in hominum animis per multa secula insedit, atque inueterauit, non minus ad hanc diem detrimenti mortalibus attulerit, quam hæc, quam nō ex nostra officina sed ex antiquorum sacrariis uetustatis sordibus obsitam produximus, emolumēti sit allatura. Quare, tum ut hominibus mei amantissimis morem gererem, tum ut communi omnium saluti consulerem, elucubratiunculam hanc grauissimorum hominum authoritatibus munitā in aciem eduxi: ideo autē quantas omniū fere medicorum in me pugnas concitem, sed cùm studeam placere bonis, quàm plurimis, ut Terentianis utar uerbis, totus ex grauissimo, acerrimo-

acerrimoque doctiorum uirorum iudicio pendeo, quòd si hoc quicquid est, quod quasi specimen quoddam emisi (tutius est enim in parte, quàm in toto periclitari) ab illius probari intelligam uigiliarum mearum uidebor mihi amplissimum præmium consecutus, daboq; operam, ut perfectiora, elaboratioraq; deinceps a nobis in publicum prodeant.

Præsentis libri intentio, siue scopus. *Cap. I.*

QVoniam totius corporis nutritio non sine noxa efficitur, nisi, quę extrinsecus ingeruntur, recta ratione administrētur, ut autem recte administrari possint, quantitas spectari & tempus idoneum deligere oportet, quo ea sunt exhibēda: in quo censeo, recentiorum plurimos non modo ægris, sed etiam sanis præcipientes, ut parcius quidem cœnent, uberius autem prandeāt, non parum in utrisque aberrare, tum ut illis morem geram, qui sæpe me alias, & nunc hortantur, ut hoc onus suscipiam, tum ut aliis omnibus. & posteritati aliquid prosim (quippe fortasse dabo saltem aliis in hac re quidpiam scribendi occasionem) statui hoc libello demonstrare, & sanis & ægris (nonnullos tamen excipiam) melius esse in cœna plus cibi, quàm in prandio sumere. Quòd uero alia quidem corporibus optimam temperaturam seruantibus alimenta conueniant, alia calidis, alia frigidis, alia humidis, alia siccis, necnon alia, atque alia aliam, & aliam compositam habentibus temperaturam, præterea alia laxiorem, alia densiorem corporis texturam, aliam æqualem, alia inæqualem totius corporis statum seruantibus, quæ rursus nemo inficiabitur alia, atque alia esse debere iuxta triplicem totius corporis inæqualitatem, quam Gal. explicauit, & pleraque alia pro recta salubris uictus ratione seruanda, quæ longum esset recensere, is perquirat, qui ea perdiscere concupiscit, apud Gal. Celsum, Rasim, Haliab. Aui. & Auer. de his enim pertractare non est pręsentis negotii: Verum ut hæc disceptatio, quæ in præsentia est ineunda, ordine procedat, quædam prius sumam, quæ inter eos, qui præcipui in medicina habentur, conuenire ostendam, deinde ad id pertransibo, quod ostendere constitui: hac enim ratione non solum Aristo. sed etiam Gal. docet demonstrationes nos moliri oportere. Rem itaque aggrediar, ubi eos rogauero, qui hunc librum legere decreuerint, ut totum perlegant, ac omnia diligenter examinent, prius quàm de ipso, aut

6. de tuen. sanit.

ipſius authore ſententiam ferant: Sed puto me facturum operæ pretium, ſi in primis reſerauero, quid hominem coegerit extrinſecus cibos ingerere, quaque ratione fiat totius corporis nutritio, neque enim ad ea, quæ declaranda ſunt, id erit inutile.

Cur homo coactus ſit extrinſecus cibos ingerere, & qua ratione fiat totius nutritio. Cap. 2.

HVmanum itaque corpus ex humida cõſtare ſubſtantia, quę caloris actione, tum naturalis, tum aeris continentis iugiter effluit, & ob id cibo, potuque indigere, ut quod effluxit è corpore reſarciatur, erit unicuiq; abunde manifeſtum, qui primum Gal perlegerit: uerum quoniam unaquæque corporis particula diſſoluti loco non niſi quod ſibi per quàm ſimile eſt, admittit, quando quod effluit, tale natura eſt, quale quod ſeruatum eſt, quæ autem ingeruntur, talia non ſunt, ob id ea conficere natura cogitur, ut conuenientem membris ſimilitudinem, quoad fieri poteſt, cibis comparet: quod ut optime fiat, cuilibet corporis particulę connatas ei facultates natura tribuit, quibus, cum particula inanis redditur, & quod magis ſibi eſt affine attrahat, & certo tẽpore contineat, & alteret ad ſibi ſimile, ac ſibi appoſitum conglutinet, aſsimiletque, nec non & excrementa, quorum neceſſe eſt generationem ſubſequi, expellat, uel quod ei ſupereſt aliis propellat: cùm uero tota hæc actio naturalis ſit, animalibus, & plantis communis eſt. Quoniam autem, ut docet Gal. ſtirpibus (quia terræ affixę ſunt) terra ipſa cibi promptuarium præſto eſt, ex qua radices neceſsitatis tempore cibum facile pręripiunt, præſertim quòad anni tempora propriam ſibi ſeruant temperaturam, proptere a ſenſu non indigent, quo propriam inanitionem ſentiant: Animalia uero, utpote quæ (paucis exceptis) terrę non reſident, quandoquidem eis, & uoluntarie ſecundum locum moueri & ſubſtantiam longe magis à terra diſtantem, atque illa plantarum natura conceſsit, huiuſmodi ſenſui magis obnoxia eſſe neceſſe eſt, ut eodem tempore, quo indigentiam ſentiant, familiarẽ ſibi cibum & quærant, & ad ſatietatem ingerant: Verum, cum corporis particulæ cuti ſubditæ a uicinioribus ſibi partibus trahant alimentũ, mox & illæ ex ſibi propinquioribus, hæ rurſus ex aliis ſibi uicinioribus, & ita ex propinquioribus partibus ordine quodã facta ſemper attractione, donec actio ad uentriculum terminetur, omnes

corporis

1. de tu&d. ſan. prima aphoriſ. part. 14.

4. de ſym. cauſ. c. 7. & quarto de uſ. partium c. 7.

corporis partes ex uentre, perinde ac plantæ ex terra, cibum eliciant, non magis eo ipso sensu, quo penuriam sentiant, atque ipsæ stirpes indigent: at solus uentriculus, ut cui deest, unde cibum attrahat, per duos non exiles neruos a cerebro ad ipsius osculum demissos illam iure facultatem admittit, ut ea ipsius suctionem a uenis ex eo succum ueluti emulgentibus factam animal percipiens, cum ipsum uentriculum ad satietatem cibis impleat, quos uentriculus circumplectens, & undequaque (ubi integram sanitatem seruet) arcte comprehendens non ad eũ finẽ conficit, & Gal. ut eos aliis membris aptos efficiat, quando sic non naturale foret instrumentum, sed quoddam animal potius ratione, atque intellectu prȩditum, quod eligendi melius haberet facultatem, sed ut eis perfruatur, atque non solum ea, quam recentiorum plurimi qualitatiuam appellant, sed uera nutritione nutriatur, ut unusquisque ex Gal. facile percipiet: neque enim qualitatiua tantummodo, sed uera nutritione id nutriri, quippe quod ei, quod nutritur, & apponitur, & unitur, & assimilatur: qua ratione uentriculum ex eo, quem chilum recentiores appellant, nutriri cum plerisque in locis Gal. id apertissime profitetur: sed de hoc disserere non est præsentis instituti.

3. de uirtu. natur. cap. 13.
2. aph. par ti. 18. 4. de tu. sanit. 3. de pot. nat. & 13.

Quo nam pactò iuxta tres temporis portiones per uniuersum corpus alimentum dispensetur. Cap. 3.

CONfecto itaque in ipso uentriculo alimento pauloante ingesto, & ad satietatem apposito, nonnihil etiam ex ipso ad hepar delato, quod in prima illius temporis efficitur portione, quo fit omnis alimenti dispensatio (illud enim Gal. in tres diuidit portiones) quoniam uentriculus, quicquid superest, loco oneris habet, id igitur tanquam superfluum excernens inferius ad intestina propellit, atque in secunda temporis portione alimenti plurimum intestina pertranseuntis ad iecur per uenas rapitur, parum uero per totum fertur corpus, intestinorumque tunicis fit alimenti appositio: & simili modo in hepate coctione peracta eidẽ hepati alimentum ad satietatem apponitur, idque uentriculo unitur, quod in primo tempore erat eidem appositum: dein iecur, quod superest, ad cauam uenam expellit, atque in tertia eiusdem temporis portione ipsius alimenti concoctio in uenis agitur, fitque per totum corpus alimenti distributio, & unicuique parti illius ap

positio:

positio: quod utpote sibi magis affine attrahit, quo tempore, quæ intestinis & hepati erant apposita, uniuntur: nutritur autem uentriculus, cùm iam integre assimilauerit, quæ prius sibi unierat. Quibus peractis, excrementisque depositis, ac uniuerso denique corpore ab omnibus superfluitatibus depurgato, iam tempus aderit, uentriculo nouum cibum appetenti denuò nutrimeutum ingerere, ut Gal. placuit, & Auer. atque Haliab. quare illo ingesto, quo tempore uentriculus rursus concoquit, atque ad satietatem illius alimenti depascitur humiditatem, & illa perfruitur, intestina, & iecur, quod ex priori alimento unierãt, sibi integre assimilabunt: in omnibus autem corporis partibus eorum fiet unio, quæ prius fuerant apposita: ubi uero uentriculus ad unionem cõuersus, quod sibi supererat, inferius propulerit, tum hepar & intestina, quæ operi priori ultimam manum proxime imposuerant, quæque omnifariam quietem ab omni prorsus operatione nutritioni deputata non admittunt, quando (ut dictum est) eorum substantia continue effluat, rursus alimentum ad se transmissum alterabunt, ac sibi ad satietatem apponent: interim autem quod in priori tempore uniuerso corpori uniri dicebatur, assimilabitur: quare unaquæque corporis particula ex eo rursus alimento, quod hepar unà cum intestinis ad unionem conuersum ad uenas tanquam superfluum reiiciet, quod est sibi magis familiare attrahet, eiusque perfruetur humiditate: Si igitur rursus post hæc tertiam animal cibationem sumpserit, eodem modo quasi per manus tradita, sicut proximè dictum est, sine ulla penitus noxa nutritio procedet, quandoquidem nulla erit actio alteri actioni impedimento, ubi enim tum uenter, tum hepar & intestina, tum uniuersum corpus nouum suscipient alimentum, ad eius quod hoc præcesserat, integram confectionem nihil actionis supererit.

3. de pot. nat. 13. 6. colli. 6 primo pract. c. 6

Qui errores consequantur ex inordinata cibi assumptione, ac eius male dispensatione. Cap. 4.

QVod si quis hanc cibandi rationem neglexerit, horum alterum necessario eueniet, quippe aut ab aliquo dictorum operum naturalis facultas auertetur, si antequam prędicta omnia peracta sint, cibus denuo ingestus fuerit, aut noxiis humoribus uentriculus replebitur, si diutius, quàm par est, inediam perpeti coactus fuerit: quorum utrumque summopere cauẽdum est:

ſcripſit etenim Gal. rationabile eſſe, priorem cibationem tantam exhiberi, quanta, prius quàm ſecunda ſumatur, tota prorſus conco qui poſsit, & alibi: Secundum cibum ante integram prioris confe-ctionem ingeſtum eſſe in cauſa, ut & ipſe, & quod prioris reliquum eſt, corrumpatur: Auic. quoque inquit: Quod enim in corpore eſt deterius, eſt nutriens (ſic enim ipſe loquitur) ſuper nutriens quod non eſt digeſtum, mittere: Præter a alibi rurſus ſcripſit Gal. quòd ſi uentriculus appoſito, unito, atque aſsimilato nutrimento, ieiunus cogatur permanere, ex his, quę in meſenterio, & hepate uenis ſunt, nutrimentum attrahet, non quidem quod iam propriæ hepatis carni, & unicuique uaſorum, quę in ipſo ſunt, appoſitum eſt, multoque minus quod iam eſt unitum, uel etiam aſsimilatum, ſed in uenarum concauitatibus contenta arripiet, & ea prę̨ſertim, quæ aut ſunt excrementa eorum, quæ in iocinore genita ſunt, aut ſunt hepati ſuperuacanea, quibus cupit iecur exonerari, nec non & ex liene, atque aliis particulis, & præcipue propinquioribus ſuper-fluitates eruet, quæ facilius trahi queunt, utpote partibus, quod eſt ſibi magis affine, arcte comprehendentibus, expultrice uero facul tate, quod eis eſt inutile, aut ſupereſt, expellēte, & Auic. poſt uerba, quę eadem ferè à Raſi mutuatus eſt, ſubintulit: Tolerare famem (hęc enim ſunt eius uerba) ſtomachũ putridis replet humoribus: Eadem ſententia ex Haliab. colligitur, Ex iis inquam ſatis manife-ſtum eſſe arbitror, ſecundam cibationem, antequam prior tota ſit confecta, non eſſe ſuggerendam, nec uentriculum eſſe cogendum, ut cùm cibum apperit, diù ieiunus permaneat, quod unum eſt ex his, quæ ſumenda ſunt, alterum eſt, quòd ſine noxa ſumi non po-teſt maior minorve alimentorũ quantitas, quã calor naturalis põt peruincere, quippe cùm calor naturalis, quoniam (ut dictum eſt) continue effluit, ſanguine inſtauretur, quemadmodũ flamma oleo, aut lignis, ut Galenus placuit, ſicut flammam debilitari, & de-mum extingui oleo, ligniſque deficientibus neceſſe eſt, ita in ſanguinis defectu calori naturali eueniet: quoniam autem ex cibis in uentre confectis ſanguis generatur, quantoque calor maior eſt, tanto maior eſt quoque eius effluxus, igitur qui calorem in ſua magnitudine conſeruare uoluerit, tantum cibi erit opus aſſumat, quantum poſsit calor concoquere: Sic enim nec quã titate alimenti calor ſuffocabitur, nec eiuſdem paucitate deficiet, quorum alterum omnino contingere, ubi quę debet, cibi quantitas non exhibetur, ſcripſit Gal in hunc modum. Alimentorum autem ipſius

[Margin notes: 7. met. c. 6. libello de diſſol. conti. cap. 1. — tertia primi doct. 2. cap. 7. — 3. de pot. natu. 13. — 2. primi doct. 2. c. 7. — 4. ad Alman. c. 4. — 1. pract. 6. — libel. de uſ. reſpi. 3. & principio de iuua. anhel. — 2. de mor cauſ. 3.]

„ ipſius uel abundantia, uel defectus, aut aliena qualitas ad hunc
„ illi modum officit: magna quidem lignorum ſtrues, ſi confertim
„ exiguę flammæ iniiciatur, ob immodice quantitatis exceſſum eam
„ ſuffocabit: at ſi nulla penitus aut pauca admodum ligna ſuppedita
„ ueris, tabeſcere flammam uidebis, idque ob alimenti defectum,
„ uel paucitatem: ſic lucernæ flammam & minui, & ferè extingui ui-
„ demus, ubi proprium ipſius alimentum à iuſto modo aberrauerit,
„ ſiue enim nimis parce oleum adhibeas, ſiue affatim plurimum in
„ fundas, noxam non uitabis &c. Iuſuper ubi plus cibi ingeſtum ſit, quàm calor posſit peruincere, quòd mali generabuntur ſucci, ita eſt manifeſtum, ut nulla declaratione indigeat: qui uero id cupit apud authores perquirere, legat Gal. Raſim, Haliab. & Auic. illud tantum dixiſſe ſufficiat, quod Gal. ſcripſit. Optimi quidem ſucci cibum, & qui plurimum alimenti præbere poteſt, ſi animanti immoderatius ingeratur frigidos morbos excitare: quod etiam eodē in loco ſcripſit poſſe ex uino contingere immoderatius ſumpto, quod quidem, cùm alimentum ſit ualde familiare, modice ſumptum naturalem calorem augere poteſt: uerum quòd minore, quàm ſibi conueniat, cibi quantitate calor naturalis debilitetur, ex Hippocrate colligi poteſt. 14. & 15. aphoriſmis primæ parti. in cuius aphoriſmi. 15. expoſitione Gal. cauſam inueſtigans, cur calorem naturalem hyberno tempore pluribus egere alimentis Hippocrates dixerit, ſcripſit, quòd niſi hic abundans habeat, quo fruatur, alimentum primò ipſe à circunſtante frigore ſuperabitur, tam ab eo, qui extrinſecus ingruit, quàm ab illo, qui per inſpirationē attrahitur: cum ipſo uero & coctio ciborum debilitabitur, & optimi ſanguinis generatio, & partium animalis enutritio, & ſuperfluitatum expulſio; In fine quoque eius expoſitionis repetens oportere alimentum quantitati caloris naturalis æquari, illos excipiebat, qui ueris tempore ſanguinis indigent misſione, in quibus timor eſt, ne ambientis aeris qualitate nimis extendatur, atque diffundatur ſanguis: Haliabas quoque ualentius alimentum multo calori, ac robuſto, leuius autem paruo, & debili ſuppeditare fas eſſe, exemplo declarauit, inquiens, maximum ignem multis, ac ualentioribus lignis augeri, & quodammodo nutriri, cui ſi paruum, ac debile lignū ut palea iniiciatur, ſtatim abſumitur: propter quod ignis aut minor, & debilior fit, aut extinguitur: quare Gal. cōſumptorū renutritoriā, refectoriáq; uictus rationē docēs ait, quod quāto hi meliores efficiuntur, tāto tū plures, tū ualētiores cibi, quāprius exhibendi ſunt:

2. de mor. cauſ. 6. de ſympt. cauſ. c. primo 4. ad Alm. c. 4. primo pract. c. 6. terza primi doct. ſecunda c. 7. 2. de mor. cap. 3.

7. met. c. 6. primo de

Quòd somnus, & aeri continentis frigiditas, ciborum co ctione ualidiorem reddunt, ut eius oppositum uigilia & aeris caliditas, & quomodo. Cap. 5.

SIc itaque constat, alimenti quantitatē pro portione quantitatis caloris naturalis esse oportere: quare prudentem medicum summa ope niti decet, ut eum non lateat, quo magis tempore calor naturalis ad cibos conficiendos fortior est: Quod nimirum nō ignorabit, si sciuerit calorem naturalem, tùm somno, tum aeris continentis frigiditate augeri, reddique ad ciborum coctionem ualidiorem, quippè cùm naturalis calor in somno ad internas partes secedat, ad naturalia quidem munera obeunda potentior, ad animalia uero imbecillior reddetur, contra uero in uigilia, ut Gal. his uerbis manifestauit: Præterea neminem latet, sensus per somnos, aut ociosos omnino esse, aut debiliter agere, consentaneum itaque est, exiguam quandam a principe parte facultatem tum defluere, quòd enim quis uel profunde, uel minus profunde dormit, ex eo est (ut quotidie dicere solemus) quòd aut plus, aut minus affluit, quippe tanto minus affluere par est, quanto grauior fuerit somnus: itaque toto hoc tempore, quo quis dormit, animalis facultas quiescere, naturalis uero ualidius agere uidetur &c. Et Gal. causam reddens, cur pulsus in somni initio debiliores fiant, & tardiores, atque rariores, post modum uero maiores, & uehementiores scripsit id effici, quia calor cogens se ad interiora cibū inuenit conficiendum, & ut eum peruincat, laborat: quo fit, ut quoad illum superauerit, imbecillior uideatur, qui adeptus uictoriam, & ualidior redditur, & pulsus maiores, ac uehementiores operatur: Insuper Auer. rationem assignans, cur in somno melius cibi conficiantur, id fieri inquit, quoniam uirtus concoctrix tunc in alimenti coctione duplici utitur calore, proprio scilicet, ac eo, qui prius quàm ad interna secederet, uirtutibus animalibus deseruiebat: Itidem ex Haliab. & ex Auic. unusquisque id potest perdiscere: Insuper Aristoteles in libello de som. & uig. uolens ostendere, quòd ea, quæ nutriuntur (sentiant alii quicquid uelint) sensu non indigent, ut nutriantur, scripsit sensum habentia tum maxime nutriri, quando secundum sensum non operantur: Et Themistius in illius libelli paraphrasi, cum dixit, quòd quæcūque alescūt, non necessariò etiam sentiunt, hęc uerba subintulit: Hoc uero demostrat ea ratio, quòd uis, quæ nutrit, munus suum nauius, & expeditius

quarto de sympt. cau. 8.

3. de caus. puls.

1. ante. com. 118. & 2. eiusdē 40.

5 theor. cap. 35.

2. primi doc. 2. sū. 1. cap 13. & do. 3 sum. secunda cap. 12.

peditius consopitis, quàm uigilantibus nobis absoluit, nam e☐
" tempore p robius & alimur, & corpulenta perficimus, utpote ut
" quas actiones nihil adminiculentur sensus: Ad hæc Alexander Aphrodiseus in enarratione de anima ex Aristotelis institutione, ubi de impulsu, & ui impulsoria agit, declarans uirtutem altricem a ui sensibili segregari, scripsit hæc uerba: Præter hæc continen-
" ter, ac momentis singulis altrice uirtute fungimur, semper enim
" alimur, & in dormientibus maxime pręcipuo munere, atque actio-
" ne potestas hæc sese exercere uidetur &c. Eadē ratione, cùm aeris nos ambientis frigiditate colligat se ad interiora calor innatus sibi contrarium aufugiens, ad cibos conficiendos reddetur ualidior: contra uero, cùm eiusdem aeris caliditate ad exteriores partes agatur, ad eorundem ciborum coctionem imbecillior fiet: quod optime Gal. in expositione illius aphorismi declarauit, scribens in hunc modum. Causam uero, ob quam hic idem calor hyeme augeatur, etiam Aristoteles dixit: refugit enim propter circunstantem ex
" trinsecus friditatem, sicut rursus æstate ad sibi affinem protendi-
" tur: atq; ita contingit, dissolui quidem, ac dissipari eius substantiam
" tempore ęstiuo, cotineri, ac cohiberi, & in profundum secedere
" hyemali: ob hoc igitur & coctiones, & sanguificationes, & nutri-
" tiones hisce temporibus sunt meliores &c. Sępiusque repetit ea-
" dem expositione, tempore hyemali spiritum unà cum sanguine
" ad profundum corporis retrocedere: quare Hippocrates eodem
" Aphoris. dixit: Ventres hyeme, & uere calidissimi sunt natura, &
" somni longissimi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda. Præterea declarans Gal. excute non posse eorum totius corporis temperaturam cognosci: qui ea incolunt loca, quæ sub ursa, & meridie sita sunt, asserit id contingere, quoniam in his, qui ad ursam habitant, calor ad profunda corporis ab aeris cō tinentis frigiditate fugatur, qui in habitantibus ad meridiem extrinsecus ambientis caliditate incutem attrahitur, & mox subiiciēs eorum temperies, qui minus temperatas habitāt regiones, inæquales esse, utpote interioribus, exterioribusque inter se partibus non parùm differentibus, hæc uerba subintulit: Gallis enim, & Germa-
" nis, & omni Thracio, & Scithico generi, frigida, humidaque cutis
" est, ideoque etiam mollis, alba, & pilis nuda, omnis uero natura-
" lis his calor in uiscera una cum sanguine cōfugit, ubi dum agita-
" tur, & premitur, & feruet, iracundi, audaces, & præcipites consi-
" lii redduntur, Ethiopibus uero, & Arabibus omnibus denique his

Secundo de temp cap. ultimo.

qui

qui ad meridiem incolunt, natura cutis ex ambientis æſtu, & naturali calore foras acto, uſta, dura, ſicca, & nigra redditur, toto corpore naturalis quidem caloris exiguam obtinente portionem, ſed alieno, atque diſcititio incaleſcente, &c. Idem quoque colligitur ex Halib. & ex Auer. His puto ſatis ſuperque declaratum eſſe, calorem innatum ut ſomno, ita aeris frigiditate augeri, & ob id ciborum coctiones ualidius agere. ” ” ” ” ” Prima par te cap. 2. & 6. 2. cant. com. 2.

Quæ in noſtro corpore quiete proueniant auxilia, quæque exercitatione: & quo tempore utriusque recta adminiſtratio adhibeatur. Cap. 6.

Reliquum autem eſt declarare, eundem calorem quiete reddi ad cibos conficiendos ualidiorem, quod optime fiet, ſi prius ex his quædam expoſuero, quæ ab exercitatione proueniunt: Porro duo præter cætera ab exercitatione proficiſcuntur, ut ſcripſit Gal. genuini ſcilicet caloris augumentum, & ſpiritus uiolentior motus ad externas uidelicet corporis partes, illa deinde ex his præter cætera conſequuntur, tum ſingulas corporis particulas in corpus deducenda ualidius attrahere, tùm ea facilius immutare, tùm nutritionem fęliciorem effici, tùm ſingularum partiũ excrementa ad expulſionem, necnon & meatus parari, quibus ea ipſa excrementa expelli neceſſe eſt, & denique excrementis ipſis corpora purgari: Quæ cum ita ſint, eo tempore debent corpora exercitari, ut inquit Gal. quo uentriculus, & uaſa crudis, incoctisque cibis, aut ſuccis omnino uacua ſunt, & urina, atque alui excrementa ſunt depoſita: ſic enim periculum non eſt, cùm (ut dictum eſt) exercitatio diſtributionẽ in corpus operetur, ut cruda, incoctaq; prius quàm probe confecta ſint, aut aliquid ex dictis excrementis ui caloris per exercitationem aucti in omnes corporis partes rapiantur: quare Gal. poſt uenerem eam ſcripſit exercitationis ſpeciem, quam præparatoriam uocant, poſt uigilias autem, uel triſtitiam, uel ambas, quæ apotherapia dicitur, idoneam eſſe, ſi tamen cruditas abſit, nam, ſi qua cruditas ſubeſt, inquit, omnino non eſſe exercitandum. Ex iis itaque conſtat tempus ad exercitationem idoneũ eſſe, ut docet Gal. cùm cibus ingeſtus, tùm in uentriculo, tùm in hepate iam prorſus confectus eſt, quæ uero fit in uenis, coctio agitur, & iam tempus inſtat, ut nouum alimentum ſuſcipiatur: conſtat quoque caloris augumentum, quod exercitatione acquiritur, dum

Secũdo de tuẽd. ſani.

Secunda de tuend. ſa-nit.

Tertio de tuend. ſan. ” ” ” ” ”

ipsa sit exercitatio, non illis coctionibus conferre, quæ in uētriculo ac hepate perficiuntur, uerum potius iis maxime officere, quandoquidem eo caloris augumento fiat illorum ualidior ad extimas partes attractio, quæ in intimis partibus continentur, atque calor naturalis, ut in æstiuo tempore, ita dum corpora exercitantur, foras agatur: Melius igitur uentriculus, & iecur alimenta conficiunt, cùm homo ab exercitationibus uacat, quod utique declarare statueram: Huic sententiæ Rasis in Halib. Auic. Auer. adstipulantur: puto equidem hactenus me satis manifeste aperuisse, secundam cibationem non esse exhibendam, nisi prior tota confecta sit, nec uentriculum diui eiunare cogendum esse, præterea sumendi cibi quantitatem, nec maiorem, nec minorem esse oportere, quàm calor posit peruincere: insuper & somno, & aeris frigiditate calorem naturalem augeri, & ob id cibos melius concoqui, contra uero fieri in uigilia, & aeris caliditate, demum exercitationem in corpus deductionem iuuare: his autem, quæ in uentriculo, & hepate fiunt, coctionibus officere: quæ omnia, licet hoc loco tam quàm hipotheses sint accipienda, non tamē inutile fuit clariora reddidisse, ac ostendisse, a præcipuis medicis esse concessa, quædam enim principia sunt, quæ aliquam declarationem desiderant.

2. ad Alm. cap. 2. 1. pract. c. 3. 3. primi doct. 2. c. 3. & 7. 6. col 2. prima cāt. 144. & 2. cant. com. 20.

Ex suppositis tribus potissimum rationibus plus in cęna quàm in prandio comedendum esse comprobat. Cap. 7.

EX ijs modo sic declaratis facile est colligere, plus in cœna quàm in prandio comedendum esse, quippe cùm tempus, quod a prandio ad cęnam protenditur, octo quidem, aut ad summum nouem contineat horas, quod uero a cœna ad prandium producitur, ex quindecim, aut sexdecim constet, ab eis quærere oportet, qui arbitrantur plus in prādio quàm in cœna esse exhibendum, nunquid, cum iam cœnandi tempus est, nutrimentum in prandio sumptum mature sit concoctum, necne? si enim id affirmauerint, igitur eos fateri necesse est, cibum in cœna exhibitum, cum tenuior sit, quā q in prandio ingestus est, breuiori tempore confectum iri: quare uentriculus diu ieiunus manere, malisque humoribus oppleri cogetur, quod esse ualde noxium, in primo assumpto superius ostensum est: Si uero id negauerint, utique uerum responderint, neque enim tam angusto temporis spacio potest in uentriculo cibus confici, apponi, uniri, & assimilari, in hepate uero cō-

coqu

coqui alimentum, apponi, ac uniri, in totum autem corpus deduci, ac illi nutrimentum apponi: quare secundus sumetur cibus, antequam prior sit perfecte concoctus, quod non parum officere, in eodem primo assumpto similiter declaratum est. Præterea, cum in nocte naturalis calor, & somno, & aeris frigiditate (nocturnus enim aer frigidior est, quàm diurnus) fortior sit, possitque ualidius naturales functiones obire, contra uero in die, necnon & alimenti quantitas, nec maior, nec minor esse debeat, quàm quòd ipse calor potest probe concoquere, ut in superioribus patuit, igitur nemo inficias iri poterit, plus cœnandum, quàm prandendum, insuper cum qui liberam uitam degunt, ac illius artis, quę optimam tuendæ ualetudinis rationem, docet, præceptis parere ualent, in die & exercitationes, & illa, quæ cum exercitatione affinitatem habent, quæque sibi peritus artifex præcipit, adire soliti sint, necnon & maxima pars hominum implicitam negotiis uitam agens, siue inopia, siue ea seruitute, quæ ambitionis, aut cuiusuis cupiditatis gratia uoluntaria est, siue ea, quæ coacta est, quam solam seruitutem uulgus appellat, præter ea, quæ dicta sunt, in die solita quoque munia, & aliquando insueta obeant, nocte uero quiescant, ubi maius quidem prandium, minore autem cœnam ingesserint, nescio qua ratione ea incomoda euitare poterunt, quę quidem his, qui se exercent, antequam alimentum in uentriculo, & hepate confectum sit, euenire superius explicatum est. Ex ijs itaque patere arbitror, rationabile esse, tũ quia longius tempus cœna, quàm prandium excipit: tum quia in nocte continens frigidius est: & omnes ferè dormire, ac quiescere consuescunt, ut tum plures, tum ualentiores cibi in cœna magis quàm in prandio administrentur.

7. meth. 6.

Grauissimorum uirorum authoritate suam corroborat opinionem de copiosiori in cęna quàm in prandio portione. Cap. 8.

QVibus de causis scripsit Gal. his, qui renutriuntur, reficiunturque ualentiores cibos in cœna maxime offerendos esse, quem usum, ait, athletas non ratione tantum inuenisse, sed etiam longa experientia comprobasse. Hanc utique sententiam ea comprobant, quæ Hippo. scribit, docens enim eorum uictus rationem, quibus morbi iudicatio facta est, sorbitionem inquit matutino quidem tempore exhibe, uespere autẽ ad alios etiamnum cibos transire poteris: Et alibi infra, ubi, qui uictus in singulis qua-

1. de rat. ui. 25.
„ „ „
3. de rat. ui.

tuor

tuor anni temporibus conueniat, declarat, præcipit hyeme oportere semel comedere, nisi quis ualde siccum uentrem habeat, si minus, modicum prandere: quam uictus rationem ait, seruandam esse a Vergiliarum occasu, usque, ad id tempus, quo Fauonius flare cęperit: quod tẽpus ex diebus quadraginta ante hyemale solstitium, & aliis quadraginta post idem solstitium constat, a quo tempore ad uernale æquinoctium usque, quod tempus septem & quadraginta dies continet, cum tempore est uarianda uictus ratio: Ab hoc autem ęquinoctio usque ad Vergiliarum ortum, quo ęstas incipit, toto eo tempore in sex partes diuiso, quarum singulę octo continẽt dies, mutationis uictus rationem docens iubet, ut eo quoque tempore modicum prandeatur: quod præceptum ab ortu uergiliarum usque ad æstiuum solstitium, & ab hoc ad arcturi ortum, & æquinoctium usque uictum institués repetit: Ab arcturi autem ortu ad uergiliarum usque occasum iubet ab ęstiuo quidem uictu recedentes, accedentes autem ad hybernum, sensim uictus ratioнẽ
primo lib. mutare, ut sic sine noxa ad hybernum uictum deducti post uergi-
cap.3. liarum occasum eo liberè uti possint. Celsus item declarans ad re-
" ctam uictus rationem instituendam tempus anni considerari opor
" tere, scripsit: Si prandet aliquis, utilius est exiguũ aliquid, & ipsum
" siccum, sine carne, sine potione sumere: Et paulo infra loquens de
" æstatis uictu ita inquit: Aestate uerò & potione, & cibo corpus sę-
" pius eget, ideo prandere quoque comodum est: cum igitur Celsus æstate, ut sæpius, ita exiguo cibo utendum esse censeat, & ob id prandere iubeat, quod tamen hyeme non concedit, nisi nimis uenter astrictus est, minus igitur æstate prandendum esse, quàm cęnandum ipsum uoluisse manifestum est: quare constat, Celsum sentẽtię paulo superius recitatę adstipulari. Rasis quoque horas ad comedendum idoneas esse scripsit, cum unusquisque ingesto cibo & quieti, & somno indulgere poteſt: quod quidem ex Auic. Auer. colligitur: Et Auic. de nocumentis agens, quæ a mala ciborũ coctione proueniunt, scripsit in hunc modum: Et quod sequitur ea de iudiciis cibi in hoc est, quòd cibus indiget quiete, & somno, usque quo bona fiat digestio: & quando sunt loco ambarum motus, & uigilię non completur digestio &c. & Haliabas ait cœnam esse prandio laudabiliorem, eamque antiquos prandio ante posuisse. Sic itaque censeo, tum rationibus, tum authoritatibus satis manifeste expositum, satius esse plus in cœna, quàm in prandio sumere, qui erat ueluti scopus eorum omnium, quę hactenus scripta sunt.

[Margin: 4. ad Alm. quarto terza primi doc. 2. cap. 7. & 2. can. 133. tra. 3. cap. primo 1. pra. cap. 13.]

Quę

Quę corpora à pręscripta uictus ratione sint excipienda. Cap. 9.

VErum quoniã in principio nonnullos excipiendos esse dicebam, igitur non ignorare oportet, illos imprimis esse excipiẽdos, qui uberius q̃dẽ prãdere, parcius autẽ cęnare insueuerunt: quod hac nostra tempestate, non uulgares modo, sed etiam medicorum plurimi faciunt, quippe tales, quoad prauã illam assuetudinem seruare, aut uoluerint, aut coacti fuerint, satius est mane plus, uespere autem minus esse, etenim dixit Hippocrates, Quæ ex longo tempore consueta sunt, & si deteriora sunt, insuetis minus molestare solent. & libro de ratione uic. in morbis acu. longo processu declarauit, lõge melius esse, non solum sanis, sed etiam ægris uitiosam uictus rationem seruari, quàm illam subito, uel in meliorem mutari. Sed malas consuetudines sensim mutari utilius esse, scripsit Gal. Rasis, & Haliab. etiam quas tamen non omnibus mutandas esse, sensit Galenus, ubi consulit senes consuetis operibus exercitari, etiam si modice noxia sint, contra iuuenes noxia etiam a pueris consueta mutare, quandoquidem ualidæ iuuenum uires moderatam mutationem ferre possunt, ac eos sperari potest uitæ reliquum ex meliore consuetudine fructuosius ducturos: quod senibus non continget, etiam, si longo tempore malam assuetudinẽ pedetentim mutare possent, quippe quibus nihil temporis relinqueretur, quo meliore fruerentur consuetudine, non aliter quàm si quis octogenarius cuipiam artise accingeret perdiscendæ. Non etiam quandocunque malas consuetudines in meliores uertere, tentandum esse, scripsit Gal. inquens, assuetudines ipsas, tam etsi prauæ sunt, displicentibus adhuc sibi corporibus mutandas nõ esse quin nec per summam sanitatem semper id tentandum, sed tùm cum is, cui mutãdæ sunt, a ciuilibus negotiis maxime uacat. illi quoque excipiendi sunt, qui forte ad talia negotia sunt delegati, uel ipsi ea sibi sponte delegerunt, ut nocte quidem uigilent, & se exerceant, die uero quiescant, & dormiant: Tales enim cum contrariã aliis uitam agant, contrariam quoque uictus rationem seruare fas est: quare Rasis de regimine iter agentium loquens scripsit in hunc modum. Quòd si in nocte necesse fuerit ipsum incedere, non erit ei cœnandum, sed suæ comestionis integritatem usque in tempus, in quo se diu posse quiescere sciuerit intermittat. Excipiantur hi quoque, qui aliqua periodica ægritudine præmuntur, quæ nocte suas habet accessiones, etenim utilius esse plus cęnare q̃ prãdere illo

2. aphor primo

5. de tuen. san.

4. ad Alm. 10.

6. ad Alm 11.

1.aph.11.& lo tempore accesſiones non permittunt, quando opus eſt in acceſ
1.de 1a. ſionibus abſtinere, cibum enim dare nocuum eſt, ut Hippocrates,
uic.45. & Gal. ſcripſerunt: Utque ſenſere Celſus Auic. Haliab. Raſis &
lib.3. Auer. Qua uero ratione hi cibandi ſint, qui huiuſmodi ęgritudini
1. quarti bus ſunt affecti, ex dictis authoribus locis allegatis poteſt perdiſci.
tra.2.c.8. His itaque exceptis cenſeo ex his, quæ dicta ſunt, facile cõprobari,
3 prac.c. ut reliqui omnes, ſiue ſani, ſiue ægri ſint, parum quidem prandeant.
10. plus autem cœnent, quod oſtendere in principio policitus ſum.

Finis libri primi.

ODDI DE ODDIS DE COENAE ET PRANDII PORTIONE

Liber secundus.

Confutatio rationis primæ Conciliatoris aduersus propriam sententiam ex agricolis desumptæ. Cap. I.



VONIAM, ut dixit Gal. discere cupiētibus opus est, non solum optima discēda proponere, sed etiam falsas opiniones ex eorum animis delere, quæ ueras inherere prohibent, quippe, sicut nō pura corpora, quanto plus nutries, tanto magis lędes, ut dixit Hippocrates, ita quoque non puros animos quanto plus ueris opinionibus nutrire tentes, tanto pertinatiores reddas, cum in priori uolumine, plus in cœna, quàm in prandio secundum ueram antiquorum sententiam sumendum esse, satis (ut mea fert opinio) demonstratum sit, putaui non inutile fore, si hoc uolumine obiectiones diluere, quæ aduersus eam opinionem adducuntur, necnon & illorum errata ostendere conatus fuero, qui posteris non modicam delinquendi delerunt occasionem: Ab his autem auspicabimur, in quibus arbitror Petrum Apponensem cognomento Conciliatorem non parum aberrasse, tam etsi Hippocratem, & Gal. atque alios antiquos sectari conatus est. Imprimis autem, cum de agricolis scripsit, & assiduo labore uictum quærentibus, errauit Cōciliator scribens melius esse plus eos in prandio, quàm in cœna sumere, cum enim cogantur post prādium tota die uehementes labores subire, nescio qua ratione euitare poterunt,

1. de simp. med. fac. c. ultimo.

prima aph. 10.

Diff. 121.

ut cibus, antequam probè ſit concoctus, in totius corporis habitum non rapiatur, ut priori uolumine de Gal. & aliorum ſententia oſtenſum eſt. Nec ualet quorundam reſponſio qui Conciliatorē defendere nituntur, ij ſiquidem fortaſſe Auic. moti authoritate ſcribentis: Immoderatum ex eo proprie dicitur labor, qui quidem ſpiritum euacuat, & educit, & emacrat pingues, & carnoſos &c. aiunt aſsiduos prædictorum labores non exercitationis, ſed operis potius uel laboris appellationem mereri. Sed hæc puto non dixiſſent, ſi Gal. legiſſent de exercitationis, laboris, & motus differentia ſic ſcribentem: A laboribus uero ordiēdum, illo ante omnia diſcuſſo, an idem ſit labor, motus, & exercitatio: an labor, & motus idem, aliud uero ab ijs exercitatio, an motus res diuerſa, labor, & exercitatio neutiquam differant: Ac mihi quidem non quiuis motus exercitatio uidetur, ſed tantum ſi quis uehementior eſt, quoniam autē eorum, quæ ad aliquid dicuntur, eſt quod uehemētius dicitur, fieri poteſt, ut idem motus alteri ſit exercitatio, alteri non ſit: terminus igitur uehementiæ eſto anhelitus alteratio, quando in quibus nulla fit anhelitus mutatio, hos nundū exercitationes uocamus, quod ſi quis maius, celeriuſve, aut crebrius iam ex motu aliquo reſpirare cogitur, huic certe tantus motus exercitatio fuerit: Ea igitur cōmuniter exercitatio uocatur, proprie uero à loco græce denominatur, quem gymnaſion ipſi appellant: Is locus eſt in publica aliqua urbis regione extructus, quo ungendi, fricandi, luctaturi, diſcum iacturi, aut tale quippiam facturi confluunt, laboris appellatio idē mihi ſignificare uidetur cum priore ſignificatione nominis gymnaſii, ſiue exercitationis, nempe communi illo, quod prædiximus, quippe cum & qui fodiunt, & qui metunt, & qui equitant non laborent modo, ſed etiam exercitentur, communi ſaltem exercitationis appellatione: Et de nominibus quidem ita nobis determinatum ſit, atque ad hæc ſignificata omnis mihi deinceps ſermo in audiatur, &c. Quanquam enim aſsidui illi labores opera, & labores appellantur, non tamen exercitationis nuncupationem amittunt, ut ex Gal. uerbis iam dictis facile conſtat: Præterea non etiā ſola uocabuli mutatio poterit eos ab incōmodis, quæ exercitationem ſequuntur, abſolutos reddere, ut ij credere uiſi ſunt: quinimmo, quanto ualentior exercitatio eſt, tanto ualentiorem deductionem in corpus operatur: quod quidem ex priori uolumine eſt ita manifeſtum, ut nulla declaratione indigeat: Similiter manifeſtum eſt, quòd cum aſsiduo labore calor foras agatur, non poterunt ii cibum

prima cāt. 145.

2. de tue. ual

cibum ingestum probè conficere, quod in somno iis maxime fieri scripsit Gal. in hunc modum: Quoniam autem maximę parti eorum, qui laborant, somni profundiores fiunt, hoc etiam ipsis multum ad coctiones confert: & propter hoc a prauis eduliis minus lęduntur: si autem cogas ipsos uigilare pluribus continuis noctibus, mox ægrotabunt &c. Auic. quoque ita scripsit: Exercitati præterea, & multi laboris magis sunt tolerantes nutrientia grossa, quos forsitan in digerendo iuuat fortis somnus, & quia in ipso fiunt profundi. Et paucis interpositis subdit: Et proprie quia sunt confidentes in digestiua sua, quod ex sua habent dormitione, quod destruitur, quum eis frequentes accidunt uigiliæ. &c. Sic itaque satis constat, illorum defensionem nullam esse. Nonnulli præterea non defuere, qui conati Conciliatorem tutari, dixerunt, Gal. de ea exercitatione tractasse, quæ optimo congrui t corpori, quæque de illa enunciauit, non ei exercitationi conuenire, quæ lapsi corporis est: Ad horum autem confutationem satis erit, quædam Gal. uerba in medium afferre, quæ eodem conscripta sunt, quippe cum Gal. ostendisset, quo tempore corpora sint exercitanda, præparatoriãque frictionem debere exercitationem præcedere, & multa de frictione scripsisset aduersus Theonē Hippocratem defendens, talia subintulit: Hæc igitur omnia deficientibus ab optimo statibus cõmunia sunt, de quibus agere nundũ statuimus &c. His itaque dimissis, cum ex superioribus satis constet, horum defensionem satis insulsam esse ostendamus, quas Conciliator rationes adducit, nullius esse roboris, quo peracto satis erit manifestum, melius esse agricolis plus in cœna, quàm in prandio assumere. Imprimis enim quadam Auic. authoritate Conciliator nititur. ubi, cum declarasset Auic. ciborum diuersitatem dupliciter officere, eiusmodi subiecit: In tempore quoque antiquo, qui exercitabantur, iam fugierunt ab hoc, contenti enim erant solius carnis comestione in mane, & solius panis in cœna &c. Quem Auic. locum deprauatum esse censeo, quandoquidem falsum est, antiquos se exercere solitos eam uictus rationem seruasse, cuius meminisse putatur Auic. eius autē inditium est, quòd Gal. cum declarauit ciborum uarietatem, & pręsertím ubi ex uarijs uirtutibus componantur, maximam læsionem parere, oppositum in hunc modum scripsit: Hoc etiam qui exercentur, quive inuicem certant, maximè obseruant, nam in prandio solum panem comedunt, in cœna uero carnem &c. Neque iure dici posse uidetur, Galenum & Auicennam alia & alia ratione

1. de alim. fac. 2.

3. Primi doct. 3. cap. 7.

3 primi doct. 2. cap. 7.

1. de rat. uic. 18.

de his, qui se exercent, diuersa locutos fuisse, cum nullibi lectum sit Gal. scripsisse. quempiam assuetum se exercitationibus tradere, mane quidem solam carnem, uespere autem solum panem ingerere consueuisse: neque etiam quenpiam alium aut ante, aut post Gal. tempora, qui alicuius fuerit authoritatis, hoc unquam dixisse, cuilibet aperte constabit omnia eorum uolumina perlegenti: non enim careret admiratione, si id esset quod Auic. dixisse uidetur, ut a nullo (ipso excepto) illud fuisset monumentis mandatum, pręsertim cum, quicquid Auic. scripserit, ex aliis authoribus, & Gal. imprimis sumpserit: Adde quòd eius rei oppositum non solũ Gal. autumat, sed etiam Auic. aperte eodem præcipit capite, scribens, ut coacti ante exercitationem comedere, panem solum tanta quantitate ingerant, quanta confici possit prius quàm se exercere incipiant: Puto igitur Auicennam ex Gal. eam sententiam accepisse, quare locum illum Auic. non esse ita legendum, ut iacet, sed ubi panis legitur, carnis, ubi uero carnis, panis esse restituendum: Sed concedatur, locum, ut iacet, legi oportere: quid tum? neque enim eam uiuendi rationem laudauit Auic. sed tantum dixisse uidetur, qui se exercitant, eo uiuendi modo duplicem noxam uitare, que ex ciborum uarietate proficiscitur: Ex his itaque patet illam Auic. authoritatem Cõciliatori nullo modo opitulari. Neque etiam difficile est rationem soluere, qua Cõciliator eius opinionem stabilem reddere conatus est, ea autem est eiusmodi Qui exercitantur, aliquo indigent resolutionem, atque membrorum exiccationem prohibente, id autem cibo commodius efficietur, quando & membra humidiora, & exiccantis caloris uim contraria qualitate imbecilliorem reddet: alimentum enim ut ex Aristotele colligitur, in principio est corpori contrarium, licet in fine caloris actione eidem corpori simile efficiatur, ut igitur hęc fieri possint, plus prandere, quàm cœnare oportebit: hæc est Cõciliatoris ratio: Ex quo quidem quærendum est, nunquid opinetur partem illam alimenti totum corpus humectare, quæ per totum ipsum ferri corpus ante ipsius alimenti coctionem, scripsit Gal. an potius cum ea parua sit, incocti alimenti quantitatem affatim (ut id efficiatur) in totius corporis habitum rapi: Quòd si hoc secundum concesserit (id enim euenire scripsit Gal. in hunc modum, nã uacuæ uenæ non tantum semicoctum succum, uerum etiam omnino rudem, & incoctum uentriculo nonnunquam præripiunt, cũ a cibo statim laboratur) utique ea de causa illi tandem grauissimis morbis

2. de anim.

fac 13.
3. de nat.

1. de alim.
fac. 2.

morbis corripientur, raroque ad iustam senectutem perducentur,
ut scripsit Gal.& Auic. Si uero paruam illam alimenti portionem,
de qua superius sermo habitus est, corpus humectum reddere, Cō-
ciliator responderit, quippe, cum illa parua sit, & euaporabilis, ”
cito resoluetur: quare corporis particulæ sicciores redditæ ex eo, ”
quod alimenti reliquum est, priusquam mature concoquatur, tan ”
dem aliquid præripient: quare non minus illa subibunt incomoda, ”
de quibus pauloante dicebatur: Vnde Haliabas, his, qui post cibum 3.primi
continuò exercitantur, e uentriculo cibum ad intestina ante perfe doc.2.c.7.
ctam eius decoctionem descendere, & illas uenas, quas intestina, 1.pra.3.
& hepar intercipiunt, obstruere asseuerauit: quòd si exercitatio, in
quit, modum excedet, quando eius est exiguos corporis
meatus purgare, & excrementa expellere, membrorum ali
quid simul excludet: quare membra dissipati loco aliquid
reponere tentantia a uenis succum trahent, quæ inanitæ & ip-
sę ab hepate, & hepar non dissimili ratione a porta uena, & hęc a la
xiori intestino, hoc uero a uentriculo conuellere necesse erit, qui
cùm crudus sit, & incon coctus, nec aptus per uenas defluere, intra
uenas raptus, congestusque eas ipsas uenas obstruet, indeque dif-
ficiles, & pessimæ ægritudines subsequētur. Quòd si Gal.& Rasim 4. ad alm
& Haliab. & Auic. Cōciliator perlegisset his, qui uehementibus 4.
operib. exercitantur, alimenta cōgruere crassa, & glutinosa digno 1.pra.6.
uisset, quæ nec facile corruptibilia sint, nec euaporabilia, qualis est
suilla caro, quā Gal. dixit uehemens exercitiū desiderare, nam ex 6.de tuen.
eiusmodi alimentis succi geniti non facile, cùm ii exercitantur, ual.
per uapores difflare possunt, quæ alimenta exhibenda sunt, cum ii
& quieti, & somno posthabitis operibus indulgere ualēt: sic enim
& resolutioni, quoad fieri potest, & his nocumētis occurrimus, quę
pleno uentriculo exercitatis contingere diximus: Quòd si caloris
ui cogeremur ipsis agricolis aliquid exhibere, ea de causa satius
esset frigidum potum eos ingerere: quare Rasis iubet, ut a uehemē 4.ad am.
ti motu frigida non confertim, sed paulatim bibatur. Constat igi 5.
tur eam Conciliatoris rationem nullius esse roboris, illorum autē
consuetudinem fateor non parum conducere ad ciborum con-
coctionem, id siquidem Gal. quoque fatetur, & nos in priori uo-
lumine assuetudines seruandas esse scripsimus, quas tamen, in qui
bus id fieri liceat, sensim mutandas esse, eodem in loco definitum
est: Nec minorem Conciliator reprehensionem meretur his, qui
messorum robur extollebant, quorum meminit Gal. Enumeratis
enim

3.de pot. nat.13. enim illis nocumentis, de quibus in superioribus sermo habitus est, quæ tandem eos subire contingit, talia adiecit uerba: Atque „ hæc vulgus ignorans beatos illos de corporis robore prædicat, „ cum ea & esse, & concoquere cernat, quæ nemo nostrum nec de- „ uorare quidem possit, nedum concoquere, &c. Ex his discat Conciliator quantum illi experien tię, de qua meminit, confitendum sit. Patet igitur nec Auic. authoritate, nec ratione, nec experientia posse Cõciliatorem ostendere, melius esse meslores plus in prandio, quàm in cœna suscipere.

Falsum esse negotijs deditos plus prandere oportere, quàm cęnare & rationes Conciliatoris falsas, quas & diluit. Cap. 2.

ERat quoque Conciliator eis asserens qui implicitam nego tiis uitam agunt utilius esse parcius quidem cœnare, uberius autem prandere cum solitis duntaxat laboribus exercitantur. Ex his enim quæ in libro priori scripsimus unicuique ita facile est huius falsitatem agnoscere, ut ab eius declaratione citra reprehensionem me possim abstinere: Verum id Conciliator ostendere conabatur, inquiens huiusmodi corpora non carere superfluitatibus cõcoquendis, nec ualidam habere uirtutem quæ cum in somno ualidior sit calore ad interiora se colligente, satius erit eam permittere cruditatum coctionibus uacare & superfluitates ad expulsionem parare, quàm eam distrahere ad cibos nouiter assumptos conficiendos, neque enim tanta est eius uis, ut utrunque commode perficere possit: Rursus, cum hæc uirtus solis calore, ac lumine robur acquirat melius in die poterit cibos cõficere quare plus in prandio, quàm in cœna his sumendũ est. Sed hanc rationem nullius esse roboris facile est declarare: quippe cum superfluitatum decoctio, & ciborum confectio oppositis ipsius caloris motibus, ut probe efficiantur, non indigeãt quod naturalibus animalibusq́ue operationibus euenire in priori uolumine dictum est: igitur si calor naturalis in somno robur acquirens superfluitates melius cõcoquet, similiter & cibos melius conficiet: Eodem pariter modo, si calor innatus in die Solis calore fortior redditus cibos melius conficiet superfluitates quoque melius concoquet: Verum ut ex his quæ in priori libro dicta sunt facile colligi potest, calor ad interiora coactus melius tum superfluitates, tum cibos cõcoquet, contra uero ad extimas partes attractus nullum illorum perficiet: quare non est opus illos

illos in die liberalius prandere, ut cibi melius conficiantur. Sed forte dicet quis, ut etiam Conciliator innuit, calori esse peculiare, in somno quidem superfluitatum coctionem, in uigiliis autē ciborum confectionem magis appetere. Cui quidem fateri quoque necesse erit, eum ipsum calorem non agens esse naturale, sed animal potius ratione, & intellectu prædithum quod habeat facultatem eligendi, quòd melius est, quod tamen eos qui Gal. sectantur fateri non decet, hac enim ratione Gal. scripsit, uentriculum cibos conficere, non ut eos aliis membris aptos efficiat, sed ut eis perfruatur, ac eorum humiditatibus saturetur: de hoc enim dictum quoque est in principio prioris libri: Quòd si Conciliator contendet, ea posse calorem efficere ope illius intelligentiæ non errantis, ad quam recentiorum plurimi, tanquam ad numen aliquod ingruente tempestate cōfugiunt, non utique conuinceret quod Gal. de uentriculo scripsisse diximus, quippe si ad illam inelligentiam ita facilis pateret aditus, ut recentiores commenti sunt, posset unusquisque Gal. facile respondere, uentriculum ab ea ductum intelligentia amplecti cibos, ac eos concoquere, non tantum ut eis fruatur, sed etiam ut eos aliis membris aptos efficiat: quare Gal. ratio non necessariò concluderet, uentriculum animal esse, ubi cibos complecteretur, ut eos aliis membris aptos eficeret: Insuper ex priori libro manifestum est, omnes in medicina pręcipuos uno ore affirmare, naturā prouidentiam habere, ut calor uigiliis siccior redditus, quàm par est ad interna sè colligat, ut cibi melius conficiantur, a quibus conuenientem sibi humiditatem, nec non & uires calor resumēs, deinde ad extimas partes motus animales functiones ualide posſit obire, quos tamen uiros aut nunquam, aut per quàm raro scripsisse quis inueniet, calorem ad intima cogi, ut superfluitates melius concoquantur: Præterea falso Conciliatorem assumpsisse naturalem uim Solis calore, ac lumine augeri, & ob id cibos melius conficere, is facile intelliget, qui priorem librum perlegerit, ibi enim ostensum est naturalem calorem nos continentis frigiditate augeri, & eiusdem caliditate debilitari: quod nimirum cōtinens non nisi aut Sole ad nos accedente, aut eodem a nobis recedente calidum, frigidumvè est. Siquis autem pro Conciliatore dixerit, calorem naturalem a Solis caliditate augeri, quæ non tam ualida est, ut calorem naturalem dissoluat, iis non ignoret, id non posse nec pro Conciliatore, nec pro ueritate defendi

fendi. Enim uero nulla distinctione præmissa id assumptum tanquam uniuersaliter uerum protulit Conciliator : quare de calidiore aeris constitutione, sub qua ea quoque continetur, quæ æstatis est, loquens Conciliator dixit, esse uberius prandendum. Accedit ad hoc uoluisse Conciliatorem, diem æstati, noctem uerò hyemi proportione respondere: quo fit, ut, cum æstas hyemis cõparatione naturalẽ uirtutẽ magis dissipet, ita quoq; & dies noctis comparatione eãdem magis dissoluet. Sed cõcedatur Conciliatori, animantis calorem in die reddi fortiorem, nihil enim id ciborum coctioni conducet, sed his potius operibus, quæ sensibus, atque motu perficiuntur, quando coctiones debiliores quidem caloris motu ad exteriora, quod in die contingit, fiant uero meliores eodem calore ad intimas corporis partes secedente quod in nocte fieri ex his constat, quæ in priori uolumine scripta sunt. Sed dicet forte quispiam alius pro Conciliatore robusta habentes corpora in die, ac æstate magis debilitari, in somno autem, & hyeme pro ciborum confectione fieri ualidiores, atque hoc Gal. & alios authores uoluisse: uerum in his quorum corpora imbecillia sunt, contra fieri & hoc Conciliatorem sensisse:
" At hoc refellere non est difficile, Gal. n. percipiens Aphorismũ
" Ventres hyeme, & uere calidissimi sunt natura, & somni longis
" simi: quare per ea tempora alimenta copiosiora sunt exhibenda,
" &c. non esse uniuersaliter uerum: ex eo tantum animalia excepit
" in latibulis degentia, ita scribens: Quæ igitur per Aphoris. dicun
" tur, sufficienter exposuimus : si quis uero de ipsis ueritatem dili-
" gentius examinet, non ad oĩa animalia sermonem extendat, sed
" ea excipiat, quæ in latibulis degunt : hæc enim cũ se recõdunt, nõ
" egent plurimo alimento: siquidem & sine cibo possunt perdura-
" re, & si supposuerimus ea tanto uti cibo, quanto antequam recõ
" derentur, male ipsum cõcoquerent. &c. Ex quibus uerbis facile constat, Gal. sensisse, Aphori. sententiam in pluribus ueram esse, in paucis autem non ueram, cum ea tantum animalia excipiantur, quæ in latibulis se recondunt, & si qua alia eis similia sunt: Insuper cum omnes authores, ut in superiori uolumine patuit, autument, frigidum tempus esse ad sumendũ cibum idoneũ, non utique ita absolute pronunciassent id, quod rarò euenit:
" Verum Conciliator loquens de frigida aeris constitutione di-
" xit, quòd cum in plurlibus luce diurna (ut eius more loquar)
" confortetur digestio, oportet prandium super cœnam magnificare

care: rursus paulo inferius ita scripsit: Sic itaque appareat diuersitas assumptionis quantitatis alimenti ex pluribus intentionibus suscepta, & quòd melius tandem, cum plures ægritudinum sint materiales, & quoniam plurima etiam corpora sunt lapsa, maiorandum fore prandium supra cœnam. &c. Quare cũ id Conciliator affirmauerit, ut plurimum reperiri, quod Gal. & alii raró contingere autumant, qui poterit ab eius fautoribus defendi? nisi obstinati dixerint, Conciliatorem in hoc uoluisse à Galeno, & aliis dissentire: quod ipse nullibi profitetur, quinimo, quantum fuit in se, eorum uerba glosare conatus est: Nec ualet, quod inquit Cõciliator, uirtutẽ habentes debiliorẽ, ut æstate fortiores efficiuntur, quàm hyeme, & ob id cibos melius conficiũt sic in die meliores effecti quàm in nocte, alimenta perfectius cõcoquere poterunt, quando dies æstati, nox uero hyemi, ut dictũ est, proportione respondeat: Enimuero, ubi ea ratio efficeret, satius esse imbecilles liberalius prandere eadem ratione Conciliator fateri cogeretur, sicca uentris intemperie laborantes, quorum Galenus meminit melius in die cibos conficere cum uirtutem habeant imbecillem, quos tamen Conciliator in cœna tum plus, tum ualentius alimentum assumere concedit: Nec ualet, 7. meth. 6. quod ait, hos quia consumpti sunt, multo indigere alimento, quod utpote debiles effecti probe nõ cõficient, nisi paulatim, & sæpius in die illud ingesserint etenim cum Solis calore, & lumine, ii fortiores fiant, ut idem ait, quem cibum in die conficere nequeunt, minus in nocte, cũ eos tũc imbecilliores esse dicat, cõcoquere poterũt: quare & multũ, & ualentius alimentũ quod in cœna iis exhiberi oportere dixit Conciliator à Gal. accipiens, probam coctionem non recipiet, proinde crudi incoctique succi generabunur, quibus ii nõ modice lædentur: Quòd si temporis lõgitudine, & somno, & quiete cibos ipsos posse maturam coctionem suspicere dicat, cur & in aliis imbecillem uirtutem habentibus, quos asserit, satius esse, liberalius prandere, illis de causis idem non efficietur? Non ergo minus atque nos, tenetur Conciliator eam rationem soluere, quam quidem nobis est facile diluere: quanquam enim qui debilem habent innatum calorem, melius ad æstatem, quàm ad hyemem afficiuntur, quandoquidem ab intensa hyemis frigiditate imbecillis calor superatur: non tamen in nocte diei comparatione idem efficietur, neque enim noctis frigiditas tanta esse potest diei comparatione, ut calorem supe-

ret, perinde ac in hyeme fit: quare non desunt animalia, quæ hyeme mortuis simillima sine cibo in latibulis degunt, quod in nocte diei comparatione non fit: igitur noctis frigiditas comparatione diei tanta est, ut innatum calorem ad interna cogat secedere non autem superet: quapropter coctiones melius tum operatur. Manifestum est igitur Cōciliatorem falso credidisse, innatum calorem solis lumine, & calore augeri, & ob id cibos in die melius conficere, similiter in somno calori magis esse peculiare, cruditates potius quàm cibos concoquere: quare neque quod Cōciliator intendebat, prędicta eius ratio probare uidetur, licet enim cruditatibus repletis parum cibi exhibere cōueniat, id tamen eo tēpore propinandum est, quo melius confici posit: illud autem in somno effici, iam demonstratum est.

Tertiæ aduersus proprium placitum Conciliatoris rationis dissolutio. Cap. 3.

INsuper idem Conciliator nixus est alia ratione probare, quæ est eiusmodi: Ciborum confectio in hepate, & uenis, quæ & ipsa perfectior fit in somno, perinde ac illa, quæ in uentriculo, ijs dormientibus non perficeretur, necnon & conuenientibus temporibus exercitari non possent, ubi cœna uberior quàm prandium existeret, quādo indigente ea, quæ in uētre fit, coctione duodecim horis, ut perficiatur, cibus in hepate nondum esset semielaboratus mane adueniente, quo tempore homines a somno se exercitationibus tradunt, quæ coctionibus in uentriculo, hepate, & uenis peractis sunt adeundæ. Sed in hac rōne ita delinquit Conciliator, ut unusquisque tametsi parum eruditus facile percipere ualeat, illam aduersus ipsum ualide pugnare, etenim cum ii post prandium ciuiles exercitationes obeant, eos exercitari cōtinget, cibis non solum in hepate & uenis, sed ne in uentriculo quidem confectis: quod quidem deterius esse, quàm id, quod Conciliator ea rōne maxime detestari uidetur, ex Haliab. facile colligitur, etenim quos exercitari necesse est, priusquam omnes conficiātur concoctiones, consulit Haliabas, ut saltem nitantur tanto tempore feriari, quanto cibum in uentriculo ita esse confectum, ut in iocinore in bonum posit sanguinem permutari, atque ipsum cibū post dictam in uentriculo confectionem ad intestina descendisse, quisque coniectari queat, quippe cum coctiones sibi inuicem succedant, ut docuit Gal. quæ enim in toto fit corpore excipit, eam

1. pract. cap. 4.

lib. de euch. & cach. 3.

quæ

quæ in uenis, & iocinore efficitur, quæ uero in iocinore eam, quæ fit in uentriculo: non ergo quispiam inficias iri poterit, minoris esse discriminis, ut cibus aliqua coctione confectus, qui in transitu aliquantisper in iocinore morā trahens, eius quoque actionem nō subterfugit, quàm omnino crudus, & omni carens sensibili alteratione in uenas rapiatur: quare dixit Gal. ad euchimiam nihil esse utilius, quàm cibos uentriculum probe concoquere, tum enim sub sequentibus coctionibus melius conficientur: quare patet eam Conciliatoris rationem ipsius opinionem infirmare potius, quàm confirmare: Præterea cum illos plus in prandio assumere iubeat Conciliator, ut cibi in die in ipso uentriculo semiconfecti eis dormientibus perfecte, & in uentriculo, & hepate, ac uenis concoqui ualeant, igitur nulla adhuc coctione perfecta, nec ea, quæ in uentriculo, nec ea, quæ in iocinore, & uenis fit, eos in cœna esse oportebit: quod deterrimum esse ex his, quæ in priori uolumine scripta sunt, puto satis esse manifestum. In prædicta quoque ratione Conciliator assumit, cibum in uentriculo amplius duodecim horis permanere, Auic. motus authoritate in hunc modum scribentis: Et quantitas quidem æqualis remanentiæ in stomacho, & egressionis eius est illud, quod est inter duodecim horas usque ad uiginti duas horas &c. Quam quidem authoritatem Gentilis in eius libri expositione scripsit, Conciliatorem perperam intellexisse, quippe ait Gentilis, tempus, de quo meminit Auic. inter duodecimam, & uigesimam secundam horam interponitur: quare decem id tempus continet horas, quibus inquit cibos tum in uentriculo moram trahere, tum ex ipso egredi uentriculo, quo quidem tempore longius non datur ad ea conficienda: in his autem, qui uires habent ualidiores, ubi cibus moderate ingestus sit, septem, aut etiam sex horis perfici possunt: quæ tamen de his uolumus esse intelligenda, qui nulla ægritudine affecti sunt: posset enim uentriculus aliqua affectione laborare, ut ea tardior fieret concoctio: Non igitur qui liberalius cœnauerint, a somno ad exercitationes conuersi, priusquam in hepate nutrimentum fit mature concoctum, ipsas exercitationes adibunt, neque enim statim ingesto cibo, somno, & quieti indulgendum est, sed prius lenta deambulatione moueri, his maxime proficuum est, in quibus cibi inferiora uentriculi non facile petunt, cuius quidem deambulationis terminus sit ipsorum ciborum ad imum uentris descensus, quod quidem tempus certa quantitate definiri non potest, quando hi longiori tempore a som-

13. tertii tract. 3. cap. 8.

Libel. de dis. conti. & 4. ad Alman. & 13. doc. 2. cap. 7.

no ſe abſtinere debeant, quibus ciborum deſcenſus difficilior eſt, quibus uero facilior,citius dormire permittendum ſit, uerũ quod mediocre eſt, duarum horarum ſpacio definiatur,quod uero aliis conuenit, quibus non facilis eſt ciborum deſcenſus, trium, uel ad ſummum quatuor ſimiliter tempus, quo quempiam dormire oporteat, mediocre eſt, quod octo continet horas, quod quidẽ & longius, & breuius, in quibus id conuenit, eſſe oportet: Præterea ponatur quoque in iocinore alimentum duabus, aut tribus horis confici, quod ſeptem, aut octo, aut ad ſummum decem horis in uentriculo conficiebatur, & ex eo egrediebatur, ſi quis igitur id tempus, quo ingeſto cibo ante ſomnum uigilare oportet tempori, ſomno, & quieti deſtinato addiderit, poſt quod homines aſſuetis ſe operibus accingunt, Inſuper & hoc tempus, & id quo in uentriculo, & hepate coctiones fiunt,recta ratione examinauerit, inueniet tum corpora exercitari, cum alimentum in uentre, & iocinore eſt perfecte concoctum, in uenis autem coctio agitur:quod tempus eſſe ad exercitationem comodisſimum, de Gal. & aliorum ſententia in priori libro declaratum eſt:Non igitur eo tempore corpora exercitabuntur:quo in hepate adhuc coctio fit, ut Conciliator commentus eſt. Sed nolo unum pręterire, aliter legi locum illum Auic.ut Andreas Bellunenſis in ſuis caſtigationibus nos cautos reddidit:ubi enim in antiqua interpretatione in ſtomacho legitur,ille in alio codice ſcribi,ĩ corpore,adnotauit:Quòd ſi ſic illa authoritas legeretur, poſſemus fortaſſe ſuſpicari, Auic. ſenſiſſe, cibum inter duodecim (ut eius more loquar) horas uſque ad uiginti duas horas permanere in corpore, & egredi, ideſt corpus ſpatio duodecim horarum ad minus,ad ſummum autem uiginti duarum horarum aſſumptum alimentum continere, priuſquam ex eo uere nutriatur, atque excrementa egerantur, qui enim calorem naturalem habent ualidiorem, paulo plus duodecim horis indigent, ut ex cibo nouisſime ingeſto nutriantur, qui uero calorem habent imbecilliorem, etiam uiginti duabus horis, ut nutriantur, indigere pñt:quod quidem tempus & longius, & breuius (dummodo dictos terminos non tranſgrediatur)eſſe poteſt, cuius diuerſitatis cauſa eſt,tũ caloris naturalis fortitudo,uel debilitas, tũ aſſumptorũ quantitas, aut qualitas, tum uentriculus, aut bene, aut male affectus: uerum,ſiue locus ille ita,ut nunc dictum eſt, intelligatur, ſiue ut eum Gentilis expoſuiſſe uidetur, conſtat eum opinioni noſtræ minime refragari:Nec etiam nobis officit,

quod

quod inquit Conciliator, in die corpora quidem magis per difflatione purgari, & ob id in prandio plus esse sumendum, quandoquidem illud potius oppositum probare uidetur, cum ante ciborum assumptionem opus sit corpora prius ab excrementis purgari, uerum, cum in die corpora per sensui occultos meatus ab excrementis in nocte aggregatis purgentur, non ergo tunc, sed cum iam corpora purgata fuerint, magnam ciborum quantitatem exhiberi oportebit: quare satius erit plus cœnare, quàm prandere. Praeterea exempla ab ipso Cõciliatore adducta nihil ei conducere, unusquisque manifeste intelliget, qui de sa.tu.quintum uolumen perlegerit, ubi de Antiocho medico, & Thelepho grammatico Gal. meminit, ut declararet, imbecillo seni melius esse ter in die comedere, Etenim de Antiocho medico scripserat, quòd circiter tertiã, uel quartam dici horam panem sumebat cum attico melle, hora sexta fricabatur, & exercebatur exercitiis seni aptis, & lotus prãdebat mediocriter, primo aluum deiicientia, postea pisces saxatiles ingerẽs, in cœna uero piscibus dimissis aliquid assumebat boni succi, aut far cum mulso, aut auẽ ex iure simplici. Non uidetur igitur ex hac uiuendi ratione posse Conciliatorem elicere, Antiochum plus in prandio, quàm in cœna sumpsisse, quando potius oppositum elici posse uideatur: unde Auic. ubi de nntriendis senibus pertractat, eos ait oportere cœnam augere. Dicet forte quispiam Thelephum, qui circa horam tertiam pro ientaculo sumebat alicam in aqua coctam, & melli optimo crudo permixtam, hora uero septima prandebat sumptis primo oleribus, deinde piscibus, aut auibus, uespere autem panem tantum ex uino mixto cœnabat, plus in prandio, quàm in cœna comedisse: Cui respondebitur, Galenus eorum exemplo, ut dictum est, uoluisse tantum declarare, senes opus esse ter in die comedere, in aliis autem illos nec laudat, nec uituperat: Praeterea, non etiam patet ea uiuendi ratione Thelephum plus in prandio, quàm in cœna comedisse, putandum est enim Thelephum in cœna panem tantum ex uino mixto sumpsisse, ut uesceretur cibo seni aptissimo: Enimuero proposito Thelephi exemplo, mox subdit Galenus. Sane uinum sicut pueris est alienissimum, ita senibus est aptissimum: quare putandum quoque est, tantum illius cibi Thelephum ingessisse, ut cęna prandio maior fuerit: Porro si supponatur, Thelephum in hoc rectam sui uictus rationem instituisse, illud facere debuerat, his pręsertim motus rationibus: quarum

2.de tuen. san. & 2. apho. 10.

3. primi doc.3.c.2.

rum Gal. meminit de reficiendis loquens, quorum uirtutes, perinde ac in senibus, imbecilles sunt, quas quidem rationes non est opus hic scribere: de illis enim in priori libro meminimus. Quòd si quis omnino contendat, Thelephum plus in prandio, quàm in cœna sumpsisse, sanè cum hic grammaticus fuerit, ille uero medicus, qui uberiorem sibi cœnam delegerat, maiorem puto in uictus ratione instituenda medico, quàm grammatico fidem esse adhibendam: Et ob id Paulus Aegineta ubi agit de uictu senũ, omisso Thelepho, Antiochi uictus rationem descripsit. Ex iis itaque patere arbitror, Conciliatorem in his, quæ de occupatis assuetis exercitationibus scripsit, non parum aberrasse. Possem equidem de multis aliis meminisse, in quibus Conciliator de ægris, & aeris constitutionibus loquens non parum aberrauit, quæ quoniam ex his, quæ hactenus scripta sunt, facile & deprehendi, & rationes dissolui possunt, non ero dignus reprehensione, si illa missa fecero, neque enim lector nimia libri prolixitate tędio afficiendus est.

7. meth. 6.

Aliorum primæ rationis dissolutio Cap. 4.

Omisso igitur Cõciliatore, cum reliquis sermo habendus est. Qui enim communem assuetudinem plus prandendi, quàm cœnandi, quam, puto ex prædicta Conciliatoris opinione originem traxisse, conantur defendere, tali potissimum ratione nituntur: In somno ex cibo ingesto multi ab innato calore ad interiora se colligente gignuntur uapores, qui cum per cutis meatus obstructos difflare non possint, intra corpus detenti, atque sursum elati, caput facile opplebunt, at in uigilia geniti, utpote calore ad extimas partes acto, pauciores sunt, qui eiusdem cutis meatibus reseratis facile difflare possunt: quare in prandio plus cibi tutius, quàm in cœna exhiberi potest, periculum enim est, ne his, qui liberalius cœnant, repleatur caput uaporibus: Hac siquidem ratione, in illis præsertim affectibus, quibus solet ea pars affici, a qua omnes aliæ corporis partes sentiendi, ac mouendi facultatem recipiunt, omnino plus in prandio, quàm in cœna sumi debere, contendunt: Quod Auic. quoque authoritate confirmant, qui epilepsiæ curationem docens scripsit hæc uerba: Et ille, cuius consuetudo non tolerat, ut semel reficiatur, diuidat cibum suum, qui est minor refectione sua, in tres partes & sumat duas tertias in prandio, & tertiam eius in cœna post exercitium subtile &c.

prima tertii trac. 5. cap. 2.

Non

Non enim Auic.potuiſſet clarius dixiſſe, oportere, qui epilepſia detinentur, plus in prandio, quàm in cœna ſumere. Nos autem primo declarabimus eam rationem non cõcludere, deinde Auic. authoritatem non recte ſcribi oſtendemus. Vt igitur illud optime declaretur, non ignorandum eſt, ex cibo duo uaporum genera produci, ut ex Gal.colligitur. Alii enim uapores ſunt naturali calori maxime affines, qui ſuaues exiſtunt, quales ſunt, qui ex dulci aqua calida euaporant, ex quibus ſomnum fieri naturalem ſcripſit Haliab.in hunc modum: Somnus igitur naturalis ex humiditate cerebri eſt temperata, & uaporum aſcenſu humidorum, qui clari ſunt, & boni a corpore ad cerebrum &c. Alii uero cum innato calore affinitatem non habent, qui quidem duplices ſunt, aut enim fuliginoſi, & acres ſunt, quales ſunt, qui ex aliquo exuſto corpore exhalant, aut craſſi, quales, qui ex terra madida in mediis conſtitutionibus caloris actione proficiſci cernimus: quippe priores ex naturali calore cibos optime concoquente modice generantur, quorum expulſionem tantum abeſt naturam inquirere, ut ex iis calor tum nutriatur, tum humectetur, cum uigilia, aut labore ſiccior redditus eſt: qui uerò fuliginoſi ſunt, ex calore cibum, uel aliquam eius partem ueluti adurente producuntur, ſiquidem tale quid his accidit, qui ualidum habentes calorem innatum cibos concoqui faciles, & paucos ingerunt: Poſtremi uero gignuntur, cum alimenti quantitas, aut qualitas, aut caloris imbecillitas moderata, & alia id genus maturam ciborum coctionem fieri prohibent: hac enim ratione flatus generari, ſcripſit Gal. cum itaque calor naturalis probe cibos conficiet, moderatam utique ſuauium uaporum quantitatem, aliorum autem paucam generabit: ſi uero calor uehementior fuerit, quàm quòd pro iuſta ciborum coctione eſſe oporteat, plures quidẽ ex his, qui acres ſunt, pauciores autem ex modo dictis producẽtur: Eodem pariter modo, ſi calor naturalis imbecillior fuerit, non ita tamen, ut nullum ſenſile opus in cibos efficere poſſit, ſed ita, ut cibus ueluti diſſoluat, non autem penitus conficiat, ex poſtremis plurimi, ex prioribus autem pauci uapores exorientur. Præterea ſciri quoque oportet, calorem innatum non tãtum, ut corpus nutriatur, ſed ut ſuperfluitates excernantur, atque expurgentur, prouidentiam habere, qui quidem calor quanto fortior extiterit, non modo nutritionem (ubi tantum habuerit alimenti, quantum poteſt peruincere) ſed etiam ſuperfluitatum expulſionem, ſiue per cutem, ſiue per expirationem, ſiue per urinam, melius opera-

3. de cau. pul. 5. theo. cap. 35.

6 de ſymp. cau. c. 2.

prima aphor. 15. & lib. de pot. natu. 10. & 14.

operabitur. Illud quoque nos præterire non oportet, quòd in somno, per quos meatus uapores pñt ad caput ascendere, non ita facile, ut in uigilia, possunt pertransire, uapores enim ad caput ascẽdere, cõiectari põt, aut per arterias, aut palatũ, aut neruos, aut uenas: ꝙ per arterias minus in somno posſint uapores ad caput efferri facile oñditur, etenim arteriæ, ut Gal. placuit, cum attolluntur, ex sibi uicinis partibus, quod est magis tenue, attrahunt ad uacuũ consecutione, quæ quidem ad cutem terminantur, aerem extrinsecum, qui & sibi proximior, & inter omnia alia leuisſimus est: quæ uero cordi proximæ sunt, ex ipso corde primum spiritum, ut pote leuisſimum, secundo uaporem, tertio sanguinem exquisite elaboratum, atque attenuatum: quæ autem a corde, & cute plus distant, ex uenis partem sanguinis leuiorem: quæ ad uentriculum, & intestina terminantur tum a corde, tum a uenis ipsi cordi adiacentibus plus attrahent, minus autem ab ipso uentriculo, & intestinis, quando in corde, & uenis contenta leuiora sunt, quæ uero in uentriculo, & intestinis crassa, & grauia: qui igitur uapores ex cibo geniti in uentre confecto per arterias ad caput efferri debent, primo arterias ad uentriculum terminatas, dum attollun tur, ingredi necesse est: deinde ad eam, quæ per spinam tendit, meare, a qua ille deriuantur, hinc ad eas: quæ post aures ad caput ascendunt, demum ab his ad cerebrum pertransire. At in somno huiusmodi arteriæ ex uaporibus ingesti alimenti ad caput primo elatis, deinde cerebri algore condensatis, ac retrocedentibus obturantur, ut spiritibus ad cerebrum facilis transitus non sit, qui ua- 66. de som. & ui. poribus iis subtiliores sunt: & ob id dixit Aristoteles tenues & angustas habentes uenas esse maxime somniculosos: cum uero à somno ad uigiliam transfertur animal, huiusmodi quidem obstructiones dimouentur: quare per arterias ad caput aditus in uigilia magis, quàm in somno expeditus est, non ergo in somno uapores facilius, quàm in uigilia per arterias possunt ad caput ascendere. Quod etiam confirmari potest, quando ad uacuum consequutione tanto magis arteriæ uapores attrahant, quanto magis attollun tur, cum autem in somno minus attollantur, quàm in uigilia, ut docet Gal. minorem igitur uaporum quantitatem in somno attrahent. Eodem pariter modo aditus is, quo humiditates a cerebro per palatum expurgantur, nobis dormientibus obturatur: quare per eum quoque minus in somno, quàm in uigilia poterunt ad cerebrum uapores pertransire: Adde quòd cum in somno maior sit

expiratio

expiratio inspiratione, ut superius diximus, uapores ex alimento eleuati, atque ad partem illam transmissi, expiratione facilius expelluntur. huius autem inditium est, magna, quæ fit in somno, ut ita dixerim, sufflatio. Similiter neruorum meatus, si qui sunt (solos enim oculorum neruos manifestos habere meatus ex Gal. colligitur) per quos animalis facultas a cerebro ad omnes corporis partes transmittatur, in somno ex uaporibus retrocedentibus ob strui necesse est: quare per illos poterunt uapores in somno difficilius ad cerebrum perduci, quando tunc per eos meatus a cerebro ad uniuersum corpus animalis facultas delabi prohibeatur: Neque etiam quis uere potest affirmare, uapores per uenas in somno ad caput ascendere, quandoquidem arteriæ ex uenis eorum, ut pote sanguine in uenis contento leuiorum, attractionem anticipabunt, nam arterias ex uenis sibi propinquis per ora, quæ inter se habent cõmunia, tenuissimum, ac uaporibus similimum sanguinem in eis uenis contentum attrahere, scripsit Gal. quare multo magis uapores attrahent, quos etiam paulo infra dixit Gal. leuiores, & subtiliores esse sanguine exquisite elaborato, atque attenuato: iam autem ostensum est, per somnos uapores in arteriis contentos difficiliorem ad cerebrum transitum habere: quòd si qui uapores arteriarum attractionem subterfugerint, neque etiam illi facile efferrentur ad cerebrum, quando uenæ, priusquam cerebrum pertingant, ad supremum capitis ascendant, mox descendant ad cerebrum, ut Gal. declarauit: quamobrem uapores per poros exitum anticipabunt, patet igitur, nec per arterias, nec per palatum, nec per neruos, nec per uenas in somno posse uapores ad cerebrũ facilius efferri, sed contra potius.

4. de sym. cau. 5.

3. de pot. nat. 14.

9. de usu par. 5.

Caput magis oppleri uaporibus, cum liberalius pransi fuerint, quàm si parum. Cap. 5.

His itaque sic declaratis facile est ostendere, his caput magis uaporibus oppleri, qui liberalius pransi fuerint, quàm si parum pransi liberalius cœnauerint, quippe cùm in die maxima pars hominum, aut ui, aut sponte, assuetis sibi laboribus exercitari soleat, ut in superiori uolumine dictum est, Vbi quoque diximus, exercitatione calorem foras agi, & sensibus, ac motioni incumbere: igitur nemo inficiabitur, calorem tunc pro naturalibus operationibus adeundis imbecilliorem redditum esse: quare-

cibos liberalius ingestos ægrè concoquet, proinde paucos bonos, plurimos autem malos uapores gigni necesse est, quos cum calor aliis operibus distractus, ut decet, non expellat, ad caput educti per ipsos quidem meatus reseratos id ipsum caput facile replebũt. At in somno calor ad interiora coactus cibos probe conficiet: quare paucos uapores crassos, ac fuliginosos, gigni continget, quos calor fortis, utpote operibus naturalibus intentus expellere poterit, crassiores quidem per urinã, non ita crassos ꝑ expirationem, exquisite uero extenuatos ad cutem, ut Gal. affirmat: Et propterea ut in somno expiratio maior est inspiratione, ita quoque arteriæ maior est constrictio, quàm dilatatio, utpote natura appetente su perfluitates expellere: Insuper si qui uapores in somno sursum labi continget, per meatus obstructos non ita facile, ut in uigilia ad cerebrum usque penetrabunt: quare manifestum est cibos liberalius ingestos minus in somno, & quiete, quàm in uigilia, & exercitatione caput uaporibus opplere: Et ob id Gal. docens eorum uictus rationem, qui uitam ducunt negociosam, & ante balneum exercitari, & aliquid comedere coguntur, dixit, supposito diem tredecim horas equinoctiales longum esse, ac in decima corporis curandi spem esse, circa quartam horam simplicissimum sumendum esse nutrimentum, qui utique solus est panis, cuius is modus sit, qui decima hora concoctus esse posit, quam uictus rationem se negotiis implicitum seruasse inquit, nonnullis autem solum panem sine opsonio sumere non placuisse, sed eum cum palmulis, oliuis, melle aut sale ingesisse, ac nõnullos, etiam post eum bibisse. Cui sententiæ Celsus his uerbis adstipulatur: Si prandet aliquis, utilius est, exiguum aliquid, & ipsum siccum, sine carne sine potione sumere. Et Auic. ita scribens. Quod si alicui necessarium fuerit comedere ante exercitium, solum panem tali sumere debet mensura, ut digeri posit, antequam suum incipiat motum &c. Verum quam ob causam solus panis iis mane sumendus sit, post prædicta statim subdit Gal. scribens in hunc modum: Quippe, si exercitari cupiant, eo maxime pacto citra noxam se exercitant, siquidem non leue incomodum nonnullis accidit, cum repleti cibo se exercitant, nonnullis enim & caput impletur uaporibus, & in iocinore, aut ponderis sensus, aut distentionis, aut utriusque percipitur &c. Haliabas quoque ita scripsit; Si enim exercetur, aut balneatur quis post repletionem ciborum, repletur caput uaporibus &c. Sic itaque puto satis esse manifestum, his, qui se exercent,

3. de cauſ. pulſ.

6. de tuen. ſan.

1. de re. med. c. 3.
3. primi doct. c. 7

1. pra. c. 5.

cent, minus caput uaporibus oppleri, ſi parcius pranſi fuerint: Quod etiam in his facile eſt declarare, qui liberalius pranſi ſe forte exercitatione abdicabunt, in ſuperioribus enim oſtenſum eſt, in ſomno cibos melius confici, quàm in uigilia, & meatus in uigilantibus eſſe adapertos, quos dormientes obſtructos habent: quare pro portione his illa euenient, quæ prædictis contingere, paulo ſupra declarauimus. Preterea illud quoque nos docet experientia, etenim unuſquiſque mane ante prandium caput melius eſſe affectum percipit, quàm ueſpere ante cœnam, quare qui literis incumbunt, melius mane, quàm ueſpere eis ſtudere poſſunt: quod utique non efficeretur ſi plus in ſomno, quàm in uigiliis caput impleretur uaporibus. Nec obſtat, quod ea ratione dicitur, in ſomno cutis meatus eſſe obſtructos, ideo uapores extra corpus ferri non poſſe, quando illa obſtructio tanta non ſit, ut qui fuliginoſi, & ſubtiliores ſunt, per illos meatus exire non poſſint, at qui craſſores ſunt, non facilem habent exitum. Verum, quoniam (ut ſuperius diximus) calor innatus, ut omnes ſuperfluitates excernantur prouidentiam habet, eos igitur ad partes cuti propinquiores, quoad fieri poteſt, tranſmittit: quare dixit Gal. in tertio de cauſis pul. ſæpe allegato, a ſomno ad uigiliam conuerſis pulſus fieri, & maiores, & uehementiores, & ueloci ores, ac frequentiores, & ueluti concusſionem quandam habentes, quoad uapores illi fuerint expurgati, ac tranſpirabile totum ſibi corpus calor reddiderit: Sic itaque ex dictis ſatis manifeſtum eſſe cenſeo, pororum cutis obſtructione uapores in ſomno ad caput ita facile, ut in uigilia, efferri non poſſe. Ex prædictis quoque facile patere arbitror, minus in ſomno, quàm in uigilia, ubi par ſit in utriſque uaporum quantitas, caput uaporibus impleri his, quibus cerebrum aliqua affectione laborat, quod Auic. inſinuauit, ſcribens .n. qua ratione hi curãdi ſunt, q̃ dolorẽ capitis, ex ebrietate paciũtur inquit: Et ſi eſt aliquid prohibens ab euacuãtibus, cuiuſcũque modi fuerint fac eos dormire, quouſque digeratur, quod in eorum ſtomachis continetur de uino: Et paulo infra: Deinde fac eos dormire, & quieſcere, quoniam eſt radix in cura ipſius: Et rurſus paucis interpoſitis: Et administra eis ſomnum inquantum potes: Adhuc fere in fine capitis: Et uniuerſaliter melius eſt, ut conſideres digeſtionẽ eorum cum ſomno, aut quiete longa, donec ſtomachus parumper alleuietur. Hoc enim minime præcepiſſet Auic. ſi uapores facilius in ſomno poſſent ad cerebrum pertranſire: quinimmo eos dormire iubet,

1. tertii tract. 2. cap. 24.

ut uaporibus capitis dolorem efficientibus paucioribus redditis affectus fiat mitior: quare iis quoque utilius esse plus in cœna, quàm in prandio sumere, manifestum est: Et ob id Gal. in secundo de compositione medicaminum per singulas corporis partes, ubi doloris capitis ex ebrietate curationem docet, dixit, qui ex ebrietate capitis dolore affecti sunt euacuatione, & infrigidatione indigent, quibus tota die peractis, in nocte balneo lauentur, cibique euchimi non calefacientes exhibeantur, quales sunt ptisanæ succus, & ex alica sorbitio, ac panis cum aqua, ouaque sorbilia sine garro: quippe ubi melius esset eos in prandio, quàm in cœna, plus sumere, ut ique Gal. præcepisset, cibum potius die, quàm nocte exhiberi oportere: Præterea Gal. in consilio pro puero, morbo comitiali laborante uictus rationem instituens, dixit, tertiam panis partem cum his, quæ uentrem subducant in prandio esse apponendam, reliquas uero duas in cœna cum ualentioribus cibis seruandas esse: quod etiam Rasis in pri. conti. cap. v. Gal. testimonium loco superius citato adducens affirmauit. ex his facile colligitur illum Auic. locum pri. 3. trac. 5. cap. 11. deprauatum esse, cum oppositam epilepticorum uictus rationem docuisse uideatur, nulla de Gal. & Rasi mentione facta, quos, cum ab eis dissidet, præterire non solet. Quod etiam ille locus deprauatus sit, ex eo cognosci potest, quòd Auic. declarans, qui cibi apopleticis conueniant, scribit in hunc modum. Cibi autem habentium apoplexiam sint subtiliores cibis habentium epilepsiam, & rectius quidem est, ut sis contentus in eis in matutinis pane solo. &c. quippe cum & epilepsia, & apoplexia ex eisdem humoribus eueniant, atque in utroque morbo idem locus patiatur, neque inter se differant, nisi quia apoplexia fortior, epilepsia uero debilior affectus est, qua ratione uoluisset Auic. ut in epilepsia plus pranderent, quàm cœnarent, contra autem in apoplexia: Nec ualet Gentilis interpretatio eo in loco scribentis, quòd forte id Auic. dixit arbitratus iis esse melius, cœnam esse matutinam, quippe quoniam paucis interpositis subdit Auic. Et quando aliquid sumunt, non dormiant super ipsum uelociter, sed expectent aliquantulum, donec descendat, & digeratur digestione aliqua: nec etiam plurimum uigilent, illud enim permutat cerebrum, & resoluit ex cibis uapore non digestum, ex hoc quòd prohibet digestionem: &c. Enimuero ex loquendi modo Auic. uelle uidetur, non longo tempore post cibum ingestum opus esse ipsos somno se abdicare, inquit enim expectent aliquantulum, & subdit, nec multũ uigilent:

[Margin: prima 3. tract. 5. cap. ult.]

[Margin: 1. apho. 15.]

lent:quod ſi cibum tantummodo matutinum ſumerent, aut opus eſſet eos poſt cibum diu uigilare, aut in die ſomno ſe tradere, quorum utrumque Auic. deteſtatur. Ex hac Auic. authoritate colligere licet, nunquid poſt cibum aſſumptum ſomnus, an uero uigiliæ magis repleant caput uaporibus. Conſtat igitur illam Auic. authoritatem non eſſe intelligendam, ut eam Gentilis expoſuit, ſed potius Auic. Gal. adherens præcipit, ut mane ſolus panis eſitetur noxam euitandi gratia, quæ illis accidere ſolet, qui copioſius pranſi ſe exercitant, etenim ut illi exercitationes adeant, quarum eo capite meminit, non obſcurum eſt Auic. præcepiſſe. Manifeſtum eſt igitur locum illum Auic. indigere caſtigatione, non autem illum Raſis, ut Gentilis eſt arbitratus: quod etiam ex modo loquendi Auic. facile coniectari poteſt, inquit enim: & ille cuius conſuetudo non tolerat, ut ſemel reficiatur &c. quaſi uelle uideatur: ut niſi obſtaret conſuetudo, melius ſit eos ſemel comedere: uerum, cùm Hippo. Gal. Celſus, & omnes denique in medicina præcipui ſcribunt, ſemel in die comedendum eſſe, quòd eum cibum in cœna, non autem in prandio ſumi oportere intelligant, ex eorum libris eſt ita manifeſtum, ut nulla declaratione indigeat.

Loci Galeni caſtigatio ex codice greco. Cap. 6.

NEc ſine ratione quiſpiam arbitrari poſſet, eum forte locum ab aliquo fuiſſe deprauatum, qui opinionem tutaretur, quod plus in prãdio, quã in cœna ſumi oporteat, hoc enim hac noſtra tẽpeſtate cõtigiſſe illi Gal. loco in conſilio pro puero epileptico, de quo ſupra meminimus, manifeſtũ eſt, qui enim eũ libellũ trãſtulit, locum illum, qui quidem in codice græco ad uerbum ita legitur.

μετὰ δὲ ταῦτα πρὸς τὸν ἄριστον ἰέναι, καὶ τί πρόγε αὐτοῦ τῶν λαπαττόντων τὴν γαστέρα λαχάνων, ἢ καὶ ταρίχους ἢ πτισάνης, ἢ ἐλαίων ἅμα τῷ τρίτῳ μέρει τοῦ ἄρτου προσενεγκάμενον εἰς τὸν δεῖπνον ἀποθέσθαι τὰ λοιπὰ δύο μέρη μετὰ τῶν ἰσχυροτέρων ὄψεων,

hoc, modo interpretatus eſt: Quibus ita curatis ad prandium abire debet, ante illud uero aliquid ſubducentiũ uẽtrẽ, holerũ aut iuriũ, aut ptiſanæ, aut oleorũ cũ tertia panis parte ei apponatur: reliquæ autem duæ partes in ipſo prandio cum cibis ualidioribus præbeantur. &c. qui ſane locus non illo, ſed hoc modo latine ſcribendus eſt. Poſt hæc autem ad prandium ire oportet, & prius quidpiam uentrem ſubducentium holerum, aut etiam ſalſamenti, aut ptiſanæ

næ, aut oliuarum unà cum tertia panis parte apponatur, in cœna uero reliquæ duæ partes cum ualidioribus obſoniis reponantur. &c. neque. n. quod δεῖπνον gręci dicunt, latine prandium, ſed cœnam ſignificat, quod uero nos prandium, græci ἄριστον ſcribunt, ut recte noſcunt hi, qui callent literas græcas: quamobrem non poſſumus non ſuſpicari, prædictum Gal. locum ab illo interprete eo modo fuiſſe tranſlatum, ut ſuæ opinioni adſtipulari uideretur: quod quidem inferius eodem conſilio, aut oblitus eſt, aut commode facere non potuit: Enimuero poſt prædicta uerba Galenus enumeratis omnibus obſoniis, & a quibus abſtinere, & quæ cum illa tertia panis parte in prandio licet ingerere, ſubiecit, quæ cum duabus reliquis partibus ipſius panis puero, ubi a diſciplinis redierit, poſt deambulationem apponenda ſunt, ita ſcribens.

„ Μετὰ δὲ ταῦτα διαλιπόντα χρόνον ὀλίγον, ἀξέμα περιπατῆ-
„ σαι κελεύω πρὶν ἐπὶ τὰ μαθήματα παραγίνεσθαι· καὶ μὲν δὴ ἐκ
„ ἀπαλλαγέντα τῶν μαθημάτον, αὖθις ἀξιῶ περιπατῆσαι πρὸ
„ τοῦ δείπνου, κἄπειθ' οὕτως τοῦ μὲν ἄρτου τὰς ὑπολίπους δύο
„ μοίρας προσφέρεσθαι, τῶν δ' ἄλλων ἕκαστον ὡς εἴρηται,
„ κρέας μὲν ἁπάντων σχεδὸν τῶν πτηνῶν, πλὴν ὅσα λιμναῖαι.
„ quem locum ille in hunc modum tranſtulit: Deinceps uero, quod
„ reliqui ſupereſt temporis, tranquillæ deambulationi dari iubeo,
„ antequam ad diſciplinas reuertatur, à quibus ubi redierit, iterum
„ deambulare eum ante cœnam uolo, & ſic poſtea panis ei reliquæ
„ duæ partes ponantur cum aliis ſingulis, ſicut dictum eſt, carnibus
„ quidem omnium ferè uolucrum, præterquam aquaticarum &c. Sic
„ itaque conſtat, illũ interpretem, aut perquàm imperitè, aut inepta calliditate eum priorem illius conſilii locum latinum feciſſe, quod etiam illi Auic. authoritati contigiſſe, facile eſt credere: ſed quoquomodo res habeat, manifeſtum eſſe cenſeo, locum illum Auic. omnino indigere caſtigatione.

Alterius rationis ex Aui. deſumptæ diſſolutio. *Cap. 7.*

ALiam adhuc Auic. authoritatem adducũt: quam quidem ab eis perperam intellectam arbitrantur ſuæ opinioni non parum
l. 3. trac. 2. cap. 24. opitulari, ea autem eſt, ubi Auic. doloris capitis ab humoribus in uentriculo aggregatis per conſenſum euenientis curationem ſcribens, cùm dixit eos humores eſſe euacuandos, nec non quales cibos his offerre oporteat, talia ſubiecit: Et oportet ut ſerues

cœnas eorum &c. Quæ uerba Gentilis exposuit, idest non cœnent, uel reponant eam, uel minuant eam &c. Sed quoniam, ut superius dixi, quicquid boni scripsit Auic. ab aliis, & Gal. præsertim mutuatus est, ac ea, quæ Gal. fusius pertractauit, summatim dixit, idcirco, quæ scripsit Gal. Auic. breuiter singula attigit: qui igitur ab Auic. breuiter recitata cupit recte intelligere, ut Gal. perlegat, oportet, etenim plerisque in locis id euenit, ut Auic. sine Gal. lectione recte intelligi non possit: propter quod accidit, non paucos in operibus Gal. perlegendis parum diligentes in multis non modice aberrasse, & quàmplurimos ipsius Auic. locos perperam intellexisse, quod uno tractatu aliquando declarare, mihi in animo est: nunc autem hoc loco id contigisse ostendam, Enimuero Gal. docens doloris capitis curationem, inquit, non opus esse de capite solicitos esse, quando caput nulla propria affectione laborat, sed a prauis lęditur uaporibus ex humore genitis in uentriculo collecto: Proinde illos humores confestim uomitu euacuari, postea uentriculum corroborari oportere, quibus autem uomitus perquàm difficilis est, boni succi cibum, & qui uentriculum roboret, lotis exhibendum, prius quàm amara bilis ad uentriculum transmittatur: quòd si ante balneum his aliquid sumere necesse erit, tantum panis tertia, uel quarta diei hora sumendum, quantum eo tempore sit confectum, quo balneum ingredi sunt assueti: quibus uero ante balneum solum panem sine obsonio esse non placet, cum palmulis, aut oliuis, aut aliquo id genus præbendum: deinde, cùm cœnauerint, die sequenti absinthii potionem bibendam, dixit enim Gal. absinthio uim esse tenues humores in uentriculi spacio contentos euacuandi, ac ueluti tunicarum uentris sordes detergendi: qui uero altius in eo imbibiti sunt humores, id medicamentum, quod hyeram picram nominant, extrahere. Ex hac inquàm curandi ratione facile est colligere, uoluisse Gal. ut his plus in cœna, quàm in prandio exhibeatur, quando post balneum cibos boni succi eos ingerere præcipiat, ante balneum autem hora diei tertia, uel quarta, uel panem solum, uel cum palmulis, aut oliuis, & id genus, hesitare concedat. Ex ea quoque colligitur Galenus his potionem purgantem exhiberi noluisse, nisi in die præterita cœnam assumpserit, qua ubi illa hora febre corriperentur, aut aliqua simili causa, opus esset eos abstinere: cùm itaque Auic. quæ Gal. late com-

plexus

6. de tuend. san. 7. mexi, & 2. de comp. per loca 11.

6. de tue. san. 7. meth. 11.

plexus eſt,eo capite ueluti in commentarium redegerit, nec Gal.
„ in hoc contradixerit,non ergo credendum eſt,ipſum Auic. ea uer-
„ ba ſcripſiſſe:Et oportet ut ſerues cœnas eorum &c. quoniam cen-
ſuerit melius eſſe eos, aut cœna abſtinere,aut ſaltem in ea minus,
quàm in prandio aſſumere,ut Gentilis,& alii recentiores expoſue-
re,ſed potius id ſenſiſſe,quod Gal.præcepiſſe diximus, ut potionē
purgantem non bibant,niſi in die præterita cœnauerint: Ideo dixit
„ Auic.& oportet, ut ſerues cœnas eorum, ideſt non exhibeas pur-
gans pharmacum, niſi cœnauerint: quare Andreas Bellunenſis in
ſuis caſtigationibus adnotauit:in alio codice legi. Et oportet ut ob
„ ſerues cęnas eorum &c. Ex hoc colligere licet male a nonnullis
„ purgans pharmacum mane exhiberi, cum in die præterita aliqua
cauſa æger cœna abſtinuerit:cum enim purgans medicamentum
corpus exinanire,atque exiccare neceſſe ſit, itidem & inedia idem
efficiat,ſi quis omiſſa cœna ſequenti die potionem ingeſſerit, quæ
uim habeat humores educendi,magis quàm par eſt,exinaniri, atq;
exiccari continget: Hac igitur de cauſa dixit Gal. ſi cœnauerint,
„ die ſequenti abſinthii potionem ſumant:Et Auic.& oportet ut ob
ſerues cœnas eorum &c.ſ.cum eos purgare uolueris: neque enim
purgandi ſunt,niſi cœna præmittatur.Sed dicet forte quiſpiam,An
dream Bellunenſem in ſuis caſtigationibus adnotaſſe, aliud exem-
„ plar inueniri,in quo legatur:Et oportet ut aleuies cœnas ipſorum
„ &c.quæ lectio uideatur fortaſſe Gentilis, & aliorum recentiorum
expoſitioni adſtipulari. Si quis enim obſtinate uellet contendere,
locum illum eo modo legi oportere,ſciat neque etiam eam lectio-
nē opinioni noſtræ refragari,neque enim dixiſſet Auic. cœnam mi
norem prandio eſſe debere, ſed potius melius eſſe, ut in cœna mi-
nus cibi ſuſcipiant,quàm cùm ſani ſunt, ingerere ſolent. Conſtat
itaque quocunque modo locus ille ſcribatur, ab eis omnino per-
peram interpretari.

Reſponſio ad alteram rationem aduerſariorum. *Cap.8.*

Inſuper,quod in cerebri affectibus melius ſit plus prandere,quàm cœnare,tali quoque ratione probare nituntur:Cum enim communis medicorum ſchola præcipiat,ut eſuriant,uigilent, ſitiant, qui rehumata curant,qui enim id fieri poterit,ubi hi liberalius cœnauerint?illud enim præcipitur,ut ea ratione corpus exiccetur,ac humor catharrum efficiens reſoluatur, hoc autem uberior cœna

fieri

fieri prohibet, corpus. n. humidius reddit. Sed huic rationi ſufficienter me reſpondiſſe arbitratus fuero, ſi declarauero, qui tenuius prandent, uberius autem cœnant, id præceptum melius ſeruare, quàm qui contra faciunt: enimuero imprimis illi eſurire præcipiuntur, ut corpus exiccetur, famem enim ex accidenti corpora exiccare, eſt minime dubiũ, dixit Gal. quando humiditates in animalis corpore contentæ in uapores reſoluantur, atque per difflationem euacuentur: hoc autem melius efficietur, quo tempore uapores per difflationem facilius poterunt euacuari: Verum in uigiliis id melius fieri, & ex Gal. colligitur, & ipſos fateri neceſſe eſt, cum poſt inediam uigiliæ quoque eadem ratione præcipiantur: Si ergo in uigiliis eos eſurire opus eſt, igitur in prandio, aut nihil, aut parum eis licet hæſitare, neque enim, ſi ſecus fecerint, eos eſurire continget, licet enim parum eos cœnare permittas, non tamen in nocte illos eſurire, pariter nec ſitire continget, quandoquidem in ſomno ſenſus quieſcere manifeſtum eſt. Eodem pariter modo uigiliæ præcipiuntur, ut humiditatibus reſolutis, & per difflationem euacuatis, corpus exiccetur: quam nimirum exiccationẽ copioſius prandium prohibebit, ſcripſit. enim Hippo. Semel die comedere, emaciat, ſiccat, uentrem ſiſtit, nam animi calor humidum uentris, & carnis conſumit: prandere uero contraria facit, & ob id cum æſtate aeris caliditate corpora non modice exiccentur, dixit Hipp. & Celſus tum prandere commodum eſſe: at in hyeme, quia contrarium fit, aiunt, eſſe melius ſemel comedere, niſi nimis uenter aſtrictus eſt, tum enim ut parum prandeatur, concedunt: Præterea, cum alimentum non perducatur ad cerebrum, niſi concoctiones in uentriculo, hepate, ac uenis peractæ ſint, ex cibo mane ingeſto cerebrum in nocte nutrimentum capiet, quo tempore dormit animal: quare tunc cerebrum magis humectabitur, augebiturque humor catharrum efficiens: at ex cibo in cœna ſumpto nutrimentum in die cerebrum accipiet, quo animal uigilat, proinde non tam cerebrum, perinde ac in ſomno, poterit humectari, quando humidę cerebri ſuperfluitates in uigiliis poſſint facilius per difflationem purgari: Nec dici poteſt naturam prouidentiam habere, ut ſuperfluitates excernantur: quare in ſomno cerebri ſuperfluitates, aut extra per difflationem, aut ſaltem, ut in ſuperioribus dicebatur, ad partes cuti proximas expellentur, quippe cum, aut cerebro nutrimentum male concoquente, catharrus fiat, aut ſaltem affectio,

12. meth. 3

2. de nat. uic.

3. De rat. uict. I. lib. 3.

5. de ſymp. cau. 4.

quæ catharri causa est, ipsum cerebrum probe nutrimentum conficere prohibeat : non igitur ea fieri poterunt , quæ in matura concoctione fieri concedendum est : Nec ualet, quòd in somno ex uberiore cœna corpus humectetur, ac humor catharrum efficiens augeatur, cum enim corpus omnino nutriendum sit, & calor in uigiliis siccior redditus humectari desideret, tantum cibi est suppeditandum, quanto utrunque cōmode fieri posit, qui cibus tamen eo tempore debet exhiberi, quo melius confici potest, neque enim ea probè fierent, nisi alimentum etiam probè conficeretur: quòd autem in somno probe fiat alimenti concoctio, nec non & calor naturalis congruè humectetur, nunc non est opus declarare, ex superioribus enim hæc satis manifesta sunt: Tanto igitur tempore eos dormire permittendum est, quanto & nutrimentum probe concoquatur, & innatus calor humectetur: quòd si ultra, quàm par est, dormire perexerint, excitandi, sunt, neque .n. illa caloris humectatio catharris efficiet, quando illa a uaporibus suauibus parum a spirituum substantia distantibus, ut superius dictum est, efficiatur: Adde quòd cùm in somno cerebrum minus posit uaporibus oppleri, ut ex superioribus patuit, & alimentum in cœna exhibitum in die sequenti deferratur ad cerebrum, ex cibo ingesto minus in somno moderato, quàm in uigiliis humidum reddetur. Sic itaque censeo, satis aperte declarasse, qui modice prandent, liberalius autem cœnant, id præceptum, esuriant, uigilent, sitiant, qui rehumata curant melius seruare, quàm qui contra faciunt, & ob id illorum rationem nullam esse.

Authoritatum quarundam, quæ ab alijs non tanguntur dissolutiones. Cap 9.

CVm igitur satis ostensum sit, illorum rationes nihil efficere: & authoritates adductas, aut ab eis perperam intelligi, aut indigere castigatione, reliquum est, ut nonnullæ authoritates in medium adducantur, quæ quidem tametsi his, qui a nobis dissentiunt, opitulari uideantur, nullam tamen de illis (quod uiderim) mentionem fecere: Est imprimis Gal. authoritas, ubi declarans quomodo in febribus ex somnis timores, uel conuulsiones fiant, scripsit in hunc modum : Et quidem sicut a cibo ad somnum
4. apho. 58 conuersis impletur caput, sic in plethoricis dispositionibus somni

ipsum

ipsum replentes aggrauant cerebrũ.&c.Et paulo.ĵ.inquit:Nõ nõ solum autem in cerebro ipso mali humores aceruati tales afferunt casus,sed & in ipso ore uentriculi:quare & in somnis magis euaporant,cùm incocti permaneant.&c.Præterea Auic. & Auer inquiunt:ex somno longiore,quàm par est,impleri caput uaporibus, & præsertim si is,in quo fit somnus,ieiunus fuerit:Et Auer.ait, somnos, qui cibos ingestos excipiunt caput uaporibus opplere, uigilias autem illi repletioni esse impedimento.Porro si hos locos aduersus nostram opinionem haud quaquam pugnare monstrauero, nullum puto his, qui aduersam heresim deffendunt, locum reliquum fore,ad quem liceat eos confugere,quæcumque enim aduersus ueram hanc opinionem,& excogitari,& adduci poterunt, tum ex dictis,tum ex dicendis,facile soluentur. Animaduertendum est igitur,nos non arbitrari,quam obstructionem in somno fieri dicimus,tantam esse, ut uapores eleuati nullo modo ad cerebrum penetrare possint,quemadmodum enim Gal.scripsit,ut etiã in priori libro diximus,in somno exiguam quandam a cerebro sentiendi facultatem in reliquas partes defluere, tantoque minorem, quanto somnus fuerit grauior:Ita quoque asseueramus, in somno minorẽ quantitatem exhalationis,quàm in uigilia,posse ad cerebrum pertransire,tantoque minorem, quanto grauior fuerit somnus, cum obstructio tunc maior sit:quod nimirum ueritatem habet, ubi exhalationis quantitas in somo multo maior,quàm in uigilia,nõ exi-stat,tum enim ob immodicam uaporum quãtitatem,tametsi meatus non ita pateant, maiorem capitis repletionem in somno fieri, consentaneum esse uidetur:Insuper quod in superioribus de uaporum generatione scripsimus,hic quoque repetendum est, ex optima, scilicet ciborum concoctione moderatam suauium uaporum quantitatem generari, aliorum autem paucam, ubi uero calor ita fuerit imbecillior,ut cibos quidem quodammodo dissoluere, non autem penitus conficere ualeat,paucos bonos, plures autem malos exoriri:His autem addendum est, quòd ubi calor fuerit ualidior,nec cibos habuerit,quos conficiat, superfluitates,siue humores in corpore contentos aggredietur,ex quibus, si bonam confectionem non admiserint, prauos producet uapores, tantoque plures,quanto calor fuerit fortior, & longiori tempore in illos aget humores. Ex his modo sic declaratis facile est ostendere, prædictas authoritates ueræ opinioni minime refragari, nam in plethoricis dispositionibus dixit Gal.somno caput replere, quoniã calor ad in-

1.cant.139. & 2.40. & 41.

4.de sympt.caus. cap.2.

interiora coactus in humores agit, ex quibus plethorica fit dispositio, quos cùm non posſit probè concoquere, ueluti agitat, concutitque: quare ex eis multos uapores eleuat, qui multitudine posſunt caput opplere: quod in uigilia non continget, tametſi meatus magis ſint reſerati, neque enim calor tunc ad extimas partes motus humores illos tam ualide poterit ueluti agitare, atque concutere, ut ex eis tanta uaporum multitudo, quanta in ſomno, procreari posſit: Eodem pariter modo ex prauis humoribus in ore uentriculi collectis, calor in ſomno ad interiora ſe colligens multos, & malos generat uapores, quos in uigilia propter rationem iam dictam generare non poteſt: quos etiam in ſomnis non generaret, ſi eos humores calor naturalis poſſet probe concoquere: Et hoc ſenſiſſe Galenum ex uerbis adductis, facile conſtat: inquit enim, quare & in ſomnis magis euaporant, cum incocti permaneant: quaſi dicere uoluerit, quod ſi incocti non permanerent, non magis euaporarent: quare ſubdit coctiones, utiles ſomnos inducere. Eadem ratione, ſi quis ieiunus dormierit aut diutius quàm decet, multos malos uapores in eo gigni neceſſe eſt, quippe ubi calor cibos conficiendos non inuenerit, in ſuperfluitates aget, quas cum non poterit recte concoquere, in uapores mutabit, ubi verò cibos conficiendos inuenerit, eis confectis ſi adhuc dormierit homo, tunc calor, aut in alios humores, uel ſuperfluitates aget, aut cibos iam probe confectos ſuperflue concoquet: quare multi, & praui uapores ad implendum cerebrum apti utroque modo proculdubio gignentur. Quod uero dicit Galenus, a cibo ad ſomnum conuerſis impletur caput, utique ueritatem habet, cùm enim ſomnus ex obſtructione proueniat, de qua ſupra facta eſt mentio, quæ quidem obſtructio ex uaporibus cerebri frigiditate craſsioribus redditis, & retrocedentibus efficitur, ut ex Ariſtotele colligitur, igitur prius quam dormiat animal, caput uaporibus oppleri neceſſe eſt: quare dixit Galenus, a cibo ad ſomnum conuerſis impletur caput: neque enim dixit, dum animal dormit, impletur caput: Sed cum a cibo ſe ad ſomnum conuertit. Quòd ſi etiam concederetur, Galenum uoluiſſe, caput tunc per quietem uaporibus repleri, utique id ei adſtipularetur, de quo in his, quæ contra Conciliatorem ſcripſimus, facta eſt mentio: ibi enim dictum eſt, non congruere ingeſto cibo ſtatim ſomno indulgere, quando cibus in parte ſuprema uentriculi contentus probe concoqui non posſit, ut in

lib. de ſom. & ui.

quinto

quinto de affectorum loco . noti. capite quinto Galenus ait , neque enim uentriculus tum poteſt cibos arcte complecti, quod ad bonam coctionem eſſe maxime neceſſarium , ſcripſit Galenus quare multos uapores gigni neceſſe eſt, qui ſua multitudine caput replere poſſunt : Et propterea dixit Galenus a cibo ad ſomnum conuerſis:ideſt qui ſumpto cibo ſtatim dormiunt, impletur caput: Vt igitur huiuſmodi noxa euitetur , lenta deambulatione , aut aliqua huiuſmodi leui exercitatione , corpus dimoueri opus eſt, ut cibus imum uentriculi petere poſsit,priuſquam homo ſomno indulgeat:Et hac de cauſa dixit Auer. ſomnos , ac uigilias ciborum coctioni congruere, quando in ſomno melior fiat concoctio , uigiliis autem uapores ad caput efferri ea ratione prohibeantur: Quare Haliab.conſulit,ut ante ſolis occaſum cibus in cœna ſumatur,ut quo tempore dormire oportebit,ad imum uentris deſcenderit:his uerò qui ſtatim aſſumpto cibo ſomno ſe tradunt , Auer. præcipit loco citato , ut erecto capite dormiant , donec cibus ad uentriculi inferiora deſcēderit,ſic enim maiorē noxam euitabunt.

3.pe pot. nat.4.

1.pra.13.

Conceſſo etiam caput repleri uaporibus magis in ſomno, quomodo ſaluari poßit proprium dogma. Cap.10.

PRoinde licet ſufficienter declaratum eſſe cenſeam , minus in ſomno,quàm in uigilia,caput impleri uaporibus , ubi ſomnus moderatus ſit,& uentriculo cibum arcte complectente probè fiat ciborum concoctio , attamen illud ſilentio non præteribo, quod & ſi illis daremus,plus in ſomno , quàm in uigilia , caput oppleri uaporibus,quoniam uapores illi,cum alimentum maturè concoquatur,ſuaues ſunt,ideo plus utilitatis, quàm nocumenti afferrent,in his etiā qui aliqua capitis ægritudine præmerentur.quippe ut ex Galeno colligitur,in uigilia ſpiritus ſiccitatē acquirunt,iccirco natura diſpoſuit,illos in ſomno ad interiora ſecedere, ibique uaporibus illis ſuauibus ex cibo recte confecto genitis humectari, ac denique proprium temperamentum reſumere : Quapropter ut natura (ſicut in ſuperioribus ſcripſimus) malos uapores ſecernendi , ita hos bonos retinendi prouidentiam habet , quando hi uapores a ſpiritibus paruo diſcrimine ſeiuncti ſunt, ex his enim parua in ipſis tranſmutatione facta ſpiritus generantur:cuius inditium eſt,quoniam hi uapores eaſdem efficiunt operationes,quas efficit calor naturalis.Proinde ,ut ſpiritus, ita uapores hi noxam effatu

3. de cau. pul.

effatu dignam afferre non possunt his, quibus caput ægrotat, quibus liberalius pransis tametsi non tanta uaporum copia caput impleretur, quoniam tamen cibos non ita probe conficerent, ut satis superque declaratum est uapores ex illis cibis geniti, quia mali essent, maius nocumentum afferrent: Quare
4. aph. 58. tale quid nos dicere liceret, quod scripsit Galenus in hunc modũ: Et somni uidelicet semper nocerent, quatenus ad profundum, & uiscera materia fluit, nisi coctionis ratione plus afferrent utilitatis; quam sit damnum: quod ex motu ad interiora cõsequitur & cętera. His itaque censeo satis manifestum esse, authoritates proxime adductas non efficere melius esse plus in prandio, quàm in cœna sumere.

Conclusio dictorum *cap. 11.*

QVod cùm optime declaratum sit: constare iam arbitramur, nullis rationibus obstantibus, nec non & authoritatibus, tum sanos, tum ægros (his tantum exceptis, de quibus in priori libro meminimus) satius esse plus in cœna, quàm in prãdio hesitare. Verum puto id non esse prætereundum, quòd qui oculos habent aliqua affectione laborantes, & imbecilles, in cœna non paruam debent rationem habere, quãdoquidem error in his quantumcunque paruus, noxam inferret, qui forte aliis capitis affectibus non officeret, sunt enim meatus qui a naribus ad oculos protendunt, qui cùm in somno non obturentur per eos sine impedimento uapores ad oculos efferri possunt: Sed quoniam ut paulo antè dicebatur, maior est utilitas, quam coctionis ratione somni efficiunt, quam sit detrimentum quod ex paucis uaporibus ad oculos in somno forte fortuna elatis consequi potest, hos quoque melius esse liberalius cœnare, quàm prandere (quicquid alii senserint) non dubitamus. Non me latet, quam plurimos non defuisse, qui hanc ueram opinionem quibusdam leuibus rationibus reiicere conati sunt: sed quoniã nostrum non est impræsentia eorũ ineptias penitus refellere, eas rationes omittere, satius esse arbitror, præsertim cũ ex his, quæ hactenus scripta sunt, facilis sit eorũ solutio. Hæc itaque sufficiant ad ueram opinionem tuendam, quam quidem, tametsi a plerisque noua esse existimetur, tamen nemo, uel mediocribus literis imbutus, inter antiquorum placita ex superioribus enumerandam esse dubitabit: Verum cum per multa se

cul a

cula ob temporum iniuriam ueluti ſepulta iacuiſſet, Primus Mattheus ille Curtius hac ætate medicorum omnium facile princeps, cui medicam facultatem non minus debere, quàm Galeno perſpicuum eſt, tanquam ab inferis ad uitam reuocauit, nos uerò hoc breui opuſculo illuſtrare non dubitauimus.

Libri ſecundi Finis.

MARCVS ODDVS ODDI FILIVS ALOYSIO LVISINO PHILOSOPHO, AC MEDICO INSIGNI S. P. D.

De putredine scribendi occasio, & propositum. Cap. I.



SCRIPSERAM superioribus diebus, uir Excellētisſime, defenſionem quandam pro ueteri de febris eſſentia Galeni ſententia, atque de febris cauſis diſſerere in aliud tempus diſtuleram, cum inter legendum Argenterii commentarium in Galeni artem medicinalem locus ille mihi ſe ſe obtulit, in quo non ſolum aduerſus Ariſtotelis interpretes, uerum & Ariſtotelem ipſum, atque Galenum inuehitur, nouam, ut putat, alteram de ea abſtruens opinionem: quem quidem locum cum non ſemel, ſed bis, ac ter totum perlegiſſem, & ueterem opinionem tametſi non admodum intellecta ſuſtinere poſſe putaſſem, illius tutelam pro uirili parte mea neque tamen contradicendi ſtudio ſuſcepi, proinde cum antea libenti animo (ut mea ſemper ſoles, licet in uiſendis ægrotantibus, aliiſque perarduis negotiis ſis obſtrictus) Galenicam noſtram de febris eſſentia defenſionem legeris, ea mq́ue dignam, ut in hominū manus prodeat, diiudicaris, tuo equidem fretus iudicio, & abs te mirum in modum accenſus, dilato tempore, quo de febris cauſis agere decreueramus, ad Ariſto. Galeniq́ue placita de putredine defenſanda promoueor, tibiq́ue uiro omniū diſciplinarum, ſcientiarumq́ue peritisſimo apologiam hanc diiudicandam propono. Qua quidem in diſceptatione (quo ad fieri poteſt) breuitati ſtudentes, ea duntaxat, quæ neceſſaria

sunt recensebimus, hoc quidem seruato ordine, ut imprimis Aristo. de putredine proposita diffinitione potiores, quas Argenterius ad uersus eam erigit, rationes in medium afferamus: secundo ut propriam, quam ueram putauit, sententiam constituamus: tertio, ac ultimò, ut ueram (ni fallor) Aristo. Galenique mentem enodantes, Argenterii uerò, utpote uanam destruentes, ipsius rationibus satisfaciamus.

Argenterij examinatio de diffinitione putredinis tradita ab Aristo. Cap. 2.

FVit itaque non tantum Argenterii, sed omnium Aristotelis interpretum sententia, quod cum Aristo. 4. metheororum libro de generatione, corruptioneque secundum naturam in mixtis agat (licet nonnulli ipsum de uiuentibus tantum eo loco agere contendant) putredoque sit corruptio secundum naturam, non iniuria eius naturam ibidem diffinit, quòd putredo est corruptio proprii iu unoquoque humido, naturalisque caloris ab aliena caliditate, hęc autem ambientis est. Aduersus quam diffinitionem insurgit Argenterius compluribus quidem rationibus, ex quibus eas potissimum adducemus, quæ nobis fortiores esse uidebuntur, quarum quidem prima est, quòd si putredo generationi simplici contraria est, ut ab eo determinatur, putredo utique ab eodem principio proueniet, à quo & generatio secundum naturam, uerum tamen generatio principium hebet internum, ergo & putredo, cuius quidem oppositum scribit Aristo. putredinis principium efficiens externum esse constituens continentis nimirum alienum calorem: Quæ quidem ratio corroborari quinetiam potest ex his quæ antea aduersus Aristotelis interpretes Argenterius scripserat, siquidem Aristo. naturalem corruptionem ab ea, quæ uiolenta est ob principium in re ipsa existens distinguit, ꝙ si aer ambiens putredinis principiũ extrinsecum est, aut ea naturalis non erit, neque generationi simplici contraria, ut inquit Aristo. aut putredo principium internum obtinebit, quod quidem ei aduersatur, quod 4. metheor. scriptum reliquit: secunda autem est ipsius ratio, nam si à principio quarti libri metheor. philosophus actiuarum qualitatum nempe caloris, & frigoris opera, ac pasiuarum humidi

4. metheo.

Libello de uit. & omr. & respi.

&

&ſicci paſsiones tractare pollicetur, quo nam pactò calorem corrumpi (quæ paſio eſt) dicere poteſt? idem namque exiſtens corrumpere, ac corrumpi, agens & patiens eſſe poſſet, quod quidem ualde abſurdum eſt: inſuper ſi putredo eſt caloris uitium, corruptio utique non eſſet, ſed alteratio, alioquin lib. de gen. & corrup. fruſtra aduerſus ueteres inuveheretur, qui qualitatum mutationes, generationes, & corruptiones nominabant: præterea corruptio eſt compoſiti, non autem qualitatis, aut rei ſimplicis, qualis eſt calor, ſiquidem ut forma non eſt quæ gignitur, ſed compoſitum, quod ex forma, & materia reſultat (generatio enim fit, cum forma materiæ appropinquat) ſic & econuerſo forma non eſt, quæ corrumpitur, ſed compoſitum, quando forma à materia ſegregatur: ut ergò calor non dicitur gigni, cum res ex elementis fit, ita abſurdum eſt dicere eundem corrumpi, cum mixti corruptio efficitur. Quod ſi quis pro Ariſtotele dicat per calorem nil aliud ab eo intelligi, quàm ſubſtantiam calidam & humidam, quandoquidem ea eſt ſpiritus, qui in animalibus quidem ex puriori ſanguinis portione gignitur, in plantis uerò ex ſinceriore alimenti parte; contrà inquit ille, eo in loco non de ſubſtantia, ſed de caliditate, ut qualitatem indicat, Ariſto. clariſsime uerba facere: adde quòd ſi nomine caloris ſubſtantiam calidam nominaret, opus eſſet, ut frigoris nomine innatam ſubſtantiam frigidam intelligeret, quod tamen ab eius mente falſiſſimum eſt. Amplius arguit idem aduerſus traditam putredinis diffinitionem, quòd neque ea ab ambiente u ti efficiente generetur, etenim Ariſto. modum nequaquam exprimere poteſt, quo id ambiens putredinem committat, cum ſolum dicat ambientem calorem natiuum, qui eſt in humido, corrumpere non quidem calidum omne innatum, quod eſt in rebus, fiet namque putredo in uiuentibus, & animalibus corrupto calore à corde influente, at talis calor eſt unio animæ cum corpore, & proinde uitæ author, & mortis, non autem putredinis, quæ ſolum ad materiæ animalis corruptionem ſpectat: præterea non omnia mixta naturali conſtant calore, ſed extrinſecus ab aere, & igne deſumpto, non igitur ea putreſcerent, cum tamen Ariſto. contrarium autumet, quinimo & metalla ipſa putreſcunt innato orbata calido, in quibus, ut & elementis uerificari non poteſt modus ille corruptionis ab Ariſtotele deſcriptus, ut extrinſecus & primo hu-

mida, mox interne ſicca tandem euadant: Vnde in cauernis, ac domorum ruinis putrida quædam conſpiciuntur, quibus in locis ambientis calor nequaquam penetrat, quæ ſi ſoli exponantur, integra quidem ſeruantur. Quòd ſi quis dicat per ambiētem intelligere philoſophū nō tantū aerē, uerū & quodcunque illi proportione reſpondens ſiue aqua ſit, ſiue uapores ex mixtis cō ſurgentes, qui natiuum cuiuſque calorē uitiāt, cōtra (inquit ipſe) ut illi, quæ propria non ſunt rebus generandis naturalē non conficiunt generationem, ita hæc eadē, dum res corrumpuntur, nequa quam naturalem corruptionem molientur, ſed uiolentam, ac præter naturam, ut in febribus, ſiquidē cū uapores illi animanti proprii nō ſint, aliquid propriū, ac naturale nō efficietur, ſed quod corrū petur, id totū uiolētū erit, ac pręter naturā: īſuper ſi ueſtes & lintea, quę nos ambiūt, ambiētis nomine uocētur, & nos putrefacere dicā tur, in putredine utique perpetua eſſemus, nobiſcū namq; cauſę perpetuò reperiētur: adhæc cōtradicet is Ariſt. placitis, qui in frigore minus, quàm in æſtu, ac cōcreta minus quā liquata, ac feruētia, & multa, quàm non feruentia, & pauca difficilius putreſcere ſcripſit, etenim cum uapores illi difficilius à multa, cōgellataque materia, ac aere frigido, quàm æſtatis tempore à pauca, colliquataque exire posſint, feruentia uero in ſe complures contineant uapores, quàm quæ non feruent, hæc utique facilius putreſcent, quod quidē ſecus philoſophus determinauit. Errauit inſuper (dicit Argēterius) utpote quòd corruptionis modos non diſtinxit, neque cur putredo ſit corruptio, neque num ea, quæ à calore in humido efficitur, putredo tantum uocari mereatur, edocuit, necnon eius differentias ſubticuit: ac quod peius eſt in ea diffinitione ſibi ipſi pugnantia ſcribit, etenim putredinem diffiniens ſolius externi caloris meminit, qui principium eſt efficiens, at poſtmodum duas efficientes ipſius cauſas conſtituit, frigiditatem nempè propriam, ac alienum calorem: præterea ſi proprii caloris corruptionem ſuperius dixit, quomodo alienæ caliditatis affectio eſſe poteſt? amplius nullo pactò comprehendi poteſt putredinem frigiditatis propriæ affectionem eſſe, quæ in rei compoſitione ex elementis conſtet, non quidem ſi pro caloris imbecillitate frigus intelligatur, nam hæc frigiditas non eſt, ſed debilis calor, ut in ſenibus, qui in ſe calidi ſunt, calore uerò imbecilles, ſi ad iuuenes comparentur: item dum res putreſcunt, nulla caloris imbecillitas appàret, ſed uehementia omnis, neque minus pro uera

frigiditate

frigiditate, aut enim internam intelligit, aut externam, non quidem internam, ut Buccaferreus sentit, cum calor innatus incipit minui, & frigiditas existens in membro, ac humido in calorem innatum agere incipit, ipsumque corrumpit, nam calor (ut dictum est) uehemens est, donec mixtum in cinerem, ac terram dissoluatur: adhæc si frigiditas est, quæ efficit, & calorem corrumpit, non autem afficitur, atque corrumpitur, ergò non passio, ut ait Aristo. Quòd si dicat putredinem esse frigidi affectionem, quoniam caloris interitu frigus consequitur, ut ad compositi corruptionem per antecedens conferat, contra (dicit ipse) ergò illius passio non est: neque etiam externam intelligit Philosophus frigiditatem, etenim præter quòd eius uerba ipsum de propria loqui frigiditate attestantur, eius etiam passio non est, propterea quòd à re, quæ putrescit, seiuncta est: ob id uolens quodammodo excusare Aristo. ut & in quibusdam aliis huiusce diffinitionis partibus, licet iactantię potius causa ipsum mordens quasi eum non mordeat, ab aliis diiudicari malit, contextum deprauatum esse arbitratur, sed an hoc ita sit, ex nostra interpretatione ipse uiderit. Increpat postremò Aristo. Quòd experimenta, seu probationes secus quàm euenire compertum est, de putredine tradat, quandoquidem quòd multum quàm paucum difficilius putrescat, hoc falsum esse demonstrat, frumenti namque aceruus, aliaque consimilia semina citius putrescunt, si ad maximam molem coaceruentur, quàm si in paruulos aceruos acommodentur, ut prouidi faciunt agricolę: item uestes multum in se cumulatę idipsum promptius perpetiuntur, necnon crassa corpora, quàm gracilia, ut quandoque testatur Gal. Et carnes etiam, quas seruare per temporis spatium cupimus, in minora frusta secamus. Quòd si quis dicat Aristotel. per multum non quantitatem discretam, sed continuam intellexisse, ut omnia fermè experimenta commonstrare uidentur: aduersus hoc instat Argenterius, quòd præter quòd multum ad numerum, & quantitatem discretam proprie refertur, quod de crassa, & uasta substantia dicendum est? siquidem animalium partes mortuorum soli expositę, quanto crassiores sunt, tanto facilius putrescunt: Quòd uerò mare in partes diuisum, quàm totum ipsum, & aqua non feruens, quàm feruens, quodque quiescit, quàm quod in motione est, ac fluit facilius putrescant (inquit Argenterius) causa non est, quæ ab Aristo. assignatur, caloris nempè, atque substantię multitudo,

tudo, ac paucitas, ſed aeris introcluſi tranſpiratio, ac clauſio, quandoquidem maris proprius motus eſt, qui aerem introcluſum tranſpirare facit, quod quidem ipſius maris parti nequaquam accidit, ſic & quod fluit, ac feruet, meatus patentes habet, è quibus aer ipſe difflari poteſt, at quod liquatum, quàm gelatum facilius putreſcat, Ariſtotelis cauſam damnat, quòd eorum frigus ab aeris caliditate ſuperari nequeat, probat autem alteram propriam, quòd frigus illud externum calorem, qui eſt in re, quodammodo ſtupefaciat, ac ſuffocet, ex quo uapores eleuati prohibentur atque tardantur, qui putredinis cauſa ſunt.

Argenterij propria de putredine opinio. *Cap.* 3.

PRopterea ſuam de putredinis natura ſententiam proferens imprimis quidem Galenum partim probat, partim uerò reprobat, nam quòd ſentiat putredinem eſſe ſubſtantię corruptionem, ſeu mutationem cum ipſo concors eſt, at ab eo diſentit, cum Gal. addit totius ſubſtantiæ corruptionem, neque enim tota ipſa rei ſubſtantia, nec ſingula, que in ipſa ſunt, putreſcunt, & per putredinem corrumpuntur, ſed illa duntaxat, quæ materiam præbent, neque enim frigus, quod eſt in mixto, neque calor, neque humidum, neque ſiccum ex Argenterii ſententia re uera putreſcere dicuntur, ſed quod ex humido, & ſicco factum eſt compoſitum agente calore, aut frigore, nam quemadmodum generatio non eſt caloris, aut frigoris, aut humidi, aut ſicci, ſed totius compoſiti generatio, quod quidem corpus & materiam ex humido & ſicco deſumens illorum unione componitur, ſic corruptio, quę putrefactio eſt ipſius unionis, & eorum quæ ſunt unita, ſeparatio: qđ quidē & Ariſt. ſenſiſſe uoluit non ſolum eo 4. metheo. ſed & libello de reſpiratione, 4. quidem metheororum, dū ait putredinem in his proprie, quæ ex parte corrumpuntur, cum à natura diſceſſerunt, hoc eſt ſecundum ſuam materiam, quæ cōpoſiti pars eſt, receſſus autem à propria natura eſt, uel ob materię uitium, uel quando humidi à ſicco fit ſegregatio, tunc enim illorum natura, & materia ſeperatur, & ob eam ſeparationem corruptio fit, atque putredo: libello uerò de reſpira

ſpira

ſpira. dum ait, humidum & ſiccum corporibus ſuggerunt omnibus: calor, igitur in humidum agendo (inquit ipſe) illudque à ſicco ſeparando corrumpit, neque debitam ſuam, quemadmodum prius cum generabat, ac humidum cum ſicco coniungebat, obtinet qualitatem: ob id Ariſto. (ut ipſe autumat) putrefacientis caloris naturam exprimere intendens, ipſum corruptum nuncupat, quaſi uitiatum, non purum, ac mediocrem, ſed à fuliginoſis excrementis ex re ipſa eleuatis infectum, non tamen propriè corruptum, ſed auctum, qui poſtmodum compoſitum ſeparando ſicum ab humido corrumpit: atque hunc in modum Ariſto. diffinitionem interpretans ipſam ſaluare contendit uolens putredinis principium internum eſſe perinde ac generationis ſimplicis: quod uerò corrumpitur, materiam, atque compoſitum, dum humidum à ſicco ſegregatur, nam ſicut in generatione calor & frigus humidum cum ſicco uniunt, ſic in corruptione eadem ſciungunt, atque hoc eſt illud quod idem dicebat ex parte corrumpi, cum à natura ſeparata fuerint. Proinde inficitur calor ex ipſius ſententia nulla alia ex cauſa potisſima, quàm ex prohibita tranſpiratione, quandoquidem ſolus auctus calor corpus putridum non reddit, ut aperte ſatis uideri poteſt in corporibus, quæ Soli exponuntur, ea namque minime putreſcunt, ſed aduruntur potius, at cum prohibita in his adeſt tranſpiratio ob fuliginoſorum uaporum detentionem, & calor expirare prohibetur, ac auctus, impurusque redditus in materiam agit, humidumque à ſicco diſiungit: prohibetur autem libere difflari calor, aut cum meatus interni, externivè occluduntur, aut cum calori humoris copia obiicitur, ex meatuum quidem obſtructione manifeſte admodum patet, cum ob ingentem aeris frigiditatem, aut quid aliud adſtringens corporum meatus interni, aut uaſorum internę cauitates obſtipantur, ex quibus febres putridę in uiuentibus corporibus gigni ſolent, ob humores uerò copiam, cum in gangrenis, quæ fiunt grauato ex magna inflamatione membro ſuperfluus ibidem humor confluxus apparet, qui calorem grauans, ac ne expirare poſſit cohibens neceſſariò impurus redditur, ac poſtmodum humidum a ſicco ſeparat, quæ proprie compoſiti corruptio eſt, atque putredo. Quòd autem hæc abſque prohibita tranſpiratione putredo fieri nequeat, multis ſanè rationibus ex experientia de

de sumptis comprobat Argenterius, atque potissimum ex carnium frustulis, quæ si Sole ardenti exponantur proculdubio non putrescent, sed exiccabuntur potius non secus, ac si ea in furnum æstuantem iniiciantur: hoc itidem docet experientia in gangrenis, de quibus superius dictum est, quòd si membri fiat scarificatio, aut alia exhibeantur remedia, quibus & cuius, & totum ipsum membrum raresiat, non amplius putredo progreditur, quod planè & in tritici aceruo, & huiusmodi aliis uideri licet, quæ quidem dum unita sunt, & liberum uaporum transitum non habent citissime solent putrescere, at sparsa, & transpirabilia nunquam putrescunt: hinc ex ephemera, ac hectica febribus putridæ multotiens enascuntur, dum calor ille in spiritibus, ac membris solidis accensus difflari non potest, ut tandem aducta putredine pestilentes febres exoriantur: idem quoque docent, quæ in sanis fiunt corporibus putredines, nam ex putredine canitiem fieri autumat Aristo. aer quinetiã in cauernis conclusus, necnon aqua ex fontibus hausta, & in umbra seruata putrescunt ob prohibitam nimirum transpirationem, ex qua maior minorv putredo exoritur, ut prohibita hæc transpiratio, utpote præcipua causa (licet & aliæ possint concurrere) maior, minorve corporibus adest, hocque potissimum inditio, quoniam quęcunque libere non transpirant, grauiter olent, quæ non grauiter olent, putrent, ut in carnibus conspici potest: Vnde Gal. putredinem esse corruptionem cum fœtore diffinit, & Aristo. inquierens, cur maxime aliæ inter omnes partes male oleant, curque gibbosi halitum fœdiorem aliis habeant, causam assignat difficilem esse spirationem, quod itidem de putredine loquens alibi eam ex prohibita transpiratione enasci fatetur.

[10. de simpl. med. c. 15. 12. pro plena. sect.]

Discursus ad mentem Aristotelis circa generationem, et corruptionem & putredinem in omnibus rebus singillatim. *Cac. 4.*

HAEc sunt, quæ ex longa ipsius disputatione, ut suam adstrueret, Aristotelis uerò destrueret sententiam (quòd erat primũ atque secũdũ caput à nobis peragendũ) breuibus quoad fieri potest, colligere potui. Vt aũt Aristotelẽ rectè, quãtũ ad philosophũ spectabat, putredinis naturã, differẽtias, modosque omnes assignasse Argenteriũ uerò, ac omnes interpretes ipsius sententiã nequaquam percepisse (absit arrogãtia quod tertiũ est caput) ex quo tot

inter-

interpretationes, dubia, ac contradictiones emanarunt, clarissime ostendamus, operęprętium esse duxi, ut ad ipsummet Arist. recurramus, eiusq; uerba ex aliis ipsius locis adamussim interpretemur, hunc enim in modum omnia sibi inuicem consona reperientes, quas contra Arist. Argéterius efformauit rationes nullo confestim negotio dissoluemus. Arist. itaque lib. 4. metheo. à principio postquã elemẽtorũ causas cõstituit, quatuor nempè primas qualitates, inter quas duę erant actiuę, totidẽ uerò passiuę, nõ quidem absolute (ut rectè testatur Gal.) sed in animalibus, & stirpibus potissimum, necnon & in reliquis mixtis innanimatis, licet obscure admodum, dicant alii quicquid uelint, idque inductione confirmauit, in cunctis namque calidum & frigidum finire, terminare, exiccare, humectare, atque id genus efficere cernimus, siccum autem & humidum à calido, & frigido huiusmodi affectiones perpeti: quod quidem ex ipsarum patet diffinitione, siquidem calidum, & frigidum per terminare, quod actionem con notat, siccum uerò ac humidum per terminari, quod passionem indicat, diffiniuntur, aggreditur postmodum aperire, qui nam sint effectus, qui tum ex actiuis, tum ex passiuis his qualitatibus in mixtis producuntur: inter cæteros autem actiuarum qualitatum effectus, seu opera ex eius sententia unum primum est, atque præcipuum, generatio nempè simplex, naturalisque transmutatio, missa nonnullorum interpretatione, qui nõ animaduertentes Aristotelis uerba duo seiunctim opera constituũt, cũ. n. calor, & frigus materiã uincunt, quæ humido cõstat ac sicco, calor quidẽ mãm rarefaciendo, & bullire quodammodo faciẽdo penetrat, & ad cẽtrũ usque humidum cõducit, frigidũ uero ne humidũ deperdatur, ac exhalet, compingit, unit, ac retinet, necnon calidum ipsum, quod & cõtẽperat, ne sui actione ueluti ignis humidũ cõfestim absumat, ex qua quidẽ naturali transmutatione necessariò postmodũ naturalis, ac simplex resultat generatio, quę cuiusque mixti formæ est introductio, mixtiq; terminatio, diuersa quidem in omnibus iuxta uariam in elemẽtis qualitatum mixtionẽ, siquidẽ alia est sanguinis, alia carnis, & alia ossis forma, propterea quòd alia in sanguinis generatione, alia in carnis, & ossis propagatione alteratio facta est: hinc cætera partialia emanant opera, coctio nimirum, maturatio, & huiusmodi, quæ quidẽ perfecta admodum fiunt, dũ calor & frigus concinne satis materiã euincunt, chylus namq; in uétriculo superantibus actiuarũ potentiis rectè cõficitur, sanguis

1. de nat. facultat. propè initium

autem in hepate,ac uenis,& caro ipsa in uniuersa musculosa substantia, ut rectè Gal. sæpius demonstrauit, in plantis uerò fructuum,ac seminum maturatio,ut Aristo.& Theoprastus.at si calor & frigus congrua proportione non uincunt (inquit Aristo.) opera quidem hæc à prioribus deficiēt uaria tamē ut & actiuarum uirtutes à propria symmetria,atq; proportione declinabūt, nam si ex parte deficient, utpote calor proprius,ex parte etiam opera in animalibus quidem coctio,elixatio,ac denique generatio ipsa, in plantis uerò maturatio,atque nutritio deficient: Vnde imperfecta elixatio,& inconcoctio,& huiusmodi imperfectę conficiétur operationes. Verum sicut ex natura generantur corpora, ita & secundum naturam processu temporis corrumpuntur,propterea quemadmodum naturalis generatio ab his actiuarum facultatibus prouenit,cum sui debita proportione materiam cuiusque terminant, sic & naturalis corruptio tandem fit,cum quæ terminabantur, superiora tandem euadunt his,quæ prius materiam terminabant, atque in his mixtis perinde ac in elementis generatio fit, atque corruptio, nam cum non eadem potestate sint prædita, generationis ac corruptionis sibi inuicem causæ sunt,etenim contrarietates secum obtinent,ex quibus genita sunt (quod enim ex materia constat sublunari ex Aristotelis sententia fieri non potest,ut ipsi quodammodo contrarium non insit,alioquin incorruptibile ingenerabileque foret) cumque in generatione calor & frigus ueluti efficiendi uim obtinentes materiam humidum nempè ac siccum terminent,temporis spatio calor ob internam mixti contrarietatem superatur, qui quidem unà cum frigore cum non amplius terminantis opera utatur,dominantibus passiuis tandem corrumpitur,ac dissipatur:huic autem corruptioni continens ipsum suffragatur,aut refragatur (ut concludit Aristo.his uerbis. Quapropter omnia perpetuo sunt aut in motu, & generantur, uel intereunt, ipsumque continens aut suffragatur, aut refragatur) etenim aer calidus in mixtis adiuuat, ut rarefaciendo innatum calidum, ac cum eo humidum exhauriat, ac dissipet, aut ut in uiuentibus citius pabulum sibi præparatum, quàm aliud denuò paretur, absumat, quo quidem absumpto ipsum interire, seu corrumpi necesse est, aer verò moderate frigidus non solum generationi prodest, uerum & corruptioni resistit, siquidem ne calidum dissoluatur, ac euanescat, ut ipsius erat placitum cum ait: ete-
„ nim si excellat, quod circumiectum est, calidum, siue alimen-

tum

tum non capiat, interit, quod ignitum est, non frigore, ”
sed exiccatione. Quamobrem necesse est, refrigerationem fieri, ”
si salutem assequi debet, id enim auxilio est ad eiusmodi corruptio ”
nem. Quoniam autem animalium alia quidem in aquis, alia uerò in ”
terris uitam agunt, his quęcunque pusilla sunt omnino, & quæ san- ”
guine carent, refrigeratio, quæ ex circunstanti fit aqua, aut aere ”
contra eiusmodi corruptionem satis sufficiens est auxilium: pro- ”
pterea idem 4. metheor. dicebat, ex his enim utpote primis elemen ”
torum qualitatibus orta sunt, & humido siccum determinatum est ”
operantibus actiuis, corruptio autem fit, cum id quod determi- ”
nat, eo qđ determinat, superius est ob id qđ ambit, nō. n. ab ambiēte ”
corurptio secundū naturā efficitur, sed ob ambiens, quasi dicat illo coadiuuante, suffraganteque eo, quo declarauimus, modo. Et licet unum quod commune sit corruptio ipsa, uerumtamen ex Aristo. mēte ipsius modi specie sunt diuersi, sicut & generationis opposita namque sunt, etenim cum tria mixtorum potissimum genera sint, animantia, stirpes, & inanimata quæque, sicut in generatione naturali, quę præuia est alteratio cum formæ introductione, ut censet Aristo. dum ait, ab efficientibus facultatibus cum proportionem habuerint mutatio est ex subiecta cuique naturæ materia, uarię fiunt alterationes, dum forma introducitur, ita & in corruptione, quæ nil est aliud, quàm præuia alteratio cum formæ priuatione, quandocunque id, quod determinatur, eo quod determinat, superius euadit, uarii modi alterationis, dum forma destruitur, cōspiciūtur, animalibus namque ad formæ secundum natu turam destructionem longo æuo, & perfecto ætatis termino continua semper accidit exiccatio, siquidem ex natura post uigoris statum continuò, paulatineque membra omnia exiccantur, atque pręcipue pulmo, seu ea, quæ pulmoni proportione respondent, ita ut sui duritie ad motum ualde inepta efficiantur, calor uero cum uentilatione priuetur, quæ ob motionem fit, dum aer frigidus introducitur, magis accenditur, qui post hac ueluti efferuescens, & multum, quàm prius effectus humidum prius, quàm nouum reparetur, radicale absumit, ac demum seipsum destruit, atque consumit: stirpibus autem secundum alium alterationis modum, non ualde tamen à priori dissimilem forma destruitur, nam cum ab imbecillo admodum plantarum calore ob temporis longitudinem, quod derelictum est, humidum radicale absumatur, neque aliud sibi præpara-

Libello prædicto.

tum adſit, calor is neceſſario interit: atque hæc in ſtirpibus ab
Ariſto. naturalis corruptio αὔανσις hoc eſt ariditas, ſicut altera in
animalibus θάνατος ideſt mors nominatur, quàm tamen nonnun-
quam & γῆρας nuncupat, propterea quod dum totum uiuentium
quo ad ętates periodum in tres diuidit partes, augumẽtum, ſtatum,
& declinationem, quæ ſenectus dicitur, præuia quidem, illa ad mor
tem atque corruptionem alteratio, quæ in ſenectute fit, corruptio
quoq; dici promeretur, ſiquidem dicebat Philoſophus diſtinguens
mortem ſiue corruptionem naturalem à uiolenta his uerbis: uio-
lenta quidem cum principium extrinſecus eſt, naturalis uerò cum
intrinſecus, & partes conſtitutio à principio tali, ſed non aduenti-
4. metho. tia quædam affectio, in ſtirpibus igitur hoc ipſum ariditas, in ani
malibus uerò ſenectus uocatur, hoc eſt in ſtirpibus, & uniuerſo ter
ra naſcentium genere naturalis corruptionis cauſa eſt ariditas,
in animalibus verò cunctis ſenectus: peculiaris quinetiam mixto
libello de reſpi. rũ inanimatorũ ominiũ ſiue talia à principio oriantur, ſiue poſt mo
dum orbata ſpectentur pręcedit alteratió, ut forma immediate
corrumpatur, à prioribus quidem ualde diſſimilis, non enim ani-
mam habent altricem, quæ calore ut inſtrumento utatur, quo qui-
dẽ deſtructo ceſſat uita, quæ nil erat, quàm animę cũ calore cõmu-
nio, ſed ut dictum eſt, ſecundũ naturã, ut & elementa ob contrarie
tatem, quæ in eis eſt, alterantur, ut tandem adiuuante ambiente
propria forma deperdatur, quæ humidũ cũ ſicco terminabat, tunc
enim id quod terminabatur, eo quod determinat ſuperius eſt, cu-
ius quidem finis ac terminus, ſicut in ſtirpibus ariditas, & in anima
libus mors, ita in his putredo appellatur, quæ ſanè generationi ſim-
plici ut maxime contrarium exiſtit, etenim quemadmodum gene
ratio ſimplex commune naturale opus eſt, quandocunque mixta
ab efficientiũ opera perfectionẽ adipiſcuntur, ſic & putredo paſ-
ſio eſt naturalis, quandocunque exhalante calore, ac proprio humi
do, relicta uerò ſolum intrinſecus propria mixtorum frigiditate, ac
alieno calore, qui corruptioni fuit adiumento, ſicciora euadunt, ac
ad extremum terra, & fimus, terra quidem in his, quæ naturali tan-
tum conſtant humido, fimus verò in his quæ non ſolum natiua, ſed
& aduentitia humiditate pollebant.

Conclusio dictorum, & quod duo sunt putredinis modi, iuxta Aristo. Cap. 5

CVm igitur generatio simplex commune opus secundum naturam sit, formę nempè adeptio, sic & putredo communis naturalis est passio ex formę nimirum priuatione corruptionis absolute complementum, atque ob id generatio, atque putredo inter sese maxime contraria sunt, siquidem alterum quidem ut commune principium est, ac opus naturale, alterum uerò ut finis, ac communis passio, & licet generatio & corruptio oppósita sint, maior tamen inter generationem simplicem, atque putredinem est contrarietas, propterea quòd maxime extrema sunt, corruptio uerò inter utramque medium: Vnde Aristo. hanc non mixtorum naturalem corruptionem, sed corruptionis terminum, ac finem, non quidem naturalis omnis corruptionis, sed mixtorũ duntaxat, quæ uita sunt orbata, nam (ut ait Aristo.) naturalis uiuentium interitus, utpote senectus in animalibus, & in stirpibus exiccatio ad putredinẽ uia est, nõ autẽ ipsius finis terminus, sed corruptis utrisq; secundũ naturã, morte aut αὔανσι, quam nos ariditatẽ uertimus, hęc ipsa ut & cętera inanimata corrumpuntur, cuius quidem corruptionis finis putredo naturalis est, nisi ui corrumpãtur, utpote ex ustione, quæ mixtorum uiolenta corruptio est, perinde ac ea quæ in uiuentibus reperitur, nam sicut calor aut ab excedenti, continentis frigore, aut humoris copia adunatim & subitò strangulatur, qui alimentum sibi præparatum confestim absumens, quàm nouũ adsit, extinguitur, aut cõciso animali gladiis, aut similibus instrumẽtis celerrime distractus, ac diductus dissipatur, ac euanescit, sic & in uita orbatis caro, os, & id tale genus igne quàm celerime absumitur, quod quidem naturali non accidit corruptioni, sed paulatine, ac temporis spatio, ita ut Aristo. eam à semet ipso corpore emanare non immeritò nuncupet: proinde corrupto mixto ex Arist. sentẽtia putredo hęc, quę mixti passio est, necessariò cõsequitur, duobus cõcurrẽtibus causis, frigiditate nimirũ propria, alienaq; caliditate, etenim cum calidi innati propriũ sit, ut humorẽ alliciat, sicuti frigidi, ut hac priuetur facultate, si exhalante proprio calido, quod humidũ cũ sicco determinabat, humidoque secundũ naturã libello de respir.

quod,

quod à ſicco diſiunctum eſt,unà euaneſcente, calidum id amplius non adſit, ſed frigiditas tota excedens, nullum igitur reperietur in mixto,quod humorem alliciat,frigiditas namque tantum abeſt, ut humorem alliciat, ut maxime ob contrariam naturam prohibeat, idque potiſſimum ſi in extremo ſit, à frigiditate itaque mixtum tali potietur affectione, calor quinetiam extraneus, ſicuti adiumento fuit, ut caliditas natiua, ac propria fuerit diſſipata, ita etiam hoc tempore uel maxime aduerſabitur,quinimmo quod calidi natiui, ac humidi proprii in ſuperficie derelictum eſt, id totum penitus deſtruet,atque conſumet: Vnde dicebat Ariſt.ꝙ quæ putrida hoc modo fiunt, humida primum, mox ſicca ad extremum redduntur, intrinſecus namque cum ex corruptione, quæ fit dum humidum à ſicco ſeparatur, calido euaporante ſicciora primum efficiuntur, extrinſecus uerò humidiora,utpote ſiccitate & humiditate domininm obtinētibus,at ex putredine, qui corruptionis eſt finis,tota ſicca,& ex natura propria frigida,reſiduo calidi & humidi ab ambientis calore diſſoluto, eius tamen alieni caloris fomite derelicto. Eſt & alius putredinis modus proprie dictus,qui non ut prior corruptionis finis eſt,ſed corruptionis ſpecies quædā, quandocumque mixta imprimis ſecundū partem corrupta à natura,ſeu conſtitutione propria recedunt,cum enim aliqua ex cauſa alterantur,ita ut eorum pars quæpiam à natura recedat, tunc proprie in his putredinem eſſe dicimus: neq; iniuria: ſanè Ariſto.tres in hac putredine conditiones concurrere uoluit,nam ſi ſolum mixta corrumperētur,cum corruptio hæc accidentiū quoq; ſit,alteratio utique foret,in quā ſententiam lapſi ſunt nonnulli grauisſimi hercle uiri,qui nō tātū Ariſt.4.eo metheororū,ſed & Galenū huius fuiſſe opinionis dixere,decepti fortaſſe qm̄ Ariſt.caloris paſſionē paulò infra eā nūcupare uidetur,& Gal.alterationē nōnūq̄ uerū nō ſolū hæc ſufficit alteratio,ſiue corruptio,ſed talis, ut mixta à propria cōſtitutione,naturaq; ſeiungātur,ꝓpterea præter ꝙ eo loco Ariſt. nō de putredine iſta,ſed de corruptionis fine loquebať,paſſio quetiā eſt cū naturę proprię corruptione,quemadmodū etiā ſentiebat Gal.habet etenim quid cōmune cū alteratione,ſed pręter alterationē naturę illius propriè corruptio eſt:requiritur præterea, ꝙ mixta primū ſecundū partem corrumpantur,non quidē,ut Alex.interpretatus eſt,ſecundū ſui calidū,& humidū,nō autē ſecūdū cōpoſiti reſiduū,natura ſupeſlue addidiſſet,cū à natura recedūt,natura nāq; ex Ariſt.ſentētia calido cōſtat,& humido, inſuper frigidū & ſiccū

non

non corrũpitur eo modo, quo intelligit Alex. ſed intẽditur, calor uero eſt is in humido, qui proprie corrumpitur, ut dictũ eſt: adhęc nulla inter hanc & reliquas naturales, de quibus ſuperius diximus corruptiones, diſtinctio foret, omnia igitur cum corrumperentur ſecundum calidum & humidum, putreſcerent, quod ex Ariſt. nega uimus, nam animalium corruptio mors eſt, ſicut plantarũ αὔανσις hoc eſt ariditas, ſed ſecundum partem corrũpi dixit, quando pars quæpiam mixti aliqua ex cauſa corrumpitur, reliquis non ſtatim corruptis partibus, poſtremò quòd in tantum corrumpatur pars ea, ut à natura diſcedat, ut dictum eſt, quæ nil aliud eſt, quàm calidum ipſum natiuum in unoquoque humido.

Declaratio diffinitionis de putredine traditæ ab Ariſto. quam confirmat Galenus. Cap. 6.

PRopterea putredinem hanc diffiniens Ariſto. dicebat, quòd eſt corruptio innati, propriiq́ue in unoquoque humido caloris ab aliena caliditate, hæc autem ambientis eſt: Dixit autem proprii & ſecundum naturam in unoquoque caloris, non quidem (ut plerique cenſent) quòd ſynonima ſint, alterumvè ueluti alterius explanatio, ſed ut duas ex prædictis conditionibus manifeſtet, quæ ad hanc efficiendam putredinem uel maxime requiruntur: nam ſicut putredo propriè in his eſt, quæ ſecundum partem corrumpuntur, cum à natura diſcedunt, hoc eſt cum non ſolum alterantur, uerum & propriam naturam amittunt, ita & calor qui putreſcit debet eſſe proprius, hoc eſt non igne, aut exercitio, aut huiuſmodi extrinſecis cauſis concalefactus, tunc enim talis caliditas ei nequaquam propria foret, ſed aduentitia, ad cuius quidem deſtructionem tantum abeſt, ut calor corrumpatur, ut ad priſtinam potius ſanitatem reducatur: innatus quoque ſeu ſecundum naturam in unoquoque humido, tanquam putrefiẽdi corporis forma, quoniam non quilibet & innatus calor propriè putreſcit, ſed qui in humido potisſimum, ut materia continetur, lapides namque, metalla, & iſtiuſmodi, quæ tali calido in humido concluſo uaccant (ut & Gal. fuit ſententia) putredine hac 3. com. ter deſtituuntur, ſed naturalem tantum corruptionem habent, ex tii epidē. qua putredo, quæ ipſius terminus, finisq́ue eſt, naturalis conſequi cōm. 1. tur: poſuit autem efficientẽ cauſam, quæ ambientis caliditas eſt, nã ob hãc corruptio hæc à cæteris potisſimũ ſegregatur, quãdoquidẽ & ſi calor in animãtibus quẽ ad ignis ſimilitudinem, utpote ualde ad tactum calidum, ignem Ariſto. nuncupat, cuius principium

his,

his, quæ sanguine prædita sunt, in corde reperitur, illis uerò, quæ sanguine carent, in parte cordi proportione respondente duobus corrumpatur modis, altero nimirum per eam, quam ipse μαραίνειν nominat, nos autem exiccationem, seu marcorem, altero uerò à contrariis σβέσις, ab eodem nuncupatur, à nostris uerò extinctio, attamen hæ corruptiones putredines non sunt, propterea quòd primus corruptionis modus, qui duplex esse potest, naturalis, ac uiolentus ab alieno potissimum calore, ut primo agente nequaquam, efficitur, uiolentus enim hic interitus est, quãdo humoris, aut alicuius alterius copia, aut uiolentia strangulatur calor, q̃ quidem retentus seipso maior efficitur, & alimentum sibi præparatum confestim absumit, quo quidem absumpto, cum nouum
1.aphor. p rt.2. non reperiat pabulum dissipatur, ac euanescit, de quo quidem corruptionis modo loquebatur Gal. cum de Athletis uerba facit eos nimia sanguinis abundantia suffocari dicens, & quemadmodum etiam euenit his, qui ob laqueum strangulantur: naturalis uerò corruptionis modus ab Aristo. uocatus is est, quando calori à semet ipso (ut dictum est) accidit exiccatio ob temporis longitudinem, atque perfectionem, cum enim aut pulmo ut in respirantibus, aut branchiarum natura, ut in his, quæ aquas degunt, longo temporis spatio ipsi tamen uiuenti determinato fuerint exiccata, siquidem ex natura post uigoris statum continuò, paulatineque membra omnia exiccantur, atque præcipue pulmo, seu ea quæ pulmoni proportione respondent, ita ut duritie sua ad mouendum inepta euadant, aer utique frigidus neque intromitti, ut calorem innatum refocillet, neque idem calens emitti, atque expelli potest, quo fit, ut calor is pro humidi radicalis exiccationis proportione intendatur magis, ac ueluti efferuescens humidum prius, quàm reparetur, continuò absumat, ac ob longum æuum tandem absumpto reliquo seipsum destruat, atque consumat: minus etiam corruptio ex contrariis putredo hæc est ab alieno producta calore, nam ex frigoris actione, aut gladiis, & consimilibus contrariis confestim dissipatur calor, atque restinguitur, at ingentissimus calor, qui ambientis non est, exiccando calorem extinguit. Neque in stirpibus talis putredo adest, cum earum calor corrumpitur, cuius principium ex Aristo. & Theophrasto trunco potissimum, ac caulibus inest, in nonnullis uerò & ramis, qui enim sicci sunt, humore, ac innato calido parum admodum participes inserti, aut terræ mandati

dati

dati nequaquã uiuunt: Vnde & caules & ramos quoſdã, ſed nõ om dnes germinare uidemus, utpote quæ media quadam temperie caloris, humorisq; cõſtet (ut rectè aſſerit Theoph.) ualeátq; humorẽ, calorẽq; inſitum diutius conſeruare: nam cum is bifariam quoque corrumpi poſſit, ut & animalium ob contrarium, & à ſeipſo in harum neutra corruptione alienus utique calor ambientis præcipuum agens erit, non quidem in ea ob cõtrariũ, nã frigus excellẽs aut cõfeſtim calorem extinguit, ſi ab imbecilli admodum humido foueatur, aut ſui uiolentia ipſum ad interna fugans, & per antiperiſtaſim ualidior ſeipſo factus alimenti proprii ſtatim conſumit humorẽ, quo q dẽ abſumpto interit & ipſe, ac euaneſcit, calor uerò excellens, ut æſtiuus ille canicularis calorem non primò corrumpit, ſed ueluti exuſtio humidum repente abſumit, ad quam quidem exiccationem caloris extinctio conſequitur: quod quidem uerum eſſe teſtatur remedium id quod ex multorum experiẽtia (ut ait Ariſtotel.) huic paratur corruptioni, etenim lapides humidos, aquam & ſimilia radicibus ſubſternũt, nõ aũt trunco, ramis, ac caulibus, ex quibus caloris principiũ in plãtis emanare diximus: qđ itẽ nõ ſolũ Theophraſtus & Virgilius in Georgicis confirmant, uerum & Agricolis ſummopere præcipiunt, non alia ſanè ex cauſa, quoniã feruor ille primũ humidũ abſumit, quod reparatione indiget, quæ niſi præſtò foret, calor extingueretur, putredo uerò, de qua impręſentiarũ loquimur, innati, ꝓpriiq; caloris, qui eſt in humido, corruptio primum, ac per ſe eſt, mox & humidi, ut ex dictis, dicendisque liquidò cõſtat: neq; in his etiã nãlis corruptio eſt, neceſſe enim eſt (ut rectè Ariſt. ſentit) ſeneſcentes exiccari, ob tẽporis autẽ lõgitudinẽ abſumpto, qđ derelictũ eſt, humido radicali calorem neceſſariò interire: poſtremò neque naturalis in mixtis inanimatis corruptio eſt, in ea namque paſſiuę actiuas ſuperant qualitates, cum ui caloris non terminãtis humidũ a ſicco diſiunctũ eſt propria mixti forma deſtructa, in qua quidem corruptione calor ambiens nequaquam efficiens primũ extitit, ſed ex diuturnitate temporis qualitatum inter ſe cõtrarietas, ſuffragante tamen, refragãteq; hoc circundãte aere, qui diuerſis conſtitutionibus modo frigidus, modo calidus apud nos ſentitur. Iurè igitur putredo his erit, quibus corruptis dum id quod terminatur eo, quod terminat, ſuperius eſt, humido nempè à ſicco diſiuncto, ita ut cum interius ſicca ſint, exterius uerò humida cum exiguo caloris non terminantis, externus aeris calor idipſum calidi reſiduum cũ

1. de cauſ plant. c. 1.

3. de cauſ. plant.

humido diſſoluat, propriè uerò putredo, quando partes mixtorumſiue animatorum, ſiue inanimatorum ab aliena caliditate corrumpuntur, ita ut à propria natura deſcedant, mox & per partem poſt partem totum ipſum ut in pomo, niſi in aliam naturam degenerent, cum enim calidum exiguum eſt, ac humidi multum ab ambientis calore, calor qui in humido reperitur, corrumpitur: ſubiens autem calor ille extraneus in humidam materiam nonnunquã aliud conſtituit: quod quidẽ declarabat Ariſt. alibi exemplo canitiei pilorũ in hominibus, nã qbus pilorũ natura parũ calida ẽ, & plus humoris ſubit, cũ ꝑpria caliditas cõcoquere nõ poſsit (ſic enim contextus græcus iacet, nõ autem ut Gaza perperàm uertit) ab eo qui in continente eſt corrumpitur calore, atque ea efficitur, quæ canities ad ſitus ſimilitudinem appellatur, quæ alba propterea eſt, quoniam multum in ſe craſsioris aeris continet, corrupto namque ab ambiente natiuo ac proprio aer ille ſubingreditur, qui aliam materię naturam impertitur: uini quinetiam partes quædam cum ab ambiente aere alterantur, ita ut à natura diſcedant, putreſcunt, & in acetũ degenerant: propterea Gal. illorum probabat ſententiam, qui acetum uinum mortuum eſſe aſſerebant, nam hi propriam uini caliditatem perdidiſſe quidem, uerum ex putredine aſſumpſiſſe aliam quandam contendebant, in hoc ab illis diſſentiens, quòd non omnes eadem conſtare partes temperie exiſtimet, cum nec omnes putredine afficiantur: cuius quidem rationem clariſsime reddebat poſtquam dixerat ab eo ſuperius fuiſſe demonſtratum inæqualia propè modum eſſe omnia, quippe aut impoſsibile eſt, aut perdifficile ullam inuenire ſubſtantiam, quæ adamusſim ſimilarium ſit partium (quicquid dicat Clariſsimus Vincentius Madius præceptor meus) uinum namque (ſubdit Gal.) unum quid habet in ſe recrementum craſſarum partium, unde dum temporis ſpatio ſecernitur,ferturque deorſum, fex conſiſtit, aliud uerò, ſecundum quod florem nuncupant, quod dum uinum feruet, ſupernarat, ſed poſtea ad fœces ſubſidit, tertium aqueum, quod toti uino permixtum, hoc primariò, potiſsimumque feruet, quartum præter hæc eſt ipſum reuera uinum quã quidem excremẽtorum naturam non ſolum in uino, ſed oleo, lacte, aliis omnibus ſuccis, ac multo magis in totis plantis, ac metallicis omnibus adeſſe ſe oſtendiſſe profitetur Gal. ne mixta ſimilarium eſſe partium putemus, ut nonnulli falſò arbitrantur concedentes neque uinum, neque oleum, neque reliquorum ullum ex di uerſis

[Margin notes: 5. de gen. anim. c. 4. — 1. de ſimpl med. c. 19. — lib. 4. de ſimpl. med. fac. cap. 2.]

uersis facultate partibus consistere: quinimmo multo magis miran tur hi (inquit Gal.) si de aceto audeamus dicere ipsum ingenitam » uini caliditatem perdidisse, cæterum ex putredine aliam adeptũ » cuius sanè sententiæ fuit Arist. & Theophrastus, qui & ipsi iuxta pu » tredinẽ traditam diffinitionem acetum ex uini putredine generari » assererent, cum uinosę partes, dum ipsum in acetum transit, refri- » gerãtur, excrementum uero aqueum putrescens adscititiam qualita » tem obtinet, ueluti cætera omnia, quæ putrescunt: exquo fit, ut ace » tum quiddam sit ex contrariæ facultatis partibus compositum par » tim refrigerantibus, partim calidis, sicuti ustorum lignorum cine- » res omnes.

Mixta perfecta, & imperfecta, quomodo putrescant. Cap. 7.

PRoinde licet mixta propriè putrescant eo quo declarat Arist. modo, imperfecta tamen mixta qualia, quæ apud nos sunt, ele menta, & ipsa putredine hac participant, calorem namque fer mè proprium, at exiguum habent, siquidem aqua & terra, ut ele- menta pura, calore priuantur, aer uerò, ac ignis qualitatibus puris- simis, ac inuicibilibus muniti nequaquam putrescere queunt, de quibus loquebatur Aristo. dum ait, pinguia nõ putrescere, eo quòd libello de diut. & bre uit. uitæ. aeris purissimi naturam sapiunt, qui ad alia, ut ignis, in quo pu- tredo nullo pactò admittitur, se habet, at aqua, qua utimur, aer, qui nos circuit, & terra, quæ oculis nostris subiicitur, mixta quo- dammodo sunt, quopiamque participat calore, multoque humo- re, quo fit, ut ex parte putrescant, dum aliena caliditas propria in humido calorem corrumpit: ob id Aristo. postquam dixit putredi- 5. de gen. ani. cap. 4. nem quoque & aquę, & terrę, & quorumvis eiusmodi corporum fieri posse exemplum de terra tradere cupiens concludit: Quare » terreni etiam uaporis putredinem nouimus, quæ situs uocatur, & » enim situs caries uaporis terreni est, qui eodem fermè gignitur modo, ut supra ex ipsomet Aristo. ibidem canitiem generari dixi- mus: at ignis licet purus non sit, ut is, qui sub Lunæ concauo re peritur, non tamen putrescit, quando sui calore excedenti omnia ut eius materiã consumit, ipse uerò nequaquã ab aliis conuincitur.

Aduersus interpretationem Argenterij. Cap. 8.

QVid igitur, inquit Argenterius? aut quomodo se habet in per- cipiendi Philosophi mente? aut corruptionis modis? aut cur putredo sit corruptio aut nõ, ea, quæ à calore in humido efficitur,

 putredo

putredo tantum nominetur quid de eius differẽtiis sentit sanè tantum abest, ut quæ putredo sit, interpretetur, ut uel maxime naturalem corruptionẽ cum putredine (ni fallor) cõfundat, nã ꝙ illa tãtũ dicãtur putrescere (ut is putat) quę materiam præbent, cõpositũ nempè ex humido, & sicco agente calore, aut frigore, quippe ꝙ quemadmodum generatio non est caloris, aut frigoris, aut humidi, aut sicci, sed totius compositi cõflari à calore humidi ac sicci unione, sic corruptio, quæ putrefactio est, ipsius unionis, & eorũ quæ unita sunt, separatio, dicenda est, falsum est: fatemur namq; & nos ex natura quælibet mixta hunc in modũ corrũpi, & nõ putrescere: putredo namq; aut naturalis interitus finis est, aut innati caloris in humido corruptio, ut supra ostensum est, prima qui dẽ nõ disiũgit humidũ à sicco, sed ex præcedẽti corruptione hæc duo disiũcta reperiẽs, caloris humorisq; residuũ dissipat, ut siccũ tãdẽ, ac frigidũ relicto caloris alieni fomite mixtũ euadat, secũda uerò imbecillũ in humido calorẽ corrũpit, atq; ea ex parte mixtũ putridũ reddit, nõ quidẽ diuiso humido à sicco, sed per alienũ calorẽ altero nõnũquã mixto facto, ut de aceto, & canitie dictũ est, quandoq; uero eo tãdẽ tẽporis spatio corrupto, ut in pomo, & humoribus, quæ ex febre corrũpunt. Quocirca corruptio hæc generationi nãli cõtraria nõ est, sed ea, quæ in uiuẽtibus quidẽ ad putredinẽ uia est, in cæteris uerò humidi à sicco segregatio, quæ ab internis principiis ortũ habet, suffragãte tamẽ ãbiẽtis calore, ita ut passiuæ tãdẽ actiuis dominẽtur. Neq; Aristoteles illius fauet opinioni, dũ lib. 4. metheor. dixit putredinẽ in his ꝓpriè reperiri, cũ à natura discesserint, hoc est secũdũ materiã, quæ cõpositi pars ẽ, quoniã ut antea declaratũ est, alia fuit Aristotelis mẽs, quinimo si aliorũ interpretationes perlegamus, hæc omnibus deterior est, quandoquidẽ corruptionẽ naturalẽ cũ putredine cõfundit, qđ quidẽ nõ faciũt hi, licet meo quidẽ iuditio ueritatẽ nõ assequãtur, tũ etiã libello de respi. cũ ait, omnibus corporibus materiã esse humidũ & siccũ, nõ enim hæc sola cuiusq; mixti perfecti materia sunt, sed ut idẽ libello de long. & breui. uitæ scripsit, materiã corporũ his, quæ existũt isthæc calidũ, frigidũ, humidũ, ac siccũ, qđ & eo libello subsequẽtibus uerbis declarat. Quo quidẽ etiã Arist. dicto nõ ob id conuincimur, ut putredinẽ humidi, & sicci separationẽ esse asseramus: corruptio nãq; naturalis hæc est, ut antea demõstrauimus. Alienũ quinetiam est ab Aristotelis placitis dicere ꝙ id qđ corrũpit, calor natiuus sit, nõ quidẽ moderatus, ac ꝓpria innataq; qualitate cõstans

sed,

fed à fuliginofis excremẽtis à re ipfa eleuatis infectus, ac potius au ctus, quod uerò corrũpitur, cõpofitũ nẽpè ficcũ, ac humidum, quæ quidem ambo, dũ fit putredo, ab hoc natiuo adaucto, atq; infecto adinuicem feparãtur, qđq; in putredinis diffinitione ab Arifto. tra dita utrũq; cõprehẽdatur, nam ut aperte fatis conftat, calor alie- nus nõ folum intra rem, fed extra rem effe poteft, & folũ primum eft agens, qđ uerò putredine corrũpitur, calor innatus, ac in humi do ꝓprius, nõ aũt feparatio illa humidi à ficco, quę neq; fola natu rali fufficit corruptioni, accidẽtalis nãq; foret, fed formę priuatio quæ humidum cum ficco terminabat, ut dictũ eft: propterea Ari- fto. inquit, quòd putredo eft corruptio caloris innati, ac proprii in unoquoq; humido ab ambiẽtis aliena caliditate, ac apertius alibi dicẽs. Quibufcunq. igitur hominibus pilorũ natura parũ calida eft plufq. humoris fubit, cũ ꝓprius calor nõ poffit cõcoquere, putre fcit ab ea, quæ in cõtinẽte eft caliditate: eft aũt putredo omnis à calore, non aũt naturali. Neq. poteft is dicere hac utiq. putredine fuliginofa adeffe excremẽta. quę innatũ inficiãt calorem, nam ip- famet excremẽta, calore imbecilli cõftãtia putrefcũt, corrupto na tiuo ab aere, q substãtiã illã albã reddit, ut clare fubdit Arift. In- fuper putredo in humida ex mixti parte, ut in diffinitione dicit, er gò nõ eft feparatio humidi à ficco, ut ipfe fentit, fed calidi natiui ab ficco potius in mixto, introducta adfcititia, alienaque caliditate: præterea Gal. de Aethiopium, Arabumque natura uerba faciens, cum dixiffet, quòd omnibus denique his, qui ad meridiem inco- lunt, natura cuius ex ambientis æftu, & naturali calore foras acto ufta, dura, ficca, & nigra redditur toto corpore animalis natu- ralis quidem caloris exiguam obtinente portionem, fed alieno, at- que adfcititio incalefcẽre, quippe id quoq. ab Ariftotele in multis eft traditũ, fubdit, ꝙ eft illi fi alteri ulli attẽdẽdũ, ac in fingulis cor porib. æftimãdũ fuo nè & ꝓprio, an adifcititio calore incaleãt, quę enim putrefcũt (fubiungit idẽ) omnia adfcititio calore funt cali da, proprio frigent, ergò calor innatus non augetur, ut hic arbi- tratur: quod & Gal. exẽplo uini clarisfime demonftrauit, cum ait uinofas partes natiuo, ac proprio refrigerari, quæ uero putredine afficiũt, corrupto ꝓprio, ac exiguo in humido calore alienũ fufci pere: Cæterũ cũ ait Argẽterius infectionis cãm nil aliud effe quã ꝓ hibitã tranfpirationẽ, id utiq. & Arift. fatet, neq. nouũ qđ in mediũ affert, uerũ ꝙ oĩbus, q ę putredine corripiũtur, nulla adhibita diftĩ ctione hoc accidat, lõge (iuditio meo) fallit, nã ꝙ idẽ fentiat Arift.

apud

5. de gen. ani. cap. 2.

2. de tẽp. cap. 6.

4. de fimp. med. fa- cul. c. 19.

apud ipsum uidere licet, qui postquam dixit canitiem putredine quadam effici, nec esse, ut quidam putant ariditatem subdit, In-
" ditium est, quòd pili qui uel pileo, uel alio tegmine operiuntur, ca
" nescunt, flatus namque siue per spirationes putredinem prohibēt
" operimentum autem ἀπνοίαν ποιεῖ, hoc est obstipat, seu per spirationem arcet: Verum quæ putredo corruptionis naturalis finis est, non ex prohibita fit transpiratione, quandoquidem extracto calido, ac humido caliditas ambientis absque ꝙ ulla concurrat obstructio, id totum corrumpit, ac dissipat: ad quos quidem putredinis modos respiciens Gal. dixit: Neque enim ea quæ inculcata sunt, perspiratuque prohibita putrescunt, uerum celeriter ea, maximeque, cęterum putrescunt & alia multa, quæ putredini sunt opportuna, dicetur uerò de horũ opportunitate alio loco, nã caro demortui primũ corrũpit passiuis uincentibus, qualitatibus, mox aeri calido exposita putrescũt nulla cõcurrẽte obstructione: Neque est, quòd dicat Argenterius calori exposita magno exuri potius quàm putrescere, nam in deustione calore ualidissimo, ac sicco, utpote igne, ac solis ardore opus est, in putredine uerò calore non ualde à temperato excedenti, ac humido, qualis est aeris: Quam quidem etiam ueritatem tetigit Aristo. 4. eo metheor. siquidem de putredine corruptionis fine uerba faciens, dicit humida primum, mox & sicca, quæ putrescunt, ad extremum reddi, at de altera ait, quòd in his proprie dicitur, quæ ex parte intereunt, cũ à natura discedunt, discessus quippe causam innuere intendens, quæ nil erat, quàm calidi, humidique prohibita transpiratio, ut postmodum ipse alibi exemplo canitiei illustrauit.

Libello de inæq. intemper. cap. 7.

Dissolutio rationum Argenterij contra Aristo. *Cap.* 9.

ENucleatis putredinis spetiebus, differentiis, aliisque, quæ circa ipsam occurrunt, concinne admodum ab Aristo. traditis, quæ Argenterium fortè, aliisque interpretes latuerunt, reliquum est, ut oppositas ipsius argumẽtationes diluamus, etenim prima quidem ratione Argenterius, putredinis species non distinguit: qua de re & Aristo. perperam corripit, quæ enim putredo generationi simplici contraria est, quippe quæ sui initium à naturali corruptione dependet, internum quoque principium habet, atque de hac naturali corruptione loquebatur Philosophus libello illo de mor. & uit. & respir. cuius quidem finis putredo est, in qua licet calor extraneus potius sit causa, attamen mixta quæque semoto ambientis calore, & accepto ab interna causa suæ corruptio-

nis

nis initio adhuc putreſcerent, cuius quidem ratio eſſe uidetur, quoniam cum ob contrarietatem actiuæ qualitates continuò imbecilles reddantur, ut tandem pasſiue ſeperent, eędē quoq; tandem efficerent, ut mixtum & humido proprio, & calido natiuo priuatum ſiccius euaderet, terra, & fimus: Verum cum aer, ut recte testatur Gal. licet extrinſecus accidat, ſeprari tamen à corporibus nequeat, perpetuò in nos, ut interna alia agit, ac ueluti connatus nobis adhæret, quo fit, ut quod ab eo corrumpitur, ex ſe quidē corrumpi dicatur: quod uero ab aliis, utpote quæ nec neceſſariò, incertisque temporibus nobis occurrant, per accidens, ac uiolentia, ſeu præter naturam, ut medici uocant. Neq; admodū ualet ſecunda ipſius ratio, quòd cum caloris, ac frigoris opera, ſicut humidi, ac ſicci pasſiones Ariſto. aggrediatur, calorem utique corrūpi (quæ pasſio eſt) dicere non poteſt, idem enim agens, & patiens foret, nā ſecundū diuerſos ipſius gradus modo eſt agēs & uincēs, modo patiēs, & uictus, ut moderatus, quidem agens eſt, & generationis opifex, ut uero immoderatur, & à propria natura recedēs, patiēs & corruptionis, putredinisque ſigillū: propterea inter præcipua calidi opera generationē ſtatuit, ſicut quod ei maxime cōtrarium eſt, pasſionē, nēpè putredinē, inter quæ corruptio naturalis eſt, mediā ſapiēs naturā, ſiquidē dū corrumpitur, principium internum nempè calor ipſe mixtū deſtruēs, ſeipsū corrūpit, ut ſupra declaratū eſt de animalis calore (neq; id abſurdū eſt) poſtmodū reliqua alia ipſius calidi naturalia opera recenſens, utpote coctionem, maturationē, elixationem, & huiuſmodi his adiicit, quæ ſuccumbente calore frigiditatem conſequuntur, utpote inquinationem, imperfectam coctionem, & id tale genus, poſtremò humidi, ac ſicci pasſiones, quales ſunt mollities, durities, liquatio, concretio, & ſimilia. Inſuper nil Ariſtoteli officit, quod ab eo tertiò obiiciebatur, ſi putredo caloris eſt uitium, corruptio utiq; non foret, ſed alteratio, fruſtraque aduerſus antiquos inueheretur, dicimus namque nos, ut & antea ſuppoſuimus ex Ariſto. uerbis ad moliendam putredinem non ſolum caloris alteratione opus eſſe, uerum ut mixtum à natura propria, & ſecundum partem primum diſcedat, propterea calor ex parte non ſolum alteratur, ſed cum is ex mixti natura ſit, ab ambientis calore deſtruitur alia noua quippè aut introducta natura, aut temporis ſpatio toto mixto corrupto, ut exemplis canitiei, & pomi oſtenſum eſt, aer namque craſſus in pilorum naturam corrupto prius exiguo illo innato ſubingreditur albam pilorum ſubſtantiam conficit, pomo uerò ex parte ab ambiente pu

trefacto

trefacto tandẽ totũ putreſcit, & in fimũ degenerat. Quod aũt rurſus ſubdit corruptionẽ eſſe cõpoſiti, nõ aũt qualitatis, aut rei ſimplicis, qualis eſt calor, cũ nec is gignatur, ſed cõpoſitum ex materia & forma: ſicut. n. generõ ẽ cũ materiæ forma propinqua fit, ſic & corruptio, qñ forma à materia ſegregatur, in primis quidem ſibi ipſi cõtradicit, nã prius dixerat corruptionẽ eſſe, qñ calor uitiatus humidũ à ſicco ſeiungebat, nunc uerò ait, qñ materia à forma ſeiũgitur, quòd nil eſt aliud, quàm dum calor ab humido & ſicco ſegregatur, ſed in quo (quæſo) modus hic corruptionis à noſtra diſcedit opinione? quidq́ue habet aduerſus Ariſto? nonne & ipſe ſentit compoſiti eſſe generationem, atque corruptionem, cum ait, ſimplex uero, & naturalis ortus ab his facultatibus, cum proportionem habuerint, mutatio eſt ex ſubiecta cuique naturæ materia, mox ſubdit, calor uerò & frigus materiam generant, ueruntamen eſt altera corruptio non totius primum compoſiti, ſed ſecundum partem quæ propriè putredo eſt, quandocunque exiguus in humido calor qui in diſsimilaris mixti parte eſt, ab alieno calore corrumpitur, ita ut pars ea à propria natura diſcedat, atque talis illius partis ſecundum formam, atque naturam corruptio dicitur, quoniam propriè naturalis non eſt corruptio, ut altera prior, cum extrinſecum ſuę corruptionis principium habeat, naturalis tamen utpote naturam ſapiens, quandoquidem aer, ut ex Gal. dictum eſt, nobis adeo connatus eſt, ut fermè intrinſecus eſſe uideatur: corrumpitur igitur calor innatus exiguus in humidi copia contentus, ex qua neceſſariò & humidum illud compatitur, ob alieni caloris introductionem, ut de aceto dictum eſt: neque ualet ſi per calidum intelligimus ſubſtantiam calidam, quæ calido, & humido conſtat, ſic & de frigore obaudiendum erit, nam calidum in putredine propriè patitur, atque corrumpitur eo, quo diximus, modo, at frigus in altera putredine exhalante cum humido proprio calido cum ſiccitate, & quodam extranei caloris fomite relinquitur: ob id non tenet ratio, quoniam non ad unam eandemq́ue putredinem tendit: Neque eſt ut multi faciamus an pro calore qualitatem ſolam intelligat Ariſto. an uerò ſubſtantiam calidam & humidam, inquit enim calorem innatum, & proprium in humido, quaſi quòd ſicut qualitas ſine ſubiecto conſiſtere non poteſt, ita nec caliditas abſque ſubiecto, in quo eſt, uerumtamen ut innatus dicatur in humido, ſicut aduẽtitius in ſicco fundatur: Vnde Ariſt. caput de quali & qualitate inſcribit, ſiquidẽ Plato-

nem

nem in cratylo dicentem perlegerat, qualitatem nouum esse nomen, cum alii quale dicerent: propterea mirum est quomodo uir hic sustineat, Aristotelem de calore ut qualitate solum, dum putredinis diffinitio traditur, uerba facere, sed de his aliàs fusius. Amplius oppugnat Argenterius altera ratione, quòd Aristo. neque patiens, neque agens in putredinis diffinitione rectè collocarit, ita ut confuse admodum putredinis modũ explicarit, nam nõ omne innatum calidum, quod est in rebus intelligere potest, uiuentia namque & animalia quæque putredine corrumperentur, quod tamen secus se habet, calor enim ille animam cum corpore unit, & ob id uitę author, ac mortis est, non autem putredinis, quę solum ad materię animalis corruptionem spectat: præterea cum non omnia naturali, ac proprio calore cõstent, sed extrinsecus ab aere, uel igne desumpto, ut elementa, quomodo putredine afficientur? insuper nonnulla sunt, ut metalla, quæ humido caloris fomite destituuntur, quomodo hæc primò humida, mox sicca conficientur: neque minus ambiens calor efficiens putredinis causa est, quędam enim in cauernis, ac domorum ruinis putrida uisuntur, in quibus nequaquam ambientis caliditas penetrat, neque innatum calorem corrumpere ualet: cæterum etsi hęc nulla egerent dissolutione, quandoquidem superius ex declaratis palam ostendimus ex Aristo. placitis libello de respir. unum quid commune esse generationem, atque corruptionem, at uarios utriusque modos, ac species, atque ob id non quælibet mixta putredine affici, qualia sunt uiuentia corpora (quod quidem intelligendum est secundum sui totum) sed naturali tantum corruptione, quæ in stirpibus ariditas, in animantibus uerò mors est, postquàm uerò extincta sunt, uitaque priuata tandẽ in putredinem naturalem, quæ ipsius corruptionis finis, ac terminus existit: insuper elementa hæc, quæ apud nos sunt, mixta quodãmodo esse, utpote quòd in ipsis caloris quidpiam, & humidi superfluum, ut in mixtis admisceantur, attamen quoniam de metallis nundum quidquam à nobis dictum est, quomodo putrescant, & quomodo quæ in cauernis sunt, ab ambientis calore putredine corrumpantur, missis duobus instantiis, quæ uiuentium calore, & in elementis eiusdem priuatione putredinis definitionem destruebant, tanquam rite admodum dissolutis, metalla quoq; putredine, affici dicimus, etenim si genita sunt sui ẽt natura corrumpuntur quando humidũ illud utcumque sit, à sicco seiungitur, etenim si humida quodammodo non forent, du-

biò procul nec adinuicē unita cernerētur, uniūtur autē agente calore in humidū, ac ipsum cū sicco cōmiscente, quæ postmodū à frigore infrigidantur atq; induratur eo quo declarat Arist. mō: dissoluūtur igit dū corrumpunt, ac calore cū humido, quodcūq; illud sit, exterius propulso, q̃ pri us humida reddunt, mox & sicca, cū putredinē corruptionis terminū tandē sunt assequuta. Sed cū ait ab ambiētis calore non semper fieri putredinē, qm̄ in cauernis, quibus excedentia frigora circūponuntur, aeris caliditas penetrare nequit, breuibus respondere possumus, ꝙ Arist. inquit putredinē non præcise ab aere, seu aqua per aerē fieri, sed à cōtinentis calore nimirū corporis circunstantis, contangentisque id, quod putrefieri debet, corpus utcumque illud continens sit, nam omne quod agit, per contactum suam actionem promit ex Aristotelis sententia: fumosi autē uapores ex mixtis continuò exhalantes, qui plerumque exitum quærentes intro repercutiuntur, continentis locum tenent, cum corpus ipsum contangunt, cum autem aut calidi sint, aut sui tenuitate aeris naturam sapientes facile incalescant putredinis sunt causa: Et si is instet Aristo. sæpe aerem & aquam solum continentis nomine nuncupasse, facile respondebimus, si ea ut famosiora nominasse dicemus, non ea quidem ratione, ut & reliqua excludat: Possumus etiam, ut & Clarissimus Pomponatius, rationi satisfacere à continente nimirū aere immediate putredinē semp fieri dicētes, aerē uerò per poros, seu meatus corporū cōtinuò ingredi, aut ītra ipsa corpora cōcludi, uterq; enim aer siue cōclusus, siue ingrediēs, cū euentari, dimoueriq; nequeat, necessariò incalescit, adiuuātibus potissimū fumosis uaporibus exipsis prouenientibus, ibidemque ob frigus, seu quid consimile prohibens detentis, aer autem concalefactus per partem post partem innatum mixti calorem in humido corrumpens putredinem inducit: Neque mirum est, quòd aer in tam parua quantitate hoc moliatur opus, mirabilia nāq; naturę sunt opera, ut ex vino experiētia quotidie cernimus, quando quidē uase quopiam uini pleno existente, si ei solius cyathi mensura deficiat, ob aeris illius paruā quantitatē uinū corrūpitur, atq; putrescit: Vnde Aromatarii experti, ut hāc deuitēt putredinē dum herbarū succos sibi parāt, ac seruāt, oleū ipsis superinfundunt, ne succi illi ab aere contangantur: in castaneis quinetiā & nucibus auellanis, & fructibus huiusmodi in montis manētibus corticibus putredo gignitur non alia sanè ex causa, nisi quoniā fructus hi aere intus existente, aut deforis per poros subingrediente

repleti

1. de gen. & cor. & 2. de physice auditu.

Lib. de respi. uita & mor, & 4. meth. & libris de animalibus.

repleti sunt, qui ex uaporibus eleuatis, extrudi uerò ne queuntibus aerē illū excalefaciūt, ut tandē ab eo aliqua illorū fructuū in parte putredo inducatur, ex qua postmodū totū fructuū corpus corrumpitur, ac dissipat: ppterea nulla est Argenterii rō, quādoquidē aer ibi aut reperit inclusus, aut solum frigidus intra porositates subingredit, cōcalescit aūt prohibita euētatione, quieteq; , aut ex uaporibus è corpore eleuatis, ut dictū est. Neq; ualet id, quo instat, ut illa, quæ ꝓpria non sunt, generationē nō efficiūt naturalē, ita nec eadē corruptionē efficere poterunt, sed uiolentā, atq; pręter naturā, nā præter quòd ratio hæc aduersus ipsum militaret, qui ex uaporibus à re eleuatis fieri putredinē autumat, dictū etiam est lōgè differre putredinē, quæ corruptionis naturalis est finis, ab ea, quæ in his reperitur secundum partem corruptis quo ad putredinis modū, nā prior uerè corruptio nō est, prius nāq; corrupto corpore hæc putredo subsequit, at altera nō naturalis potius modi uim hēt, ac nullū cū naturali generatione cōmertiū: ob id de hac philosophus breuibus se expedit, sat illi arbitrans, ut modū causasq; omnes describat, lōgiori usus sermone, dum alteram aperit, quæ corruptionis est terminus. Qđ uerò adducit absurdū, nos quippe in continua futuros esse putredine, si uestes, & istiusmodi ambientis nomine donentur, decipitur (ut opinor) ex malo putredinis naturę intellectu, ut sæpe diximus, nam ex declaratis uestes, & huiusmodi nōnumquā obstruentium uim habent, ex qua quidem obstructione ob retentionem uaporum aer circunstans accenditur, nonnunquam uero in ipsis aer concluditur, qui nisi euentetur, ut & reliqua, putrescent: Estne igitur ex hoc concludendum, ergo in continua essemus putredine? minime hercle. Miror utique quòd pugnantia grauissimum Philosophum in tam parua uerborum serie scripsisse asserit, nam si calor externus principiū efficiens est (inquit ille) cur postmodum duo costituit? insuper si proprii caloris corruptio est, quomodo alienę caliditatis affectio? pręterea in diffinitione frigiditatē, ut causam non ponit, at deinceps eam & causam, & putredinis passionē, seu affectum nominat, nō quidem externam, neque minus caloris ībecillitatē, ut probat ipse, sed externā diceret Aristo. quod quidē minime cōsistere potest, in putredine nāq; calor est maximus, ꝙ si frigiditas corrumpit, quomodo afficitur atq; corrūpitur? ergò non passio, ꝙ si dicas putredinē esse frigidi affectionē, quoniā ad caloris interitū frigiditas consequitur, ergò illius passio non est. Sed hæc mehercle illi sunt pugnantia, atque non imme

ritò, quoniam putredinis differentias, species, & modos ignorat, at nō nobis, qui ex Arist. mēte ipsam in spēs distinximus, nā alienus calor utriusq; putredinis causa est, quādoq dē in ea, quæ corruptionis finis est, calore non terminante humidum à sicco seiungitur, at mox qđ caloris un à cū humido extrinsecus adest, ab ābiētis calore destruitur, huic etiam putredini frigiditas ut concausa auxiliatur, nam sicut prius temperata à calore in ipsum non agebat, ita hoc tempore dominans contrarium nimirum calidum in ipsum agit, ipsumque ex toto propellens in causa est, ne amplius humidum in terius trahatur: propterea Aristo. inquit, quòd putredo hæc ab duabus causis efficitur, & mixtorū cōmunis passio frigiditate constans propria, alienoque calore, ut superius quoque declaratū est: in putredine verò altera, quando ex parte mixta corrumpuntur, caliditas aliena sola est, quæ ex ea parte natiuum in humido calorē corrumpit, cuius quidem potissimum diffinitionē tradit, utpote eius, quæ proprie putredo est, nam licet prior & ipsa putredo dicatur, attamen corruptionis potius finis, ac terminus existit, cuius quidem diffinitionem tametsi implicite admodum tradat Aristo. ut quid sentiat, nisi nerba omnia præcedentia rectè perpendantur, uix percipi possit, fuerintque in causa, ut interpretes multa ædepol portenta in medium attulerint, ueruntamen nos eā hunc in modū elicimus, quod passio sit mixtorum cōmunis, quæ frigiditate propria constat, caliditateque externa ob innati, ac proprii in humido calidi defectū, nam postquā quasi per interpositionē quandā dixerat in his, quæ secundū partē corrupta sunt, cū à natura discedūt, proprie putredinē dari, eāque diffinierat, cōcludens de naturali corruptione, cuius putredo finis est, subdit: Quare cum caloris penur a mixtum patiatur, quod autē tali facultate destituitur, sit frigidum, ambę igitur causæ tum frigiditas propria, tū aliena caliditas, quæ communem hanc in mixto passionem, nempè putredinem immittunt, ambiens namque calor calorem innatum unà cum humido dissipauit, ac penitus destruxit sui fomite relicto, vt illud extraneo caleat calore, frigeat autē naturali, ac proprio frigore, ob quod tantum abest, ut humor denuò attrahi possit (hoc enim calidi innati propriū est) ut unà cū extraneo calido (ut dictū est) uel maxime prohibeat: cui quidē sententiæ adstipulatur Gal. (licet de putredine altera, quæ secūdū partē est, potissimū loquatur) etenim uinosæ uini partes (inquit ipse) dū uinū in acetū transit, refrigerant at aqueū recremētū putrescens adscititiā caliditatē obtinet, ueluti

4. de simp. med. facul. cap. 19.

cætera omnia,quæ putrefcunt,quafi quod includere uelit Gal.putredinē hāc etiā,quę corruptionis eft finis,omnia nāque putrida tā dē caliditate cōftāt adfcititia,naturalique frigiditate,quæ poft putredinē illis de relicta funt:ob id fubdit Gal.ꝙ hæc,ut uftorū ligno rū cineres,remanet,etenim in illis aliqđ ueluti fomes qđā igneus ꝑ exiguas partes difperfum eft,reliquum oē tū terreū eft,tū frigidū.

Diffolutio probationum aduerfus experimenta tradita ab Arift.C.10.

CAeterū cū adhuc reftēt,quæ aduerfus experimēta, probationesque obiicit Argenterius negotiū hoc ad finē perduxiffe nō arbitrarer,nifi & his breuibus fatisfacerem, proinde eo prius animaduerfo,ꝙ mixta ex Arifto.fentētia eò minus corruptioni fubiecta effe,quo magis calore,ac humido, non quidem excrementitio,fed proprio,ac vifcido participant:Vnde dicebat concludens,Quamobrem non de facile exiccabile ipfum debet effe humidum:& iccirco pinguia non putrefcunt,in caufa autem, quoniam aeris funt. Cum igitur frumenti aceruus fiue magnus,fiue paruus eodem calore,ac humido conftet,quę in fingulis fe iunctim granis reperiuntur,eodem etiam tempore tam paruus,quàm magnus naturali corruptione,atque putredine corripiūtur, cuius hæc figna, ac experimenta tradidit Arifto.propterea decipitur Argenterius, qui quod putredini naturali adfcribit Arifto.alteri,quæ fecundum partem eft,attribuit:Quis enim ignorat plus effe calidi ac humidi in toto mari quàm in eius parte? nec non in aqua feruenti,quàm in non feruenti? & in eo, quod in motione eft, ac fluit, quàm in eo quod quiefcit? Fatemur equidem & nos eam Argenterii caufam poffe confiftere,aeris nempè introclufi tranfpirationem, aut claufionem,verum quam tradit Arifto. effe quidem corruptionis, putredinisque naturalis,hanc verò Argenterij alterius, quæ fecundum partem eft:Vnde & corpora crasfiora ob huiufmodi caufam facilius ex parte corrumpuntur uaporibus externe eximia copia à Solis ardore attractis,meatusque obftruentibus, quàm minus gracilia,è quibus minor etiam ob uapores attractos obftructio, atque ex confequenti minor putredo efficitur: quod itidem perpetiuntur ueftes,quæ multū in fe cumulatæ accomodantur,quæ fi euentari poffent,dubio procul ab huiufmodi putredine liberarentur. Quocirca doctisfime fcripfit Gal.fæpius corpora,quæ calida funt, & humida,diutius quam reliqua alia corpora perdurare, obnoxia tamen

Libello de diut.&breuitę.

tamẽ esse putredini,quasi inferat,hæc utique ob priorẽ causam ex Aristo.traditam difficilius admodum corrumpi,at ob alterã, quæ prohibita est transpiratio,facilime corrũpi,ac altera putredine corripi:Nil igitur ualet aduersus Aristo.de frumẽti aceruo instãtia,neque minus de uestibus multũ in se cumulatis,ac crassiorib. corporibus rationes,quoniam hæ ob prauam ignorantiam eorum quæ à Philosopho conscribuntur,in medium allatę sunt, ut ex discursu hoc nostro cuique apertum esse potest, in quo aliorum interpretũ expositiones utpote à ueritate alienas nequaquam recensuimus,ne in eorum confutatione longiores, quàm proposueramus esse cogamur, has tamen ex his, quæ à nobis demonstrata sunt, quisque uel facilime diluet.

li.de diut. & breui. uitæ.

Conclusio dictorum,& Gal.cum Aristo.esse concordem ostendit.
Cap. 11.

EST igitur putredinis proprie natura rectè ab Aristotele tradita, corruptio nimirum innati, ac proprii in unoquoque humido caloris ab alieno calore, qui ambientis est: à qua quidem non discedens Gal.huic se subscribit his uerbis :Nam rectè sentire uidetur Aristo.ab aliena caliditate oriri putredinem, dicit autem alienam, externam non familiarem,atque natiuam in quocumque genere rerum, nam hæc coquere apta est, externa uerò corrũpere, ꝙ est putrefacere.Et alibi ait, & uidetur putredo ex materia quidem gigni humida (mixta tamẽ cũ modico caloris,ut declaratum est) ex causa uerò efficiente, extraneo,& præter naturam calore : concludens mox Gal.aduersus ea, quæ ab Argenterio de metallis dicta sunt: nihil itaque quod omni ex parte est siccum,omnes manifeste uidemus putrescere,neq; enim lapis uel tegula, nec aurum,nec argentum, nec æs,aliudvè eius generis putrefieri cernitur : atque de hac putredine,non autem de altera corruptionis naturalis fine intelligebat Gal.Quid igitur dicet Argenterius, qui Arist.de naturali solum putredine, Gal.uerò de ea præter naturam loquutos esse asserit? Deceptus mehercle fuit, ut & in aliis compluribus ob confusam de putredine notitiam, quinimmo clarius uolens Gal.putredinis naturam non quidem illius,quę corruptionis finis est, quoniam hæc ad philosophum potissimum spectat, sed alterius secundum partem corruptionis, quæ in morbis etiam ut plurimum uisitur, & ut corruptionis uiolentę, ac

2.de diff. feb.cap.9.

com.3. in tertiũ de mor.uulg. cap.1.

præter

præter naturam multotiens uim habet, tradere ab Aristo. diffinitione non nisi in uerbis dissentit, siquidem putredinem ait mutationem esse totius putrescentis corporis substantię ad corruptelam à calido externo, nam cum ex Arist. sententia ea proprie putrescere dicantur, quæ ex parte corrumpuntur nil aliud intellexit Gale. quàm quòd paulatine substantia totius putrescentis corporis corrumpitur, dum imprimis quidem pars apta ad corruptionem putrefieri incipit, donec totum tandem corpus corrumpatur, quod quidem mutatum esse dicitur, & tunc corruptionis est finis, nisi antequàm hęc compleatur mutatio remediis ei præstò occurramus: ob id Gal. ut huic occurrat putredini, coctionis quæ alterationis est species, remedio utitur eo, quo ab excellēti Patre meo expositum est, modo, & à nobis forte quandoque exponetur. Hæc sunt, quæ de putredine acutissimo ingenio tuo diiudicanda propono, tu uerò qua soles humanitate, hæc omnia libenti animo perleges, & cum ab omnibus tantopere discedamus, qui de hac materia conscripsere, interpretationes nostras, rationes, ac dissolutiones aduersariarum rationum perpende: Nobisque gratissimum erit tuam audire sententiam, atque iudicium, homo namque sum, & ut cæteri qui me longè perspicaciores extitere, aberrare possum. Vale, meque ut facis, ama, cui Nestoreos annos fœlices exopto.

11. meth. med. c. 8.

lib. art. med. c. 89. super primam aph. par. 22

FINIS.

RERVM, ET NOTABILIVM QVAE IN TOTO HOC OPERE CONTINENTVR

INDEX COPIOSISSIMVS.



Aui-

Corru-

Eupa-

Frictio-

Humores

N

Natu-

Pissanæ

FINIS.